

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834903-p0002-2

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834903-p0004-3

TM 0935

Theodor Mahlmann.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834903-p0005-9

JOH. FRID. STAPFERI
V. D. M. Helv. Bern.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ

Ordine Scientifico
dispositæ.

Tom. II.



F.

TIGURI,
Apud Heideggerum & Socios.
MDCCXLIV.

A NEMZETI KÖNYVTÁRI KÖZPONTTÓL
NEM
ADHATÓ
EL I
BP.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834903-p0008-6

VIRO
GENEROSISSIMO, MAGNIFICO,
GRAVISSIMO,
DOMINO
NICOLAO
à
WATTEN-
WEYL
Domino in Diesbach;
Claritate Generis, Sapientiæ &
Virtutis laude Nobilissimo,
Integerrimo.
EVERGETÆ. PATRONO.
HOSPITI.
Munificentissimo, Gratiosissimo:
JOH. FRID. STAPFER.

VIR AMPLISSIME,
Patrone Venerande!

NUllius Nomen majore jure hic Liber sibi inscribit quam TUUM, VIR GRAVISSIME. Pro Veritate enim divina ille scriptus est. TU

autem, uti omnem, ita cœleſtem in primis Veritatem amas; Quod non ſolum ore, ſed & opere probas. Veritatem amas, dum Leges divinas humanasque, & Religionem, & quidquid generoſis pectoribus carum eſſe poteſt, conſervas atque aſſeris. Veritatem amas, dum eam, quod plus omnibus valet, Exemplo TUO promoves atque amplificas. Veritatem amas, dum ad liquidam Sacroſanctæ Veritatis cognitionem, ad veteris & Apoſtolici Chriſtianismi ſimplicem ac ſine fuco pietatem, ad almæ pacis, quam moriens ſuis legavit Chriſtus, conſtans ſtudium omnem Vitam

tam TUAM componis. Veritatem denique amas, dum per Pietatem illam TUAM, præ omnibus prædicandam, quidquid in TE collatum est Dignitatis Felicitatisque, Summi Numinis Benignitati lubens meritoque acceptum fers. Quam vellem, ut Meritis hisce dignum aliquod opusculum TIBI hic offerre possem; quod ea qua par est submissione TIBI nuncupatum dicatumque venio. Non vastæ Eruditionis apparatu, non Sermonis phaleris atque ornatu, non dictionis lenociniis atque ornamentis, sed sola, quæ in eo defenditur, Veritate atque simplicita-

te sua sese TIBI hic Liber commendat. Caussam Dei in eo tuitus sum ; Religionis genus & formam, cor & animam, nervos & artus, opes & divitias, perspicuo sermone in eo ostendi. Demonstratione veritatis ad quamvis conscientiam eam gratam sistere ; ejus lucem mentibus accendere volui. Quid ad Veritatis elucidationem contulerim, qua moderatione usus sim, quo pacto controversias composuerim, minuerim, diremerim, judices TU VIR SPECTATISSIME, judicent omnes, qui Veritatem illam cœlestem venerabunda mente Tecum colunt. Calamum

mum felle tingere, bile linguam inficere, affectibus Religionis Zelum prætexere, à Christianismi genio alienum esse duxi. Nonnisi Veritati studui.

Singularis insuper TUA, PATRONE, in me Beneficentia, qua me Hospitio munifico, beneficiis magnis, affectu omni excipis atque ornas, me cogit, ut publica TIBI quoque allocutione gratias agam.

Deum autem Veritatis assidue veneror, ut calamitatem omnem à TE propitius avertat, & omnibus TE bonis cumulet; genero-

sam etiam TUAM FAMILIAM salvam conservet atque sospitem. Valeas VIR MAGNIFICE mihique favere pergas. Dabam Bernæ XV. Calend. Febr. MDCCXLIV.

PRÆ-

* * * \

Athei vero divinam Existentiam negent, propterea etiam hominis à Deo Dependentiam tollant, eoipso etiam ejus ad actiones secundum Voluntatem divinam dirigendas obligationem, id est Religionem, inficiantur; Ipsi prima Religionis omnis principia atque fundamenta funditus evertunt: unde primo eos inter Adversarios nostros posuimus loco. CAPUT propterea SEXTUM, quod inter polemica primum est, *Atheismi* hypotheses expugnat.

Ita vero cum Adversariis hisce, utinam nulli in toto Terrarum Orbe existant, egimus, uti Instituti nostri ferebat ratio. Indicando nimirum *primarium* illorum *Errorem, reliquasque hypotheses* ordine & nexu suo inde deducendo, *veram Systematis* illorum *rationem* exhibuimus; ut inde cujusvis Atheistici erroris *scopus*, atque vera totius Systematis forma, perspici queat. Hoc enim nisi prius clare ante oculos nobis ponatur, cum quibuscunque vel *Incredulis* vel *Hæreticis* nobis res sit, vix ac ne vix quidem intelligemus, quid in primis nobis ipsos refutantibus agendum sit, ut ipsam rei arcem atque fundamentum petamus, illudque funditus evertamus, neque frustraneis conatibus ea magis adgrediamur, quæ ipsam Systematis impugnandi Essentiam atque Centrum non spe-

spectant. Addidi hisce nonnullos Atheorum, ejusque generis hominum, *Characteres*, ut ex iis etiam illorum mens, atque perversus erga Veritatem cœlestem animus, dignosci queat.

Sequuntur deinde *Atheismi Causſæ*, tam *internæ* quam *externæ*; Posteriores *Occasionem* vocamus; quas scire ideo proficuum est, tum ut ii qui veritatis nondum sunt convicti sciant, à quibus rebus maxime sibi cavendum sit, ne & ipsi in Atheismi aut Deismi barathrum prolabantur; tum præcipue ut Adversariorum excitetur conscientia, si primus perditissimæ corruptionis illorum fons ipsis detegatur; utque videant quid prius ex animo ipsis excutiendum sit, quam Veritas illa cœlestis in illorum corde locum habere possit.

Dispositis ita hostilibus castris atque munimentis ad *ipsam* eorum, uti Theologia Polemica id requirit, progredimur *expugnationem*. Ad id vero non sufficit, quod suo jam monuimus loco, ut Veritatem salutarem ab Adversariorum insultibus solum *vindicemus*, *tela*que illorum *retundamus*; sed ut ipsa quoque illorum munimenta *adgrediamur* necessum est.

Argu-

Argumenta, quibus contra ipsos utimur unius generis non sunt; cum enim diversi sint hominum animi, omnes eodem modo convinci nequeunt. Demonstrationis quidem evidentia est illud ex quo convictio nascitur; propter varietatem vero humani ingenii atque intellectus fit, ut uni evidens videatur, quod alter concipere nondum potest; contra vero hic perspicit, quod alteri adhuc incertum, multisque obseptum difficultatibus videtur. Unde id etiam nobis curæ fuit, ut Propositiones non unius generis contra Atheorum hypothesin demonstraremus, ut ita diverso nos accommodaremus hominum captui. Ita vero comparata sunt illa quæ adhibemus argumenta, ut hypotheseos Atheisticæ fundamenta plane subruant, neque ipsis amplius aliquod remaneat subterfugium, quo se recipere queant. Ipsis quoque illorum armis usi sumus, ut videant, quam debili tota illorum res nixa sit fundamento.

Ut de *Propositione* XIII. in specie aliquid moneamus forsan haud inutile erit. Animæ Immortalitatem ibi demonstravimus non ex ipsa ejus *natura* atque *essentia*, uti alias fieri solet, & nos etiam Tom. I. §. 689. seqq. fecimus; sed ex *Fine* potius *Existentiæ* Animæ, totam derivavimus demon-

monstrationem. Hujus autem rei *ratio duplex* nobis fuit; Ab una quidem parte; ut, cum diversa sint hominum ingenia, etiam hic nihil relinqueremus intentatum, quod ad Veritatis maximi momenti confirmationem, Scepticorumque confutationem facere nobis videbatur; ut si una Demonstratio, ex ipsa Animæ *Essentia* desumta nonnullis nimis abstrusa videretur atque metaphysica, altera clara esset atque facilis. *Secunda* Ratio hæc fuit, quod multi, dum Demonstrationem ex ipsa Animæ *natura* desumtam non perspiciunt, illam nonnisi Immortalitatis *possibilitatem* probare contendunt; Ex alio propterea principio eam demonstrare perutile duximus. Modus probationis hujus facilis est, atque in aliis rebus plane consuetus; ut scilicet ex *Fine* alicujus rei etiam *Attributa*, *Proprietates*, sive *Requisita* rei illius deducamus. Ita si scimus *Existentiæ* totius *Universi Finem Gloriæ divinæ manifestationem* esse, legitime inde sequentes Mundi *proprietates* colligimus. α. Nihil in toto Universo deprehendi, quod tandem ad finem huncce non perducat. β. Adeoque in eo omnia debere esse harmonica, atque ad ultimum finem tendentia; quod si ergo nonnulla inordinata in Mundo nobis videantur, atque fini huic contraria, ea revera talia non esse, sed angustos Intellectus nostri limites potius impedire,

quo

quo minus totum Universi nexum, omnesque rerum rationes perspicere queamus. γ. In Mundo hoc aspectabili etiam debere esse *Creaturas rationales*; cum id requirat Universi finis, sive divinæ Gloriæ manifestatio. Hanc enim consequentiam nemo est qui negare possit: *Mundus hic aspectabilis, creatus fuit ad manifestationem Gloriæ Creatoris; E. si Deus finem suum consequi velit, in illo existant oportet Creaturæ rationales.*

Ad præsens institutum hæc si nunc applicare velimus, probata divina Existentia, atque Universi Creatione, quæritur, *cui Fini* Deus *Creaturas rationales* in Orbibus Mundi hujus habitabilibus posuerit? Ratio alia dari nequit, quam *propter Finem Universi*, qui Gloriæ divinæ, id est omnium divinorum Attributorum, ex Mundi hujus, sive omnium rerum, tam simultanearum quam successivarum contemplatione, agnitio atque celebratio est. Hic nunc Finis ut per Animam Hominis obtineatur, certis illa oportet prædita sit Attributis sive Proprietatibus. Nonnulla Animæ competere, quæ Fini huic obtinendo inserviunt, per ipsam Experientiam constat; Ad id enim requiritur, ut Intellectu, Voluntate, Vi imaginatrice atque Memoria prædita sit. Aliæ vero Proprietates, ad eundem hunc finem plene consequendum neces-

necessariæ, & præcipue futurum Animæ statum respicientes, nonnisi per ratiocinium demonstrari possunt ; Quæ ipsæ etiam Proprietates, non minus ac reliquæ, de quibus per Experientiam constat, Animæ *propter Finem Existentiæ suæ* insunt. Uti autem ex fine Mundi hujus aspectabilis legitima deducitur conclusio, in illo debere esse Creaturas rationales, quæ fini huic consequendo aptæ essent ; Ita ex eodem Existentiæ harum Creaturarum fine concludi potest, num illæ perduraturæ sint ? Num vero ad breve admodum tempus extituræ, postea vero rationales esse desituræ sint ? Si autem demonstretur, Deum finem suum, per Creationem Animarum intentum, in hac vita minime consequi, inde etiam nullo negotio demonstrari potest, dari post hujus Vitæ curriculum Animæ statum, hoc perfectiorem, in quo Deus Finem suum per Creaturas illas rationales *plenissime* consequuturus sit ; dum hujus Universi finis, sive Gloriæ divinæ manifestatio id requirat. *Probata* igitur *Immortalitatis Animæ possibilitate* ex ipsa ejus Essentia sive Natura, quæstio remanet : An *Finis Existentiæ* illius, qui cum fine Universi idem est, id requirat ? Et an sine Animarum post hanc vitam perennitate Deus Finem suum consequi minime possit ? Demonstratio pla-

na erit ac facilis, & ita clara, ut à quovis, indocto etiam, intelligi facillime queat.

Licet autem veritas aliqua demonstrata sit, adeoque evidens esse debeat, propter angustos tamen humani Intellectus limites, qui integrum veritatum nexum perspicere minime potest, nonnulla subinde remanent dubia, ubi veritas veritati contradicere, illamque impossibilitatis arguere videtur; ut non omnibus satis clare appareat, quomodo omnia in integro aliquo Systemate cohæreant, quomodo diverso respectu aliquid vel verum vel falsum esse possit; ut inde difficultates nasci videantur. Opus hinc etiam fuit, ut demonstratis contra Adversariorum hypothesin Propositionibus oppositis, *Objectiones* etiam *solvantur*; siquidem & ipsa Objectionum solutio haud raro ipsi etiam veritati non minimam lucem accendat, ut multo clarior illa fiat quam antea visa est.

Cum vero Adversarii nostri, licet unius generis illi non sint, easdem sæpe contra Veritatem moveant difficultates, factum hinc, ut non uno loco omnes illas, quæ afferri potuissent, solverimus, sed in aliud objectiones multas distulerimus Caput, ut singula suo dicerentur loco, neque Capitis alicujus magnitudo nimium crescret.

Respon-

Responsiones quidem non multas, sed tales dedimus, quæ ipsam difficultatis vel controversiæ primam originem indicant. Et cum omnes difficultates inde nascantur, quod aliquid diverso respectu vel verum vel falsum sit, hoc præcipue egimus, ut veram ostenderemus rationem, quare contradictio aliqua rei inesse videatur, ut adeo ad prima sua controversiam reduceremus principia. Ita autem in adducendis Adversariorum difficultatibus versati sumus, ut nec quidquam reticuerimus, quod ad argumenti robur spectare nobis videbatur; nec ullam etiam majoris momenti objectionem prætermiserimus, ut in omnibus cum Adversariis bona egerimus fide. Quæ vero in genere hic de Capite VI monuimus, de reliquis etiam dicta sunto.

Nonnulla ad CAPUT DECIMUM adhuc observanda sunt. Cum de *Naturalismo* ibi res sit, præter aliorum objectiones, TINDALII etiam, insignis Religionis Christianæ hostis, solvimus dubia; cum Ipse inter Revelationis Adversarios primi ordinis hodie ponatur, operæ pretium duximus, accuratius ipsius ponderare argumenta, & totum Ratiocinii illius nervum ab initio præcidere. Integrum vero illius Systema huc tendit; ut probet, Religionem Natura-

turalem omnibus numeris esse perfectam, ut ipsi plane nihil desit : Omnem adeoque Religionem, quæ *Naturali* addatur, fictitiam ac plane supervacaneam esse ; siquidem Religio Naturalis nec perfectior fieri, nec augeri, nec denique immutari possit ; Illamque totam, quantusquantus illius sit complexus, ad Dei Gloriam hominisque perfectionem atque salutem tendere ; Plura vero à Religione requiri non posse, unde Religio Revelata ipsi superaddita falsa sit oporteat.

Ostendimus autem, quam debili fundamento innixa sit tota acutissimi cæteroquin TINDALII argumentatio, integram controversiam ad prima sua Elementa reducendo. Ostendendum propterea fuit, quid sit Religio in genere ? quid Religio Naturalis ? quid Revelata ? quænam inter utramque sit differentia ? quænam convenientia ? quomodo una alteram nec excludat, nec imperfectionis arguat ? Quæ omnia, licet adeo facilia sint, & ad prima cognitionis humanæ rudimenta pertineant, vix tamen à quoquam, uti in primis ejusmodi principiis haud raro accidit, in clara luce fuere posita ; Unde & ipse TINDALIUS de vera Religionis tam Naturalis quam Supernaturalis vel Revelatæ natura ac forma haudquaquam distinctam notionem habuit ; Longe enim alia ratione

tione fuisset ratiocinatus, si veram Revelatæ Religionis naturam, usum, atque cum Naturali harmoniam, & utriusque differentiam perspexisset; si ad prima utriusque elementa attendisset. Disputando igitur cum hoc Adversario, ante omnia concedimus, quod argumentum ipsius Achilleum constituit: Religionem nimirum naturalem ita esse perfectam, ut ipsi plane nihil ejus desit, quod ad ipsius naturam & essentiam pertinet, ut impossibile plane sit perfectiorem illam reddi, præceptaque illius perfectiora fieri atque ampliora. Concedimus nihil Religionis veræ partem constituere posse, quod non in ipsa Dei hominisque essentia, rerumque natura ac convenientia fundatum est. Affirmamus porro, Naturalem Religionem talia præscribere præcepta, quæ dum ex ipsa Dei hominisque natura fluunt, non possunt non omnia etiam ad Deum hominisque Salutem tendere, quidquid enim ex Deo omnis perfectionis ac bonitatis fonte fluit, non potest non etiam ad ultimum omnium rerum finem, id est, divinam Gloriam, Creaturarumque salutem tendere. Neque quidquam in Religione admitti debet, quod cum fine hoc universali omnibusque divinis Attributis, ceu generali omnis Veritatis criterio atque primo principio non consentit. Et in

hoc denique cum Naturaliſtis facimus, quod Revelatio Religionem Naturalem mutare minime poſſit: neque etiam illius obligationem & præcepta inde fluentia tollere, vel alia ſubſtituere Religio Revelata poteſt; omnia potius Religionis Naturalis officia ſarta manent tectaque, eademque in ſe & quoad obligationem immutabilis eſt. Nec ullo denique modo Religio Revelata Naturali contradicere poteſt, ut omnis Revelata nonniſi fictitia ſit, quæ Naturalis Religionis Principia evertit.

Sunt quibus omnia ſuſpecta videntur atque periculoſa, quæcunque Adverſarii dicunt, licet non innoxia ſolum ſint, ſed & veriſſima, ubique tamen anguem ſub herba latere metuunt, & in maximum ipſius Veritatis detrimentum ea refutanda cenſent, quæ concedi & poſſunt & debent. Videri propterea ejusmodi hominibus præjudiciis adhuc imbutis poſſet, nimis me hic Naturaliſtis favere, dum veritates hasce ipſis concedam, quod eum in finem feci, ut totum illorum ædificium ſubruam. At hi inter *obligationem* ad præſtanda Religionis Naturalis officia, eorundemque *obſervationem* diſtinguere neſcientes, putant nullius amplius pretii Religionem Naturalem eſſe, poſtquam Revelata, benigniſſimi Numinis munificentia, nobis tradita

dita est. Nec intelligunt hi, quid Religio Naturalis, nec quid Revelata sit; Aliter enim hic judicarent, si prima solum Religionis Elementa recte perspicerent, quæ clarissime lectori ante oculos posuimus, nec ea hic repetimus. Ignorant hi, Religionem Naturalem in se & Ratione *obligationis* esse immutabilem, dum ex ipsa Creaturæ rationalis à Creatore ac Conservatore dependentia fluat, ut obliget, licet homo eam observare, perque eam salvari in hoc corruptionis statu, in quo constitutus est, amplius nequeat. Nec denique hi perpendunt, quod si dicant Religionem Naturalem nullius nunc usus esse, idem sit ac si Legem moralem inutilem, eamque adeo plane abrogatam dicant.

Si vero erravi in nonnullis, imbecillitati id humanæ atque angustis Intellectus limitibus adscribendum. Si hujus vel illius Veritatis in hoc libro contentæ demonstratio nec satis evidens, nec satis methodica sit, non solum hoc me accusanti nullam movebo litem, sed potius unicum hoc, Eruditum Lectorem obnixe rogo, ut si in quibusdam non recte Veritatis causſam egerim, id non ipsi tribuat Veritati, quod imbecillitati potius meæ tribuendum; Hac alias ratione eveniret, quod absit, ut Intellectus mei limites atque ignorantia divinæ Veritati detrimen-

mentum afferret. Spiritus ſancti luce ſemper magis me colluſtrante evenit, ut & ipſe cœleſtes Veritates magis perſpiciam. Et venient poſt me, qui primis hisce meis curis, atque hac Theologiam Elenchticam tractandi methodo multo evidentiora atque limatiora edent. Hoc ut fiat maxime in Votis mihi eſt; Siquidem & ipſe nihil magis optem, quam ut cognitionis humanæ lumen in rebus præcipue divinis creſcat, & ut opuſculum meum hunc ſaltem Eccleſiæ præbeat uſum, ut aliis meliora evidentioraque edendi anſam præbeat, ut divinæ Veritates clariore adhuc modo contra infenſiſſimos illarum hoſtes propugnentur, ut omnis tandem Incredulitas ac Hæreſis deſinat, & Jehova unus ſit, & Nomen ejus unum in univerſa Terra. Dabam Bernæ Helvet. XV. Calend. Febr. MDCCXLIV.

SUM-

* * * \

CAPITE VII. De DEISMO agitur, & quidem:

I. Illius datur *Definitio.* pag. 742

II. Oſtenditur *Error primarius* & qui cum illo connexi ſunt. pag. 743

III. Deismi indicantur *Cauſſæ.* pag. 746

IV. Hypotheſis Deiſtica *refutatur.* pag. 750

V. Additur *Objectionum* præcipuarum *Solutio.* pag. 756

CAPUT VIII. De EPICURÆISMO agit, cujus

I. Traditur *Definitio.* pag. 794

II. *Hypotheſis Primaria* cum *Erroribus connexis.* pag. 796

III. Hypotheſeos illorum *Refutatio.* pag. 801

IV. *Objectionum Solutio.* pag. 811

CAPUT IX. De ETHNICISMO, ubi habetur

I. Ejus *Definitio*, variaque indicantur *Genera.* pag. 827

II. *Error primarius* & qui cum illo connectuntur. pag. 830

III. Ejus *Occaſio Cauſſæ*que. pag. 840

IV. Hypotheſeos Gentilis *Refutatio.* pag. 843

V. Agitur hic etiam de falſis, optimaque Infideles ac Incredulos convertendi methodo. pag. 845

CAPUT

CAPUT X. De NATURALISMO. Traditur ibi

I. Ejus *definitio* atque *Genera*, pag. 881

II. *Hypotheſis Primaria* & *Errores* inde *fluentes*. pag. 883

III. Naturalismi *Cauſſæ*. pag. 902

IV. Ejus *Occaſio*. pag. 913

V. Hypotheſeos Naturalismi *Refutatio*. pag. 923

VI. Ab utraque parte *conceſſa*. pag. 929

VII. *Objectionum* præcipuarum *Solutio*. pag. 947

* * * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ

Ordine Scientifico dispositæ.

CAPUT VI.

De

Atheismo.

§. I.

ATHEISMUS est negatio Existentiæ divinæ, sive Entis à se, quod in se continet hujus Universi rationem. Illi, qui aut sibi persuaserunt, aut saltem dubitant, nullum tale Ens existere, vocantur ATHEI.

Atheos primos esse qui in Theologia Polemica refutandi sint demonstravimus (§. 106 - - 111.); hac enim ratione maxima Religionis obstacula primo removentur & via panditur ad minora etiam removenda; &, si possibile, eo ordine, quo Controversias cum Religionis veræ hostibus tractamus, ex Atheo fit Deista, ex tali Naturalista, ex hoc Christianus, & quidem talis cujus fides cum Revelatione conformis est; hoc ergo modo gradatim proceditur, quæ methodus maxime naturalis est; ordo etiam Articulorum fundamentalium id poscit, ut primarii Articuli, imo totius Religionis primaria veritas atque fundamentum, ante omnia adversus hostes defendatur, & postea etiam veritates ex illa sequentes; hoc modo si Theologiæ Polemicæ Capita seinvicem sequantur, in præcedentibus habemus principia, ex quibus in sequentibus alii ac alii Adversarii refutari possunt.

§. II.

An tales homines dentur, qui de Entis alicujus summi & primi Existentia aut nihil sciunt, aut qui non tantum aperte negant Deum existere, sed etiam hujus negationis intime convicti & certissimi sunt? Disputant Viri Docti; unde quæstio hæc non semel agitata fuit, An dentur Athei?

§. III.

Tota hæc disquisitio ad duo referri potest, primum hoc est, an reperiantur qui nullum unquam Numinis sensum habuerunt, aut qui de Deo instituti eo relapsi sunt, ut nullum Numen existere absque ullo conscientiæ morsu firmissime credant? Alterum annon tales existant, qui ad conscientiæ morsus sedandos argumenta undiquaque conquirunt, quibus Entis perfectissimi & Justissimi existentiam impugnare possint, quique conscientiæ suæ dictamen eousque sufflaminant, ut saltem de pretiosissima hac Veritate dubitent?

Prius

Prius disquirere institutum nostrum non postulat, posterius vero per experientiam certissime constat.

Notissimum nimirum est, vocem Athei non ab omnibus eadem sumi significatione, mox enim strictius, mox latius accipitur; priori modo de iis, qui aperte se convictos esse profitentur nullum Numen omnium rerum caussam & gubernatorem existere; posteriori vero de iis, qui talia fovent dogmata, quæ hanc Veritatem aut in dubium vocant aut ejus certitudinem subruunt; prudenter autem maxime etiam hac in re agendum, ne cuiquam summe periculosum hoc dogma imputetur qui innocens est, uti sæpissime factum fuit; unde multa eruditissima edita sunt scripta, in quibus multi ab Atheismi suspicione liberati fuere. Propterea quenquam Atheismi stricte sic dicti in Opere Polemico meo accusare nolo, sed ad propositum meum sufficiet, eos refutasse vel Veritatis convicisse, in quorum animis, ipsis etiam invitis, conflictus & dubia circa Existentiam divinam & Veritates cum ea connexas oriuntur; hoc si præstiterimus iis etiam arma præripiuntur, qui, si tales existunt, animum contra Veritatem primam hanc obfirmant.

§. IV.

Dubitatio de summi Numinis Existentia vocatur Scepticismus philosophicus. Cum vero, si vox Athei sensu mitiori accipiatur, de iis usurpetur, qui de Dei existentia dubitant (§. 3.), malo Scepticismum philosophicum Atheismo substituere, qui etiam Pyrrhonismus dicitur.

Licet perinde videatur, num aliquis Deum existere expresse neget & animum contra Veritatem hanc obfirmet; an vero Deum esse tantum dubitet; tamen si prius quis faceret majoris perversitatis ac maliciæ accusandus esset, quam ille qui Intellectus sui corruptione atque infirmitate adductus fluctuat, & ut ad majorem certitudinis cognitionis suæ gradum perve

niat subinde summis viribus annititur ; Priores Veritatem agnoscere nolunt, sed potius illam evitant ; unde etiam frustraneus esset conatus noster, si argumentis illos debellare vellemus ; Posteriores ex fluctuationibus suis emergere sæpius conantur, & argumenta conquirunt, quibus dubia sua removere queant : Hisce auxilium ferendum, ne in naufragio suo inviti pereant : Putat acutissimus BAELIUS in Lexico suo Historico-Crit. *in voce Pyrrhon. pag. 2482.* ex FRANCISCO MATHÆO VAYERIO *de la vertu des Payens. pag. 229.* aliquem ex Scepticismo hoc ad homines redundare usum, ut, cum ratio ex innumeris dubiis, quibus à veritatis cognitione præpeditur, eluctari non valens, tandem mentis corruptionem & infirmitatem agnoscat, & ad Religionem revelatam refugiat, tanquam ad certissimum in hac miseria remedium ; licet hoc subinde fieri possit, tamen quo animo BÆLIUS hæc dixerit judicare nolo.

Atheismi vero & Scepticismi historiam hic tradere nolumus, qui eam scire cupit adeat JENKINUM THOMASIUM, qui edidit brevem Atheismi Historiam. Celeb. BUDDEUM in primo Capite Thesium de Atheismo. REIMMANNUM in Historia Atheismi & Atheorum falso & merito suspectorum ; Venerabilem WALCHIUM Tom. I. Cap. VII. Tom. V. Cap. VII. *Der Einleitung zu den Religions-Streitigkeiten*, expectamus etiam eruditissimum opus à summe Rever. & Celeberrimo Tig. Theol. ZIMMERMANNO, quo illi, qui tam ex Veteribus quam modernis Atheismi accusati fuere, ab hoc crimine liberantur.

§. V.

Præter Scepticismum philosophicum aut Pyrrhonismum, Atheismo etiam accensetur *Spinosismus* & *Materialismus*.

§. VI.

Per *Spinosismum* intelligitur illa hypothesis, qua statuitur unicam tantummodo esse Substantiam,

tiam, duobus summis Attributis præditam, cogitatione scilicet & extensione infinita; prout autem duo hæc Attributa varie modificantur, etiam varia oriri vel corpora vel animas.

Ideo Spinosismus etiam Atheismi genus esse statuitur, quia, ut suo loco videbimus, Deum talem concipit, qui nec sapiens est, nec libere agit, nec omnia gubernat; cujus cuncta quæ in hoc Universo existunt partem efficiunt; quique propterea omnem Veri Dei Ideam evertit, omnem etiam Religionem tollit. Vide Ill. WOLFII Theol. Nat. Tom. II. §. 716.

§. VII.

Materialismus est illorum hypothesis, qui non admittunt nisi existentiam Entium materialium, & propterea si Deum esse concedunt, etiam illum pro Ente materiali habent.

Ratio, cur hi etiam in Atheorum censum veniant, non est, quod hæc doctrina cum Atheismo nexu indivulso cohæreat, ut nemo Materialista esse queat, qui non simul Existentiam divinam aut in dubium vocet, aut plane eam inficietur. Siquidem etiam TERTULLIANUS Deum corpore præditum sibi finxit; sed quia moderni, qui Materialismum profitentur, talia fovent dogmata, quæ ad Atheismum perducere possunt; *Materialista*, enim, (sunt verba Illust. WOLFII Tom. II. Theol. Nat. §. 620.) *per hypothesin suam admittere nequit nisi Deum qui sit Ens materiale sive Corpus*: In hypothesi Materialismi non repugnat Ens materiale sive Corpus esse Ens à se. Quamobrem facile sibi persuadet, ipsum Mundum materialem esse Ens à se. Atque adeo Materialista facillime in Atheismum prolabitur. cf. pag. 736

Πρῶτον ψεῦδος

Atheorum & Errores cum illo connexi.

§. VIII.

HYPOTHESIS PRIMARIA Atheorum patet ex ipsa definitione (§. 1.), & in hoc consistit, quod nullam admittunt extra hunc Mundum substantiam à se, quæ in se continet rationem Existentiæ hujus Universi, aut saltem de hac veritate dubitant.

CLEMENS ALEXANDRINUS Atheum ita definit: Ἄθεος μὲν γὰρ ὁ μὴ νομίζων εἶναι θεὸν: *Atheus quidem est, qui non putat esse Deum.* Stromat. Lib. VII. p. 504. & proprie is solus ita vocari meretur qui Deum esse aperte negat; malo tamen credere, unumquemque qui hoc facit, nisi concupiscentiis carnalibus plane omnem Conscientiæ morsum per aliquod tempus suffla minaverit, dubiis adhuc anxium teneri, num Sententia vel potius opinio hæc firmo fundamento nixa sit nec ne? ut desideret ex dubitationis labirintho tandem evadere.

§. IX.

Creatio est ille actus quo Mundus ex nihilo fuit productus (§. 666. cap. III.), hæc vero productio ab alio fieri non potuit nisi à Caussa ab ipso Mundo distincta, hoc est, à Deo (§. 667. 676. cap. III.), cum vero Athei Existentiam talis Caussæ non admittunt (§. 8.), sequitur illos etiam Creationem hujus Universi ex nihilo ex hypothesi sua negare, unde decantatissimum illorum Principium semper fuit *ex nihilo nihil fieri.*

Quo-

§. X.

Quoniam Athei Productionem Universi ex nihilo inficiantur (§. præced.), etiam statuendum ipsis est, existentiam rerum in hoc Universo comprehensarum, aut quoad materiam aut quoad ipsam formam, esse æternam.

Qui prius assumunt, ante Mundi ortum infinitam concipiunt particularum, quas Atomos vocant, copiam; quæ sunt talia corpora, quæ variis prædita figuris, variis angulis, partium tamen expertia sunt; Atomos hasce innumerabilibus sæculis in infinito spatio volitasse, & vario modo, propter gravitatem suam, motas fuisse, tandem vero ita inter se fuisse dispositas ut, cum ad seinvicem cohæserint & pro diversa figura sua varias etiam effecerint partes, ac propter continuum motum & pondus vel vim quandam attractivam quamvis ad genus & speciem suam tandem pervenisse; ut ita totum aspectabilem Mundum casu composuerint. Quam opinionem LUCRETIUS Lib. V. hisce exponit verbis:

Namque ita multa, modis multis, primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis
Ponderibusque suis consuerunt concita ferri
Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,
Ut non sit mirum, si in tales disposituras
Deciderunt quoque, & in tales venere meatus
Qualibus hæc rerum geritur nunc summa novando.

Alii vero ad posteriorem potius sententiam inclinare videntur, qua assumitur ipsam etiam hujus Mundi formam ab æterno extitisse, & sunt illi qui SPINOZÆ hypothesi magis addicti sunt.

§. XI.

Dum Atheus negat Mundum rationem suffi-

cientem existentiæ suæ habere in Ente alio à se distincto (§. 9.), ex illo facit Ens à se, & independens ab alio, quod sibi ad existendum sufficit.

§. XII.

Ens necessarium est, quod rationem existentiæ suæ in se habet (§. 283. cap. III.), ex Atheorum vero hypothesi Mundus ad existendum sibi sufficit (§. 11.), E. ex hypothesi Atheistica sequitur, Mundum esse Ens absolute necessarium, cujus existentia absolute necessaria est.

§. XIII.

Cum Mundus materialis consistat ex materia certo ordine, tum ratione coëxistentiæ, tum successionis dispositа (§. 669. cap. III.), hinc hujus Mundi essentia præcipue consistit in ejus ordine ; cum vero existentia hujus Mundi sit absolute necessaria, Mundi vero essentiam constituit ejus Ordo, E. si Mundus est absolute necessarius ex Atheorum hypothesi, etiam Naturæ Ordo est absolute necessarius.

Observandum hic est, dari quidem in rerum Universo ordinem necessarium, uti e. g. in veritatibus Mathematicis, sed datur etiam ordo contingens, qualem existere Atheus inficiatur, sed ipsi omnia sunt absolute necessaria.

§. XIV.

Ordo rerum in hoc mundo tam coëxistentium quam successivarum involvit, ut successio fiat secundum certas leges motus, alias ordo successivorum mox turbaretur, nec non eventum rerum naturalium qui juxta certum ordinem fit : & nexum, cum in ordine res una rationem in se continet

tinet cur altera simul adsit aut sequatur. Cum vero ordo ille ex hypothesi Atheorum sit absolute necessarius (§. præced.), E. etiam leges motus, eventus rerum naturalium, nec non nexus rerum, tum coëxistentium tum successivarum, est absolute necessarius.

§. XV.

Finis est id propter quod caussa efficiens agit. Cum autem Mundus sit Ens à se ab alio independens (§. 11.), nec adeo caussa sufficiente opus habeat, hinc Mundus non potest esse propter aliud; & cum ex hypothesi Athei nulla extra hunc Mundum existat Substantia, quæ ejus sit caussa efficiens & unum fecerit propter alterum, sequitur ex hypothesi Atheistica etiam nullum hujus Mundi dari finem.

§. XVI.

Mundus sibi ad existendum sufficit (§. 11.), propterea nec Conservatione opus habet (§. 734. 735. cap. III.); & cum nullus detur hujus Mundi finis (§. 15.), etiam non dari potest directio rerum ad finem, quæ vocatur Gubernatio (§. 750. cap. III.), in Conservatione autem & Gubernatione omnium rerum consistit divina Providentia (§. 756. cap. III.), ex hypothesi vero Atheorum per demonstrata, datur nec Conservatio nec Gubernatio rerum, E. nec Providentia.

Imo in hoc præcipue Athei fortissimum hypothesium suarum fulcrum invenisse sibi videntur, quod in multis in hoc Mundo occurrentibus tum rebus ipsis tum eventibus plurima reperiri exempla existiment, ex quibus nullam dari Providentiam, adeoque nec Deum, palam sit; unde Atheorum promachi in hoc

omnes intendunt nervos, ut divinæ Providentiæ dogma subruant, neque alia ad tuendam rem suam possunt adferre argumenta, quam quæ inde defumuntur, quod multa inveniantur, quæ cum Providentia plane conciliari nequeant. Ita LUCRETIUS canit Lib. V. de Natura rerum.

Præterea genus horriferum, natura ferarum
Humanæ genti infestum, terraque marique,
Cur alit, atque auget? cur anni tempora morbos
Adportant, quare mors immatura vagatur?
Tum porro puer, ut sævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitai auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo Matris natura profudit,
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.

Et in antecedentibus in eo est ut ostendat, multa in hoc terræ habitaculo inveniri inutilia

Principio, inquit, *quantum Cœli tegit impetus ingens*
Inde avidam partem montes, silvæque ferarum,
Possedere, tenent Rupes, vastæque Paludes,
Et Mare, quod late Terrarum distinet Oras.

Plura allegabimus cap. seq. ubi Providentia divina contra Deistas nobis adstruenda erit.

§. XVII.

Miracula ex vi Creaturarum non sequuntur (§. 395.), sive ex statu antecedente Mundi; sed produci debent à caussa extramundana (§. 397.), nec etiam fieri possunt, nisi ordo rerum immutetur

tur, qui propterea contingens esse debet. Cum vero Athei nullam admittant caussam extra hunc Mundum, quæ rationem in se contineat rerum quæ in hoc Mundo fiunt (§. 8.), & ex illorum hypothesi ordo rerum est absolute necessarius (§. 13.), hinc etiam nulla Miracula admittere possunt.

Inde est quod Athei veram Miraculorum rationem pervertunt, & ea nonnisi respective ad hominum opiniones posse intelligi arbitrantur: Ut nihil aliud significent, quam opus, cujus caussam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus, vel saltem ipse non potest, qui Miraculum scribit aut narrat. Sed distinguendum esse inter Miracula & mirabilia jam suo loco ostendimus. Cum vero concessis miraculis, in vera sua significatione sumtis, non possit non sequi, existere caussam aliquam extramundanam, quæ in se continet rationem eorum quæ in hoc Mundo fiunt, hinc Athei omnes intendunt vires ut probent, nec existere Miracula, nec ea possibilia esse, propterea omnia ea quæ contigerunt aut plane inficiantur, aut ita explicant, ut nihil in illis inveniatur, quod cum naturæ ordine conciliari non possiit.

§. XVIII.

Cum Religionis Naturalis fundamentum sit dependentia hominis à Deo Creatore (§. 772.), hinc qui hominis dependentiam à Deo & supremo ejus Dominio negant, ipsum Religionis Naturalis fundamentum penitus evertunt (§. 773.), Athei vero dependentiam illam negant (§. 11.), imo Deum ipsum Cultus objectum existere inficiantur (§. 1.), propterea etiam Religionem Naturalem dari negant.

Ex differentia inter Jus Naturæ & Religionem Naturalem (§. 1264.) patet, Atheum ideo Jus Naturæ non negare dum negat Theologiam Naturalem; sed hominem

nem ad illud exactissime observandum obligatum esse contendunt, & id sibi gloriæ ducunt, quod ab illius tenore non magis recedant quam alii homines, qui simul Religioni tam Naturali quam Revelatæ addicti sunt ; Imo Rempublicam ex meris Atheis compositam optime consistere posse defendunt, dum Atheus, non minus ac reliqui homines, universalem illam Juris Naturæ regulam observet, hanc scilicet, *quidquid meam & proximi mei*, hoc est, *integræ Societatis humanæ perfectionem promovet, illud faciendum est*, nempe respectu ad Vitam Civilem habito, *quidquid vero statum tum proprium tum aliorum imperfectiorem reddit illud faciendum non est.*

§. XIX.

Eandem etiam ob rationem, ob quam Religionem Naturalem dari inficiantur, etiam Revelatam existere negant, eamque nonnisi pro hominum callidorum commento habendam esse asserunt.

Plurimi Atheorum quidem multas res quæ Religio Revelata docet non negant, veram tamen illarum rationem non admittunt, sed plane pervertunt ; & nonnulli aperte profitentur, illius dogmata pro meris commentis atque fabulis habenda esse, & omnes Religionis Conditores nil nisi impostores esse. Ita non negant Mosen aliquem extitisse, qui populum Israëliticum per Desertum ex Ægypto duxerit, qui illis legem præscripserit, in quo multa reperiantur quæ optime sese habeant, & statui Reipublicæ Israëliticæ illorumque ingenio maxima cum Sapientia attemperata fuerint ; propterea Mosen ut rerum politicarum callentissimum subinde magni faciunt, propter sapientissimas quas dedit leges, & quod integro Populo tam diu fucum facere potuerit, ipsum extollunt : Sed quod legem hanc à Deo se accepisse finxerit, etiam maximum Impostorem fuisse perhibent, uti JORDANUS BRUNUS & NICOLAUS MACHIAVELLUS, non minus etiam TOLANDUS in tractatu cui titulum dedit Ἀδεισιδαίμων sive *Titus Livius à superstitione vindicatus*, qui, postquam de variis locutus fuisset Legis-

Legislatoribus, qui mendaciis & variis fraudibus legibus suis auctoritatem conciliarunt, & commercium cum Diis finxerunt pag. 8. addit: *Ita Delphis Licurgus ab Apolline & Minos à Jove in antro Dictaeo sua omnia didicisse, comminiscebantur, ut homines, nempe auctoritate divina devincti, legibus ab ipsis prolatis libentius obedirent. His atque similibus Moysen, Hebræorum legislatorem assimilare non addubitat Diodorus Siculus; sed in hac Mosis cum aliis comparatione, multo adhuc copiosior est Strabo Geographus*: Licet TOLANDUS de hisce Strabonis vel Diodori Siculi verbis judicium suum non proferat, illud tamen non tantum non refellit, sed potius subindicat sententiam hanc sibi nequaquam displicere; etiam §. VI. *in Originibus Judaicis* aliud Strabonis adducit testimonium, dicens: *Mosen enim vero fuisse pantheistam, sive, ut cum recentioribus loquar, Spinosistam, incunctanter affirmat in isto loco Strabo. Eum namque exhibet docentem, nullum dari Numen à Materia & compage hujus Mundi distinctum, ipsamque naturam sive rerum universitatem unicum esse & supremum Deum, cujus partes singulas Creaturas dicas, & totum si velis Creatorem.* Nec non de Christi Sapientia nonnulli magnifice sentiunt, ipsumque leges perfectissimas hominibus tradidisse profitentur, sed quod à Deo fuerit missus, quod ipse Deus fuerit, quod eum in finem in mundum venerit, ut Pacem inter Deum & homines restitueret, quod Miracula vera patraverit, quod ex morte resurrexerit, quod in Cœlum ascenderit, quod inde Spiritum Sanctum ad Salutem paratam hominibus applicandam miserit & alia ejusmodi dogmata præfracte negant; neque etiam ex hypothesi sua ea admittere possunt. Unde eum etiam in eandem cum Mose & Mohammede classem referunt.

Et

§. XX.

Et si nulla Revelata existit Religio etiam S. Scriptura divina esse nequit ; Unde Athei ejus Autorem negantes etiam divinam illius Auctoritatem impugnare debent ; quamobrem omnia ea conquirunt, quæ ad ejus divinitatem labefactandam facere putant. Propterea negatio Veritatis & divinitatis S. Scripturæ etiam inter Atheorum dogmata referenda est.

Unde contendunt, sacrum hunc Librum maxima incuria & caligine scriptum esse, ut nihil intricatius, nihil obscurius, legi possit ; multa in illo inveniri, quæ Juri Naturæ, quæ rectæ Rationi, quæ Veritati historicæ repugnent, multa contradictoria, multa, si Deus talis existeret qualem Christiani prædicant, summa illius Majestate maxime indigna, ibi occurrere. Libros etiam, qui Mosis & Prophetarum nomine adsunt, non ab ipsis illis Autoribus, quorum nomina præ se ferunt, scriptos fuisse, multi asserunt, sed posterioribus demum temporibus ab aliis compilatos & ex variis documentis consarcinatos esse. Prophetas vero fuisse homines Fanaticos, qui multa stolida atque ridicula in mente conceperint. Christum etiam Doctrinam suam uniuscujusque principiis & opinionibus sæpissime accommodasse. Apostolos in Christi Resurrectione deceptos fuisse, variis etiam fundamentis illos Doctrinam suam superstruxisse, unde tot in Ecclesia orta sint schismata ; tam loquendi quam differendi modum, quo in Epistolis suis usi sunt, satis indicare, eos non ex Revelatione & mandato divino, sed tantum ex naturali judicio suo scripsisse: & nihil illorum scripta continere, quam monitiones fraternas urbanitate mixtas ; à quo scribendi modo prophetica auctoritas plane abhorreat.

§. XXI.

Vaticinia sunt prædictiones de rebus futuris contingentibus.

Variæ

Variæ scilicet res sunt quæ prædici possunt ab hominibus, quæ ex caussis naturalibus continuo certis temporibus recurrunt, uti motus planetarum, inde oriens tempestatum varietas, ecclipses & alia hujus generis phænomena. Ita porro ex præsenti rerum statu per ratiocinationem sæpe etiam sequens conjici potest, præcipue ab hominibus longa experientia gnaris, dantur denique tales res quæ plane contingentes & in libera vel Dei vel hominum potestate fundatæ sunt, ut à priori præcipue multis retro sæculis à nullo, etiam mortalium sapientissimo, ex proprio intellectu prædici possint, & hæ vaticiniorum objecta sunt.

§. XXII.

Omnia quæ in hoc mundo eveniunt, sunt vel eventus naturales, vel miracula, tertium enim genus ostendi nequit, E. illi Eventus, qui per Vaticinia prædicuntur, sunt vel Eventus Naturales, vel Miracula.

§. XXIII.

Effectus naturales vocantur, quorum ratio ex statu Mundi antecedente reddi potest, quique propterea cum antecedentibus sunt connexi: Miracula vero, quæ proficiscuntur à caussa extramundana, quorum ratio ex statu antecedente rerum peti nequaquam potest. Ut ergo aliquis res futuras contingentes prædicere possit, requiritur vel ut totus caussarum secundarum nexus ipsi perspectus sit, vel ut sciat illo tempore miraculum aliquod futurum esse; Nexum vero hujus Universi, quatenus est contingens, prospicere nemo potest, quam illius Autor, qui ipse Deus est, & cum idem etiam sit Autor miraculorum (§. 397.): Futuras res contingentes & Miracula nemo prædicere potest quam Solus Deus.

Vatici-

§. XXIV.

Vaticinia vim humanæ mentis ſuperant & ea edere nemo poteſt, præter ſolum Deum, ſequitur ergo, ſi exiſtant vera Vaticinia, etiam illorum Autorem, ſcilicet Deum, exiſtere, illorum propterea certitudo firmiſſimum pro Exiſtentia Dei præbet argumentum.

§. XXV.

Cum Vaticinia non poſſint non habere Autorem Deum, & illorum certitudo firmiſſimum pro illius exiſtentia præbeat argumentum, mirum non eſt, quod Athei etiam omnia Vaticinia vere ſic dicta inficiantur.

Omnia ideo, quæ de prædictionibus vel Vaticiniis proferuntur, ad aſſerendam tum divinam exiſtentiam, tum S. Scripturæ divinitatem, vel pro meris hominum impoſturis & figmentis habent, & rationi non conſona eſſe aſſerunt, quia cum hominis libertate conſiſtere nequeant; aut illa adeo generalia & indeterminata eſſe, ut ad multos eventus applicari poſſint; aut libros, in quibus Vaticinia extant, demum poſt ipſum rei in illis annuntiatæ eventum conſignatos fuiſſe, perhibent; & in rebus, quas nos pro divinis habemus, idem accidiſſe quod in Gentilium Sacris, ut multæ Sacerdotum fraudes & impoſturæ interceſſerint.

§. XXVI.

Sed id, quod Atheos in Doctrina Veræ Religionis ægre habet, & propter quod Deum non exiſtere mallent, eſt Animæ immortalitas, hanc enim niſi metuerent, tam ſolliciti non eſſent ad certitudinem Exiſtentiæ divinæ & Religionis deſtruendam; ſed ad metum hunc excutiendum nihil intentatum reliquunt quo ea impugnent, quæ

quæ homini Peccatori & præcipue profano terrorem incutere possunt; Et ipsi propterea ingratas cogitationes excitat, unde vix Atheus datur qui animam hominis immortalem esse credat, cum hæc veritas illa sit, quæ ejusmodi homines maxime cruciat, quæ illorum voluptates turbat, quæ illis Deum ceu mali vindicem terribilem facit.

Sentiunt ejusmodi homines convictionem de animæ immortalitate Vitæ hujus deliciis ac tranquillitati multum obstare; metus de futuro animæ statu ipsos sollicitos tenet, unde metum hunc ex animo expellere tentant, uti LUCRETIUS de rerum natura Lib. III. canit:

Et metus ille foras præceps Acherontis agendus
Funditus, humanam qui Vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit;

propterea ad omnium rerum incertitudinem confugiunt; Cum Socrate, Democrito, Anaxagora, Empedocle nos nihil cognoscere, nihil percipere, nihil scire credere malunt, *quam Veritatem* sequi; opinionibus omnia teneri, nihil veritati relinqui, omnia tenebris circumfusa esse credunt, cum Protagora in rerum natura omnia dubia esse, cum Nausiphano, hoc unum certum esse quod nihil certum sit, censent; cum Dicæarcho Phthiota apud CICERONEM Quæst. Tusc. Lib. I. cap. X. sentiunt: *Nihil esse omnino animum, & hoc esse totum nomen inane frustraque & animalia & animantes appellari, neque in homine inesse animum, vel animam, nec in bestia. Vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis æqualiter esse fusam, nec separabilem à Corpore esse, quippe quæ nulla sit.* Incertum esse unde id, quod

in nobis cogitat, ortum suum habeat? Vel qualis ejus finis futurus sit? annon tenuissima aura sit, vel subtilissima sanguinis particula? an vero Ens à Corpore plane diversum & spirituale? non probabile esse, quod illud cum corpore non destruendum, sed in æternum duraturum sit,

Ignoratur enim quæ sit natura animai,
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur,
Et simul intereat nobiscum mente diremta
An tenebras orci visat, vastasque lacunas?

ait LUCRETIUS Lib. 1. De Animæ immortalitate Doctrinam à Paganis esse confictam, & ab Ægyptiis primo inventam, uti HERODOTUS opinatur, Histor. Lib. II. cap. CXXIII. πρῶτοι δὲ, inquit, καὶ τὸν δὲ τὸν λόγον Αἰγύπτιοι εἰσι εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπε ψυχὴ ἀθάνατος ἐστι. *Ægyptii primi sunt, qui animam hominis immortalem dicerent.* Vel juxta PAUSANIAM Chaldæorum & Indorum Magos hujus doctrinæ inventores esse, ita etiam TOLANDUS Epist. secunda ad Reginam Borussiæ scripsit; *Opinionem de immortali animæ nostræ natura primo fluxisse ab Ægyptiis ad Persas, deinde ad Græcos, & à Græcis ad Romanos ceterasque Gentes Europæas: ipsos vero Ægyptios hanc opinionem hausisse ex nimio & superstitioso mortuorum cultu.*

§. XXVII.

Negata mentis immortalitate omnis etiam vel Pœnæ vel Præmii post hanc Vitam metus vel spes plane sufflaminatur; nec etiam, negata Dei & mali Vindicis & boni Remuneratoris existentia, illi locus esse potest: quæ extrema Atheorum anchora & ultimum consolationis refugium est.

Licet optant, ut Anima sua etiam post mortem in statu felici perennet, tamen propter rationem vitæ anteactæ hoc

hoc sibi polliceri non audentes, malunt cum SENECA in Consol. ad Marc. solatium suum in hoc quærere: *Nullis defunctum malis affici. Illa, quæ nobis inferos faciunt terribiles fabula est. Nullas scimus mortuis imminere tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, nec reos ullos, in illa libertate tam laxa, nullos iterum Tyrannos. Luserunt ista Poëtæ, & vanis nos agitavere terroribus. Mors omnium dolorum & solutio est & finis. Ultra quam mala nostra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur jacuimus, reponit.* Et cum CALLIMACHO Epigr. Lib. III. cogitantes: Ὦ Χαριδα, τί τὰ νερθε, πολυσκοτος οἰδ' ἀνοδοι τι, ψευδος; ὁ δε Πλάτων, μῦθος, ἀπολόμεθα. *O Charida! quidnam est infra? Tenebræ multæ. Reditus quid? Nugæ. Quid Pluto? fabula, concidimus.* Cum Sadducæis, homini nec præmium, nec pœnam, nec spem ullam esse, credentes, & vetus illud Proverbium suum faciunt: *Deo servire inane.* Malach. III. 4.

§. XXVIII.

Hæ sunt præcipuæ illorum hypotheses qui Athei dicuntur, quas ex πρώτῳ ψεύδει illorum deduximus, qui de Religione sibi triumphare videntur, & supra communem hominum sortem evectos se putant

Ut despicere - - queant alios, passimque videre
Errare, atque Viam palantes quærere Vitæ,
LUCRET. Lib. II.

§. XXIX.

Ex hisce videmus quinam præcipui Atheorum Characteres sint, quos notavit Vener. ZIM-

MERMANNUS in Diſſ. de Cauſſis magis ac magis invaleſcentis incredulitatis P. II. p. 20. & ad ſequentes referri poſſunt. α. Quod quavis data occaſione momentoſiſſimas Veritates captuque difficiles impugnant atque explodunt, illasque ſerio examine indignas eſſe perhibent, & cum nulla ſit Religio, perinde etiam eſſe quamcunque profiteamur.

Obſervandum nempe eſt, ejusmodi homines ſemper fere legibus moribusque ſui ſæculi, & regionis in qua vivunt, ſe attemperare; Unde SEXTUS EMPIRICUS de Scepticis refert Lib. VIII. de Diis. *Fortaſſe*, inquit, *etiam cautior & tutior invenietur Scepticus, quam ii qui aliter philoſophantur, dicens, eſſe Deos ex moribus ac legibus patriis, & faciens quidquid ad eorum cultum & venerationem pertinet: quod autem attinet ad philoſophicam eorum inquiſitionem, nihil temere definit.* Quibus Verbis PETRUS de VILLEMANDY in Scepticismo debellato, Cap. IV. pag. 26. 27. addit. „ Egregia ſcilicet pietas! quæ „ ideo tantum Deum agnoſcit & veneratur, quia ſic „ à Societate ſancitum; colitque, ne concivium incurrat horrorem: de cætero an ſit, an vero non ſit, „ humana regat, an vero minime, prorſus ἐπέχει, neque ullatenus inquirendum opinatur. Hæc ſcilicet, „ ſi quando ad flagitium aliquod, vel utilitatis vel voluptatis illiciis inclinabit, ab ejus perpetratione Numinis hujus præſentia ac metu deterrebitur! quam „ facilis ab ea indifferentia eoque ſupremi Numinis „ contemtu ad Atheiſmum prolapſus!

§. XXX.

β. Quod ſub prætextu diſcrepantium in Religionis negotio opinionum, & ob ſententias in quas Orbis Chriſtianus ſciſſus eſt, omnia Religionis dogmata incerta eſſe ajunt, & nihil admittunt, niſi quod

quod cum Sapientia carnali atque affectibus convenit.

§. XXXI.

γ. Quæcunque in S. Codice continentur Rationis imbecillitati impervia, rident, nihilque admittendum censent, nisi quod Evidentia mathematica demonstrari potest, non attendentes ad differentiam inter res invisibiles, quæ fidei objectum sunt & ea quæ vel sensibus vel ratione cognoscuntur.

§. XXXII.

δ. Nihil magis despiciunt quam Sacrorum Ministros, sub prætextu superstitioni, cui addicti sint, Pedantismi; & quod in rebus credendis Dominium aliquod in reliquos sibi tribuant, quam ob caussam maxime homines sceptici sibi plaudunt, si ab uno vel altero Doctore Religionis caussa male defensa fuit.

§. XXXIII.

ε. Multa à Religione aliena defendunt, quia sunt paradoxa, nova atque insolita, eum in finem, ut supra vulgus sapere videantur.

Optime BAELIUS Dict. Hist. Crit. Tom. II. Tit. Des-Barreaux N. F. Edit. Bas. pag. 279. de ejusmodi hominibus judicat: *Il est assés apparent, que ceux qui affectent dans les compagnies de combattre les verités les plus communes de la Religion, en disent plus qu'ils n'en pensent. La vanité a plus de part à leurs disputes que la conscience. Ils s'imaginent que la singularité & la hardiesse des sentiments qu'ils soutiendront, leur procurera la reputation de grands esprits - - - Cette mauvaise habitude contractée d'un coté sous les auspices de l'Orgueil & de l'autre*

tre sous les auspices de la sensualité, emousse la pointe des impressions de l'education, je veux dire, qu'elle assoupit le sentiment des verités qu'ils ont apriſes dans leur enfance touchant la Divinité, le Paradis & l'Enfer; mais ce n'est pas une foy éteinte, ce n'est qu'un feu caché sous les cendres. Ils en ressentent l'activité dès qu'ils se consultent, & principalement à la vue de quelque peril. On les voit alors plus tremblans que les autres hommes.

§. XXXIV.

5. Incredulorum scripta, illorumque pretia magnificis extollunt laudibus: Libros, vitam, fataque Impostorum, qualis Apollonius Tyaneus, Muhammedes aliique, ita describunt, ut quæ manifeste inepta atque absurda sunt silentio involvant, vel omnem iis colorem concilient; ficta vero quæ iis tribuuntur Miracula & stulte dicta speciosis argumentis confirmare satagant, idque eum in finem, ut excellentiæ Religionis Christianæ & Salvatoris nostri dignitati detrahant.

Vide Celeb. ZIMMERMANNUM loco cit. Charact. XV.

§. XXXV.

6. Universalem tandem Scepticismum profitentur, quem haud raro variis argumentis aliis etiam persuadere conantur.

Causſæ Atheismi.

§. XXXVI.

Vulgatissimum Atheorum dictum est, *Timor fecit Deum*; sed ego potius dictum hoc convertendum esse censerem & dicendum, *in animis hominum profanorum Timor facit non-Deum.* METUM enim

enim proximam Atheismi vel Scepticismi causſam eſſe, quivis hoc morbo affectus facile deprehendet, ſi propriæ conſcientiæ dictamina audire velit.

§. XXXVII.

Quid enim aliud eſt, quod facit ut tales homines Deum fugiant, ut vellent illum non exiſtere, ut argumenta conquirant, quibus ſummi Numinis exiſtentiam incertam reddere conantur, quam METUS ? Si Conſcientia & Revelatio non dictarent Deum eſſe Juſtiſſimum, qui ſui contemtores puniat, quique adeo metuendus ſit, non tantum propter hanc, ſed inprimis propter alteram vitam; ſed ſi tam Ratio quam Revelatio contra dicerent, Deum facta injuſta minime punire, tantam ipſius Gratiam atque erga Genus humanum Amorem eſſe, ut cuivis quæcunque ſcelera patranti, illa absque ulla Satisfactione condonet, ſi nil niſi divina Clementia atque Miſericordia prædicaretur, certe tam ſolliciti non eſſent, ut ſibi & aliis perſuaderent, nullum tale Ens exiſtere, ſed potius optarent Numen aliquod dari, quod rerum humanarum curam gerat, & omnia in hominum bona dirigat.

§. XXXVIII.

METUS ergo Juſtitiæ divinæ hoſtis ille eſt, quem Athei debellare ſatagunt ; hoc, hoc eſt, quod ipſos in Religione male habet ; & hoc in Religione eſſe illud terriculamentum quod ipſos angit, ſtatim produnt, dum objiciunt, illam Deum facere crudelem & Tyrannicum Dominum; unde ſubterfugia quærunt, quo METUM hunc ex pectore excutere queant.

§. XXXIX.

METUS Divinitatis eſt Frenum illud, quod

homines continet, ne in omne nefas ruant; est id quod turbat voluptatum carnalium dulcedinem, quod facit ut homo tam securus vivere nequeat quam optaret; unde si homo voluptuosus est, si securus esse cupit, rerum futurarum curam ex animo ejicit, omnes dispellit dolores, qui animum inquietum reddunt, Metum futurorum malorum sufflaminare conatur, ad ipsum terroris hujus ingrati fontem progreditur, quo illum obturare queat, omnes intendit vires, ut certus fieri possit, dogma de summi Numinis existentia, ejus Justitia atque animæ immortalitate, merum hominum superstitiosorum commentum esse.

§. XL.

Ex hisce concludere licet, TIMOREM caussam non esse cur Deus fictus fuerit, sed potius METUM caussam proximam habendam, cur nonnulli homines Divinitati tam infensi sint. Sanctissimus Psaltes nos hoc jam docuit Psalm XIV. 1. dicens: *Stultus dicit in Corde suo non est Deus*, אין אלהים: ex quo vocabulo ratio patet, cur stultus peccator optet non esse Deum, nempe quia justus & mali vindex est, ab homine propterea cum timore colendus, quod vox אלהים significat; ideo ergo cupit Atheus Numen non existere, quia tanquam mali vindex timendum est.

§. XLI.

Si nunc inquirimus, quænam Metus hujus & hominis à Deo ceu Judice supremo aversionis caussa sit? facile quivis deprehendit esse Conscientiam malorum factorum, homini enim naturalis quidem ad prava quævis inclinatio connata est, quæ pro diversa malitia sese in uno homine magis

magis quam in altero prodit: nonnulli amore voluptatum plane incensi ad majorem etiam impietatem & infelicitatem grassantur; ejusmodi depravata natura præjudicia menti humanæ ingerit, ut sincero Veritatis amore & studio non amplius ducatur, sed cum ipsi insitus sit mendacii amor, non ad veri & recti normam, sed ad ea solum adtendat, quæ cum pravis animi desideriis conveniunt; maxime hæc perversitas crescit, quando homines mundo plane immersi sunt, ut omnem gustum bonorum spiritualium perdant, ut ad ea cognoscenda & sentienda inepti fiant, & illis nihil sapiat, nisi quod cum opinionibus suis convenit.

Ita Rever. OSTERWALDIUS in tractatu suo Auro contra caro de fontibus corruptionis pag. 249. rem exprimit, (verba latina afferam) „ Fieri, ait, non potest, ut „ ab eo, qui cor Mundo mancipavit, Religio & Virtus „ ametur. Nemo, inquit Dominus, duobus heris ser„ vire potest, & Johannes affirmat, in eo Amorem Dei „ non esse, qui mundum amat. Usque adeo spiritualia „ à corporalibus distant, ut ad hæc inepti fiant, quot„ quot illis valde occupantur. Nempe terrenis illis „ curis homines pedetentim tam carnales fiunt & ob„ bruteſcunt, ut nil nisi quod sensus afficit, percipi„ ant - - - Vilescunt, ubi res eo rediit, bona spiritua„ lia, ut homo ad illa pro merito æstimanda sincero„ que studio quærenda ineptus fiat &c.

§. XLII.

Mens vero non ita deciperetur, nisi simul adesset Intellectus cæcitas, cui pravæ opiniones ac affectus quammaxime officiunt; *Nubila enim mens est, vinctaque frænis, hæc ubi regnant;* inde fit ut homo pravis semel imbutus præjudiciis, ad ea non amplius attendat, quæ Veritati favent eam-

que afferunt; sed ea sola ipsi grata & accepta sunt, quæ cum opinionibus suis conveniunt, & ingratæ veritati nocere videntur, talis enim hominum natura est, ut in omnibus lubentius iis assentiant, quæ ipsis accepta, quam quæ ingrata sunt.

§. XLIII.

Causſæ hæ *generales* sunt, quæ Atheismo viam sternunt, sed aliæ adhuc accedunt, quæ his quasi efficaciam suam dant & mentem hominis plane perdunt, ut verum videre amplius nec velit nec possit; & cum hactenus adhuc incertus fuerit quam viam incedere velit, sequentia quasi superpondium addunt, ut sese in totalis corruptionis abyssum præcipitem det.

§. XLIV.

Primum in his locum *Ambitio* obtinet; admodum enim Carni gratum est, si hoc nomine sibi blandiri possit, quod intellectus suus supra eruditorum vulgus elatus sit, quod solus sapiat, solus videat, solus à præjudiciis liber veritatem noscat, & sententias singulares foveat: in hoc vitium etiam subinde incidunt homines ingenio præstantiori pollentes, qui non ideo studiis operam dant, ut meliores & sapientiores evadant, sed ut acuti ingenii & singularis Eruditionis laudem & famam acquirant; Inde fit ut eas Veritates, quæ hactenus ab omnibus sapientibus etiam judicio perspicacissimo pollentibus evidentissimæ & certissimæ habitæ fuere, impugnent, & vanitatem earum ostendant, quæ hucusque ab hominibus sanctissimæ habitæ fuere; hinc est quod momentissima Religionis dogmata rident, ut acuti ingenii

nii vires ostendant, dum res plane paradoxas in medium proferunt. Hujus rei plura extant exempla vetera & nova, quæ ut afferamus, brevitas, cui studemus, non permittit.

Vide BUDDEI Instit. Theol. Mor. Part. I. cap. I. Sect. IV. §. LX. Celeber. ZIMMERMANNUM Diss. cit. §. XIV. addimus, quæ dicit Autor libelli, cui titulus est *Præservatif contre l' Irreligion* ab eximio hoc Theologo citatus, pag. 21. „ La troisieme raison, qui oblige les „ orgueilleux à embrasser le parti de l' incredulité ce „ sont les eloges & les faveurs que les Luciens de no„ tre tems, les Libertins d'Esprit reçoivent d' ordinaire „ de leurs admirateurs, Lors que quelqu'un de ces „ malheureux Plaisans a appris l'art de tourner agrea„ blement la Religion en ridicule, & de faire des pas„ sages de l'Ecriture sainte la matiere de ces bons „ mots, celui est un metier singulier pour s'attirer les „ applaudissemens de ses sectateurs, qui sont pour le „ plus part des jeunes debauchés & des personnes de „ qualité, dont la vie s'accommode bien mieux de l' „ Irreligion que des maximes rigides de l'Evangile. „ Chacun l'encense a l'envi & l'eleve jusqu'au ciel „ comme un genie du premier ordre. Il fait les de„ lices des Societés & des fêtes profanes. On le com„ ble d'honneurs, de caresses, de bienfaits & on „ n'oublie rien de tout ce qui peut flatter sa vanité. „ Qu'y a-t-il de plus capable de chatouiller l'Amour pro„ pre d'un orgueilleux, qui a le funeste talent de di„ vertir les impies aux dépens de la Religion & de se „ procurer par là tant d' avantages.

§. XLV.

Accedit huic vitio naturalis quædam IGNAVIA, quâ homo ad Veritatem explorandam iners redditur, & ex qua oritur quædam à meditatione & lectione rerum ad Pietatem facientium aversio, divinæ Veritatis neglectus, & inde nascens vilipendium; unde nulla unquam Doctrinæ cœlestis in talis hominis animo fuit convictio, multo minus

minus ad vitam recte instituendam usus; ex quo neglectu, post amissam semel veritatem, quisque facile in Errores gravissimos, imo propter rerum spiritualium nauseam inde orientem, in ipsum Atheismum se præcipitem dat: præcipue si illius animus aut vasto aliarum scientiarum ambitu, aut magna rerum politicarum cura, aut vitæ inordinatæ turbationibus, aut denique voluptatibus atque affectibus pravis, distrahitur, ut meditatio rerum spiritualium ipsi plane molesta fiat & fastidium creet. Quod vitium homini maxime invisum tamen communissimum est.

§. XLVI.

Internis hisce *caussis* etiam externæ quædam addendæ sunt, quarum sequentes præcipuum tenent locum; prava educatio, hominum impiorum commercium, malus studiorum suorum usus, librorum denique profanorum lectio.

§. XLVII.

Horum *primum* quod attinet dici, vix potest quantum ad præparandam Atheismo viam faciat, si puerilibus animis non vera Dei cognitio, sincerus illius amor ac pietas instillatur, sed potius ab his avocantur adolescentium animi, illisque, omissa vera Dei notitia, nil nisi externa quædam honestas, ambitio, profanæ eruditionis ostentatio, imo sæpissime etiam Ministrorum Sacrorum contemtus ingeneratur, inde aliter fieri nequit quam ut Religio ejusque Amor nullum inveniat locum, sed potius despectus aliquis animum occupet; præcipue etiam si V. D. Ministri nonnunquam Religionis caussam male in concionibus sacris agunt, & Parentes Liberis præsentibus conten-

temtim eos taxant, fit ut Pueri, Religionis gravitatem, à Miniſtrorum Perſonis, dignitate, dexteritate aut ignorantia metiantur; quaſi ipſimet Religionis Auctores & diſpenſatores eſſent.

§. XLVIII.

Nec minus etiam cum profanis hominibus *Converſatio* mentem de veritate pedetentim dubiam reddit; dum enim ſæpius, præcipue in juvenilibus annis, ſermones improbos audimus, mens hujusmodi rebus aſſueſcit, ut primo Veritatem non amplius tanti faciamus; deinde orto vilipendio eam in dubium vocemus: & tandem Scepticismo victas manus demus. Sed hoc experientia adeo notum eſt, quod colloquia prava & animum & mores corrumpant, ut vetus jam fuerit proverbium 1. Cor. XV. 33. Unde hæc monuiſſe ſufficit.

§. XLIX.

Tertio etiam *nonnulla ſtudiorum genera*, ſi aut non recte fuerunt exculta, aut male adhibita, Scepticismo anſam dare poſſunt; res enim optimæ & innocentiſſimæ ſubinde abutentibus in perniciem cedunt; Qui ex. gr. lectioni litterarum, quas vocant, humaniorum ſemper operam dant, amore Ethnicorum Scriptorum & Poetarum ita capiuntur, ut divini quid in illis deprehendiſſe ſibi videantur & omnia ſacra faſtidiant, nullumque in integro Sacro Codice, quamcunque divinum & ſublime atque Dei Majeſtate dignum occurrat effatum, cui non aliud quoddam ex Poeta deſumtum opponant & anteponant. Ad ſoliditatem in Scientiis acquirendam ſtudium Mathematicum neminis non conſenſu omnino eſt utiliſſimum;

mum; sed haud raro fit, ut ii, qui non debitum ejus faciunt usum, postquam cogitationes suas methodo mathematicæ assuefecerunt, omnium rerum, historicarum etiam, demonstrationem mathematicam ex principiis, definitionibus & axiomatibus deductam postulent; & si fieri nequeat, rem aut impossibilem, aut saltem incertam habeant, non attendentes multa esse in quibus methodo huic plane locus esse nequeat; dolent etiam quod Moses, Prophetæ, Christus & Apostoli, Miracula sua, dogmata & præcepta, omniaque Religionis capita, & historica etiam, methodo mathematica non elaboraverint, sed ad captum vulgi, cujus tamen Religio magis quam eruditorum est, ea composuerint.

§. L.

Inter Scientias philosophicas vix datur studium, quod infinita Dei omnium rerum Creatoris & Conservatoris Attributa, Omnisapientiam præcipue & Omnipotentiam magis illustret, quam Physicum, in quo, ex Mundo, tanquam perfectionum divinarum speculo, Creatorem agnoscere discimus; sed cum multa in rerum nexu ac Universi natura occurrunt, quæ finitus intellectus nec intelligere nec propterea cum divina vel Sapientia vel Providentia conciliare potest; inde fit ut homo, propriæ imbecillitatis immemor, ex eo quod totum rerum omnium, tum simultanearum tum successivarum, in hoc Universo nexum perspicere non valet, neque propterea omnium rerum causas ac rationes indicare aut difficultates solvere potest, omnibusque dubiis occurrere, quæ circa Orbis administrationem tam in Regno Naturæ quam Gratiæ moveri possunt, concludat,

à justo

à justo tramite deflectens, rerum Gubernationem vel Providentiam non existere.

§. LI.

Ad verum conceptum de immensa Dei Magnitudine ac Majestate sibi formandum studio Astronomico vix quodquam utilius est; Cum enim Attributa divina ex operibus ejus cognoscantur, Magnitudo autem & Sapientia universi systematis hujus Mundi demum ex Astronomia recte addiscatur, in qua stupenda infiniti Creatoris opera patefiunt: inde demum per studium hoc ad veram immensi Creatoris notitiam pervenire possumus. Attamen hoc non obstante fieri potest, ut homo antea Veritatum divinarum non convictus, animum ad veram Pietatem compositum non habens, nec Deum in operibus suis quærens, sed solum curiositati aut ambitioni satisfacere satagens, tandem in hoc studio ceu labirintho misere oberret; dissipantur nimirum pedetentim cogitationes dum in orbibus illis cœlestibus stupendæ magnitudinis quasi circumvagantur, ad res sacras meditandas omne desiderium, ad res spirituales omnem gustum amittunt, quæ huc spectant vilescunt in ejusmodi animis, ut ea quæ ad Mundi hujus structuram non pertinent consideratione sua indigna ipsis videantur & ita mens à contemplatione sui ipsius status moraliter imperfecti & propriæ miseriæ, necessitatis Religionis Revelatæ ejusque Veritatis, Medii liberationis, ejusdem applicationis, abducitur, paulatim veneno Scepticismi inficitur, ac Atheismi periculum incurrit.

§. LII.

Tandem Librorum ad Atheismum ducentium Lectio

tio maxime periculosa est; Venenum in illis contentum ita serpit, ut per omnes venas sese exserat antequam homo se illo infectum sentit; Reliquiæ veritatis, quæ in corde hominis supersunt, suffocantur; errores enim in ejusmodi scriptis speciosis coloribus fucati & modo maxime probabili propositi sunt, Veritas contra ridicule admodum & modo Sapientiæ humanæ maxime inconveniente & ingrato profertur, ut homini molestas ideas excitet; unde, antea non satis munitus, difficultates solvere nescius, erroris deliciis & illecebris capitur, ut qua ratione sese ex illis extricare possit amplius non inveniat.

Atheismi occasio.

§. LIII.

Dantur etiam res in se quidem Atheismi semina non continentes, quæ tamen pro vario subjecto varios etiam producunt effectus & per accidens etiam Atheismum promovere possunt, qui tamen scopuli, si homines modo velint, facile evitari possunt, dummodo mentem veritatis convictione præmuniant; inter hæc primo reputanda sunt Itinera, in se quidem non tantum innoxia, sed & valde utilia, ex quibus multum boni ad genus humanum redundat, sed si quis illorum non rectum faciat usum, ipsi valde pernicioſa evadere possunt; cum multis nimirum profanis hominibus sermones miscendi occasio datur, maxima hominum turba conspicitur, quæ rectum Dei Cultum atque Religionis exercitium parum curæ cordique habet; videtur maxima Religionum discrepantia, quarum tamen assectæ omnes firmi-

firmiter sibi persuadent suam solam veram esse: dubia inde in animo illius oriuntur, qui levem admodum Veritatis salutaris cognitionem habet; sc. unde fiat quod nonnulli plane irreligiosi, alii vero tot à se invicem toto cœlo differentibus Religionibus addicti sint? annon forsan inde hoc sit, quod omnia de Religione dubia atque incerta sint, ut non habeamus ubi tutum pedem figere possimus? qualia ratiocinia pestifera hominis mentem dubiam tenent, ut tandem quo se vertere debeat nesciat.

Hanc rationem Celeb. LAUFFERUS, ab itineribus suis redux, affert cur libellum suum de Atheo amente scripserit; cum enim in diversis Europæ partibus diversos homines profanissimos viderit & audiverit, in animum sibi induxit ostendere, Atheum omnium hominum longe esse absurdissimum & pessimum. Ut Juvenes quivis, quibus ejusmodi homines in itineribus suis occurrunt, habeant quo se adversus pernicioſam hanc pestem præmunire, ipsosque Atheos absurditatis convincere possint. Addit deinde; „Haud enim me latet, „quam pernicioſa & funesta sua sint plurimis itinera: „Alios qui metu Numinis non satis muniti, profanorum „colloquia & irreligiosi de Deo sermones; alios, quos „minimum de Religionis suæ veritate dubium vexat, „diversi, diversorum, quos vident, Populorum cultus „& variæ de rebus divinis opiniones, quarum singulæ „suis nituntur rationibus, saltem apparentibus, per„dunt, & in Atheismi barathrum præcipitant, ita ut inter „tot discrepantes de Religione sententias tandem ne„sciant, quid eligant, & cum Carneade à nullius stent „partibus, omnes simul impugnent. Hinc disertissimus DE LA BRUYERE Caract. de ce Siecle: des Esprits forts pag. m. 268. haud abs re: „Quelques „uns achevent de se perdre par de longs voyages, & „perdent le peu de Religion, qui leur restoit; ils vo„yent de jour à autre un nouveau culte, diverses mœ„urs, diverses Ceremonies; Ils ressemblent à ceux, „qui

ed. 1759. II. 257

„qui entrent dans les magasins, indetermines sur le „choix des étofes, qu'ils veulent acheter; le grand „nombre de celles, qu'on leur montre, les rend plus „indifferens; Elles ont chacune leur agrément & leur „Bienseance: Ils ne se fixent point; Ils sortent sans „emplette.

§. LIV.

Secundo ex his sequitur, Religionum diversitatem & unius Religionis in varias sectas divisionem Scepticismo quoque ansam præbere, dum propterea circa ipsam Religionis veritatem homines titubant.

Ita enim profani ratiocinantur, si Deus Religionis Auctor esset, illiusque curam gereret, Sapientia illius non permitteret, ut tantus illius esset dissensus, ut ipsi etiam Christiani maxime Religionis gratia seinvicem lacerarent, imo vi & ferro dissentientes extirparent; neque per divinam Providentiam fieret, ut tanta sectarum in Christianismo diversitas maximum Doctrinæ Christianæ fructum impediret & viam ad verum Religionis finem intercluderet. Jam olim CICERO Lib. I. de Nat. Deorum hoc observavit dicens: *Res nulla est, de qua tantopere, non solum indocti, sed etiam docti dissentiant: quorum opiniones, cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes; alterum fieri profecto potest, ut earum nulla: alterum certe non potest, ut plus una vera sit.*

§. LV.

Ansam *tertio* sumunt irreligiosi ab acerbis & omnem modum excedentibus Theologorum de rebus Religionem spectantibus disceptationibus, ac continuis rixis, etiam citra necessitatem, subinde de rebus quæ plane nullius momenti sunt, & quidem tanta animi acerbitate & infensis affectibus, ut illos Christianos esse non facile sibi aliquis per-

persuaderet, quem fugeret quamnam ipsi Religionem profiteantur; qua ratione non tantum risui sese exponunt, sed & ipsam Religionem calumniandi occasionem præbent. Non eo tamen hoc dicimus animo, ac si omnes de Religionis dogmatibus disputationes inutiles essent & non necessariæ, sed hoc volumus in illis modum tenendum, tam ratione materiæ, de qua disputatur, quam respectu modi Disputationis, ne christiani Amoris limites excedantur, sed contra Christi Apostolorumque exemplum in refutatione Adversariorum semper ob oculos habeatur.

JENKINUS THOMASIUS qui brevem historiam philosophicam de Atheismo scripsit Cap. II. §. V. pag. m. 13. rem ita exprimit; *Huc accedunt*, inquit, *theologorum digladiationes, & animorum acerbitas, de Articulis etiam non raro, qui neque bonos mores respiciunt, neque vitam æternam: Attamen si quis à receptis systematibus discesserit vel latum unguem, væ homini, de omni spe amicitiæ conclamatum est, & in Papatu pro hæretico habendus & vivicomburio, ni palinodiam cecinerit quantocyus puniendus: qui procedendi modus procul omni dubio spectantium animos tepore aliquo, vel potius odio adversus omnem Religionem imbuit;* paucis interjectis pergit: *Caveas velim existimes, me omnes de rebus divinis disputationes improbare; nequaquam; quia sæpe sæpius Ecclesiæ necessitas atque nostra officia hoc postulant: sed est modus in rebus: nollem homines Christianos se invicem proscindere & lacerare, ne profani quique tripudient, & in contumeliam Religionis conclament; ubi est vester Deus!*

§. LVI.

Vita porro Doctrinæ Christianæ parum respondens, non solum Christianorum in genere sed illorum præcipue, qui ad sacrum ordinem pertinent, nec non imprudentes sermones, quos multi ex his de Religione sæpius cum aliis miscent, illis, quorum animus jamjam Scepticismo favet, dicendi ansam præbet, quod si illi, qui Religionis Doctores & defensores sunt, qui de illius veritate maxime persuasi esse deberent, quorum officium esset alios in Veritate confirmare, de re sua certi non sint, sed ipsimet dubitent, si ipsimet nulla cum reverentia de Religione loquantur, nullo jure peti posse, ut alii sibi persuadeant omnia ita se habere, uti in concionibus sacris & alibi à Ministris Ecclesiæ traduntur.

§. LVII.

Huc denique referri possunt illi Libri, qui ad defendendam Religionis Veritatem scripti sunt, sed ita compositi, ut causa Dei male agatur, difficultates quidem proponantur, sed non tollantur; dici vix potest quantum veneni ejusmodi scripta, quamvis bono animo exarata, in corde relinquant; præcipue si talis in illa incidit, qui Veritatis nondum convictus in iis certitudinem quærit. Hisce plura addere institutum non permittit.

* * * *
* * *
* *

Hypo-

Hypotheseos Atheisticæ Refutatio.

§. LVIII.

Expositis Atheismi tum *Hypothesibus* ex primaria deductis, tum *Caussis*, tum denique *Occasionibus*, nunc ejus falsitas demonstranda est. Ab initio Capitis tertii Existentiam Substantiæ à se, ab hoc Mundo diversæ, quæ existentiæ hujus Universi rationem in se continet, adeoque ipsius Dei, ex rerum contingentia demonstravimus, & propterea hypotheseos primariæ dogmatum Atheisticorum falsitas inde jam satis apparet; ut autem Demonstrationi nostræ nil desit, ab indirecto etiam argumentabimur, Atheismum ad absurdum reducendo.

Tom. 1. p. 67-72.

Nemo fortius Atheismi fundamenta non tantum quassavit, sed plane subruit, quam Illustris WOLFIUS tum in tota sua Theologia Naturali, tum Partis II. Sect. II. Cap. I. cujus ope in nonnullis propositionibus utamur, quas nunc stabilimus.

Propositio I.

§. LIX.

Hypothesis Atheistica est contradictoria.

§. LX.

In notione Entis perfectissimi, cujus existentia adversus Atheos defenditur, comprehenduntur omnes Realitates compossibiles, adeoque nihil

hil ipsi tribuitur, quod seinvicem tollit sive contradictionem involvit, ut simul de eo aliquid affirmetur & idem simul negetur, qua in re contradictio consistit; quidquid autem nullam involvit contradictionem possibile est, (§. 322.); E. notio Entis perfectissimi possibilis est, consequenter etiam ipsum Ens perfectissimum possibile est.

§. LXI.

Dum Atheus negat existere Ens perfectissimum, illius notionem habet, sive scit quid nomine hujus Entis indicetur; nam de eo, cujus nullam notionem habemus, nec aliquid affirmare nec negare possumus, E. etiam juxta Atheum Notio Entis perfectissimi possibilis & ipsum tale Ens possibile est.

§. LXII.

Ens, quod rationem existentiæ suæ non habet in Ente alio, illam oportet habeat in ipsa Essentia sua; unde per ipsam ejus Essentiam intelligitur cur existat; consequenter ideo existit, quia hanc Essentiam habet; juxta Principia autem Ontologica Ens per Essentiam possibile est, ut ejus Essentia in possibilitate intrinseca consistat, unde Ens à se per Essentiam suam existens ideo existit, quia possibile est.

Hoc est privilegium Entis à se, quod, existens per Essentiam suam, adeoque per id per quod possibile est, ideo existat quia possibile est; quæ enim rationem existentiæ suæ non in se, sed ab alio habent, ideo nondum existunt quia possibilia sunt.

§. LXIII.

Atheus negat existere Deum (§. 1,). At Deus, qui est Ens à se, ideo existit, quia possibilis est,

est, (§. 62.), E. qui negat Deum existere, simul negat illius possibilitatem, atqui Atheus existentiam Dei negat; simul etiam ejus possibilitatem negat.

§. LXIV.

Ejus, quod impossibile est, nulla potest dari notio, nam cujuscumque claram & distinctam notionem habemus, id etiam possibile est, alias nulla posset dari veritas; quidquid ergo possibile est, ejus etiam notio possibilis est, atqui Atheus negat Entis perfectissimi sive Dei possibilitatem, (§. 63.), E. simul notionis ejus possibilitatem negat.

§. LXV.

Juxta hypothesin Athei notio Entis perfectissimi est possibilis (§. 61.), & juxta eandem notio hæc impossibilis est, (§. 64.), quidquid autem de una eademque re simul aliquid affirmat & negat contradictorium est, E. hypothesis Atheistica contradictoria est.

§. LXVI.

At dicit Atheus, ipsam Dei notionem contradictionem involvere.

§. LXVII.

Sed hoc est illud, in quo Atheus Intellectus sui vires experiri potest, si hanc assertionem suam demonstrare velit; illi enim ex Atheis, qui ex Intellectus abusu ad Atheismum prolapsi sunt, singulari præ cæteris hominibus judicii acumine gloriantur, unde nullo etiam negotio asserta sua demonstrare poterunt. Homo enim acutus nullam propugnat sententiam, nisi quam etiam ex indubiis & certis principiis legitime demonstrare potest;

cum enim nos asserta nostra demonstramus, & Dei, Mundi Autoris, existentiam probavimus, neque in notione Dei quidquam aliud comprehendimus quam quod possibile est (§. 60.); Optimo jure ab Atheo postulare possumus, ut dum asserit, Dei notionem contradictionem involvere, hanc suam assertionem etiam demonstret. At hoc ipsi impossibile erit.

Propositio II.

§. LXVIII.

Hypothesis Atheorum nullo nititur fundamento, nulla certa habet principia, consequenter nec demonstrari potest.

§. LXIX.

Quidquid demonstratur, id *vel per directum*, syllogismorum concatenatione, deducitur, ex propositionibus nonnisi veris, hoc est, definitionibus, axiomatibus & propositionibus vel demonstratis, vel quarum veritas à quocunque per se agnoscitur, aut experientiis indubitatis. Vel *per indirectum* ad absurdum deducendo; alius modus demonstrationis non datur; E. si Atheus hypothesin suam demonstrare vult, nempe non existere Deum, id faciat oportet vel per directum, idque aut à priori aut à posteriori, vel per indirectum.

§. LXX.

A priori ut demonstretur, non dari Deum, impossi-

possibile est; ad id enim requiritur, ut Atheus demonstret, Mundum hunc esse Ens à se & absolute necessarium, atqui contrarium demonstrari potest (§. 290. 296. Cap. III.), contraria autem simul non possunt esse vera, sequitur impossibile esse, ut à priori demonstretur, non esse Deum.

§. LXXI.

Ut hypothesis hæc, Deus non existit, à posteriori demonstretur, tales casus adducendi sunt, ex quibus legitima ratiociniorum connexione evinci potest, non dari Deum, quod iterum impossibile est. Ad hoc enim præstandum Athei talia ex Mundi hujus eventibus adducunt exempla, quæ cum sapienti hujus Universi gubernatione non consistere, adeoque Providentiam tollere, videntur; ex quibus deinde hunc Syllogismum formant, *non datur Providentia, ergo non datur Deus.* Sed jure ab ipsis petimus, ut demonstrent, hunc vel illum Casum cum sapienti hujus Mundi gubernatione consistere non posse; id autem ut exhibeant, necesse est ut sciant totum hujus casus nexum, non tantum cum omnibus rebus simultaneis, sed omnibus etiam successivis, quæ ex hoc casu sequuntur; hoc est, oportet noscant totum hujus Universi nexum, non præsentem solum, sed omnem sequentem, etiam cum tota relatione, quam casus ille ad omnes res tum coëxistentes tum sequentes habet; adeoque etiam omnes effectus, qui ex eventu hoc sequuntur; imo oportet demonstrent, ea quæ ex hoc eventu sequutura sunt per omnia futura sæcula, non sapienti ordine ad finem Universi, quem nos adstruimus, tendere, sed ei consequendo contra-

ria esse & repugnare; hæc vero finitum Intellectum superare ipse Atheus sive concedat oportet, sive ostendat, quid in posterum omnibus temporibus ex hoc sequuturum sit; quoniam ergo hoc præstare impossibile est, etiam ex dato aliquo casu judicari nequit, illum cum sapienti omnium rerum nexu consistere non posse, adeoque Providentiam tollere; cum vero hoc demonstratu impossibile sit, eoipso ex hoc demonstratu impossibile est, non existere Deum, Sapientem hujus Mundi Gubernatorem.

Videmus ex his, quantum incumbat Atheo, si partibus suis satisfacere velit: Verum equidem est, Atheos tales posse afferre objectiones, quæ solutu difficiles sunt, nequaquam tamen verendum est; illas solvi non posse: Et si argumenta illorum firma essent, etiam firma demonstratione niterentur, quod vi præsentis propositionis nequaquam præstari potest; & à nemine unquam Atheorum talis prolata fuit demonstratio, cujus vitium non ostendi possit, si ad formam artis reducatur, dum aut falsa assumunt principia, aut in forma ratiocinandi omnes peccant: Ex hisce simul apparet, quid factu opus sit, si Atheorum objectiones contra Dei, Mundi Autoris, existentiam prolatas solvere velimus, ne causam Dei male agendo veritati plus detrimenti quam utilitatis afferamus.

§. LXXII.

Reliquum est, ut hypothesin suam demonstrent per indirectum, contrariam sententiam ad absurdum reducendo, quod fit si demonstretur ex positione, quod Deus hujus Universi Auctor existat, absurda & impossibilia sequi; ad quod iterum requiritur, ut ex toto Systemate non tantum hunc vel illum Articulum, hanc vel illam partem, abstractam à reliquis, depromant ac absurditatis,

ditatis arguant; sed omnia in concreto & in relatione ad totum Systema considerandа sunt; tunc demum ostendi potest, in Systemate aliquo, sive Scientiæ alicujus, qualis Theologia Naturalis, sive Operis, quale totum hoc Universum, absurda contineri, si illud integrum cum omni suo nexu, omnibus modis, ordine, relationibus, quæ in rebus deprehenduntur, nobis perspectum sit; quis enim tam audax est, ut totum artificis alicujus opus absurditatis taxet, si minimam solum ejus particulam abstractam à cæteris cognoscat; quis igitur totum Universi Systema absurditatis taxabit, qui minimam tantum illius partem perspicere potest, uti omnis Intellectus finitus revera nil nisi arenulam cognoscit.

§. LXXIII.

Et quodnam illud absurdum est, quod Atheus ex Theologiæ Naturalis Systemate deducet? Sunt mala Physica & Moralia seriei hujus Universi connexa; atqui non modo demonstravimus mala physica, si ad totius Universi Systema referuntur, mala non esse (§. 468. Cap. III.), & mala moralia sapienti hujus Mundi gubernationi non repugnare (§. 533. 763. Cap. III.); sed impossibile etiam est, ut ex eventu aliquo singulari ab Intellectu finito totius Systematis absurditas demonstretur (§. 71. 72.); E. Etiam Atheo impossibile est, ut positionem illam, quod Deus Auctor hujus Mundi existat, ad absurdum reducat.

Non diffitemur, quædam afferri posse, quæ speciem aliquam habere videntur, sed propter id quod in re aliqua intellectui imbecilli nostro obscurum videtur, non negandum id quod in illa clarum, & ex firmis etiam principiis demonstrari potest.

§. LXXIV.

Cum ergo Hypotheſis Atheiſtica nec per directum, idque nec à priori (§. 70.), nec à poſteriori (§. 71.), nec per indirectum demonſtrari poſſit (§. 72. 73.): Sequitur, illam carere fundamento, neque legitimo modo ex certis principiis demonſtrari poſſe.

Propoſitio III.

§. LXXV.

In Atheorum Syſtemate mera eſt caligo: Ne minimæ quidem rei ratio perſpicitur: Poſito Deo, plana ac facilis omnium clavis habetur.

Verba hæc ſunt Theſis XIV. in Celeb. JOH. ALPH. TURRETTINI Cog. de variis Theol. capitibus.

§. LXXVI.

Dicimus hominem cum Ratione agere, quando omnes actiones ſuas dirigit ad certum aliquem finem, & fini illi conſequendo ſemper conformiter agit; unde cum ratione aliquid fit, ſi actio aliqua reliquæ ſeriei ita connexa eſt, ut fini conveniat. Viceverſa nulla cum Ratione agitur, quando vel ſine fine agitur, vel actio ita comparata eſt, ut fini non reſpondeat. Ubi ergo nullus eſt finis, ibi etiam ſine ratione aliquid fieri dicitur; ut cum ſecundum Atheorum Syſtema nullus hujus Mundi finis eſt (§. 15.): Liquet ex illorum hypotheſi, omnia

omnia in hoc Mundo sine ratione fieri; E. recte asserimus, ex systemate Atheistico ne minimæ quidem rei rationem perspici posse.

§. LXXVII.

In Nostro Systemate indicatur, quænam sit omnium rerum caussa prima & finis ultimus; unde, quantum per Intellectum finitum id fieri licet, omnium eventuum ratio reddi potest, ostendendo quomodo à caussa prima ad ultimum finem dirigantur; atque adeo in tota hac mole rationem esse, & certas, quibus pareant omnia, & ad fines suos decurrant, leges. Inde patet, quænam sit ratio existentiæ & continuatæ durationis hujus Universi, præcipue Creaturæ rationalis & integræ Reipublicæ Spirituum? quisnam ipsorum malorum, quæ huic rerum nexui implicita sunt, existat finis? Cur hic vel ille eventus in Mundo contingat? Adeoque in nostro Systemate plana clavis ad omnia habetur.

§. LXXVIII.

Ex hoc quanto intervallo ipsorum hypothesis à Systemate nostro superetur, quicunque attenderit facile perspiciet; & quantiscunque difficultatibus nostra prematur fides, infinite tamen plures majoresque in Adversariorum systemate occurrunt.

Si in nosmet ipsos descendimus, & in animo nostro perpendimus, quanta confusio atque mutatio in omnibus scientiis, omnique cognitione nostra, futura esset? quisnam non tantum mentis nostræ status, sed omnium hominum illorumque actionum conditio futura esset? si omnium omnino hominum animis hoc firmissime persuaderetur, ut nullus ipsis dubitandi locus superesset, nullum existere Numen, quod divinissima sua Sapien-

Sapientia omnia dirigat ad finem sapientissimum, omnia moderetur, quæcunque in Mundo eveniunt; quantum Chaos ac omnium rerum foret caligo? sed quanta in omnibus scientiis atque cognitionis generibus lux accenditur! quantæ in omnibus eventibus dispelluntur tenebræ! si unica & primaria hæc Veritas assumatur, existit Numen hujus Universi Caussa & Moderator; unde nostri præ Atheorum Systematis prærogativum Sole meridiano clarius fit.

Propositio IV.

§. LXXIX.

Atheus demonstrare non potest, Mundum esse Ens à se.

§. LXXX.

Ens à se vocatur, quod non opus habet vi alterius ad existendum (§. 302. Cap. III.); quodque adeo rationem sufficientem existentiæ suæ habet in seipso; tale autem Ens vocatur necessarium (§. 283. Cap. III.); Mundus vero est Ens contingens (§. 287. 290. Cap. III.), propterea nec necessarium, nec à se; Ut ergo Atheus demonstret, Mundum esse Ens à se, prius ab ipso demonstrandum est, Mundum non esse Ens contingens; hoc autem impossibile est, dum nullam involvat contradictionem illum etiam potuisse aliter esse (§. 287.): E. impossibile etiam est, ut demonstret illum esse Ens à se.

§. LXXXI.

Hæc propositio etiam sic demonstratur. Atheus aut ex eo, quod non existat Deus, infert, Mundum esse Ens à se, aut ex eo, quod Mundus

dus sit Ens à se, infert non dari Deum: atqui impossibile ipsi est, ut demonstret non dari Deum (§. 74.); inde ex eo, quod non existat Deus Mundi hujus Autor, male colligit aseitatem Mundi, dum præmissum demonstrare nequit; id ergo ipsi remanet, ut ex ipsa Mundi natura & constitutione deducat, Mundum esse Ens à se, cum vero Mundus sit Ens contingens, etiam hoc modo impossibile est.

Propositio V.

§. LXXXII.

Athei admittunt id in Systemate suo, quod impossibile est, nempe progressum in infinitum independentem, vel rectilineum, vel circularem.

§. LXXXIII.

Per Progressum in infinitum intelligimus, quando ab effectu præsente retrogrediendo nunquam pervenitur ad effectum primum & per illum ad caussam primam, nec etiam progrediendo ad effectum ultimum, qui non amplius fiat alterius effectus caussa.

Ita in generatione hominum esset progressus in infinitum à parte ante, si retrogrediendo à Filio ad Patrem, à Patre ad Avum, nunquam perveniretur ad hominem aliquem primum. Aut si in perceptionibus nostris, quarum una semper ex altera nata fuit, retrogrediendo nunquam perveniri posset ad aliquam, quam non præ-

præceſſit alia : progreſſus vero à parte poſteriori in infinitum talis eſt, ubi, nunquam interrupta ſerie, ſemper unus effectus ex altero in rebus contingentibus ſequitur ; de priori hic res eſt, de poſteriori vero nunc non quæritur.

§. LXXXIV.

Progreſſus circularis dicitur, Reſtitutio ſeriei cauſſarum ad eundem terminum à quo receditur.

§. LXXXV.

Talis progreſſus eſt, vel dependens vel independens ; dependens dicitur, ſi ratio continuæ revolutionis quærenda eſt, in Ente à cauſſarum ſerie diverſo : independens vero, ſi ratio ſufficiens cur ſeriei continua fiat revolutio in ipſa cauſſarum ſerie continetur.

§. LXXXVI.

Athei ſtatuunt, Mundum, aut quoad materiam, aut quoad formam, exiſtere ab æterno, adeoque principio carere (§. 10.) ; Mundus vero eſt contingens (§. 287. 290. Cap. III.) : ſeries autem rerum contingentium, ubi nec primum datur nec ultimum, eſt progreſſus in infinitum (§. 83.) ; Dum ergo Athei Mundum principio carere aſſerunt, etiam admittunt, à parte anteriori progreſſum in infinitum aut rectilineum aut circularem, ad quem tanquam ad ſacram quandam anchoram confugiunt.

§. LXXXVII.

Progreſſum à parte anteriori in infinitum impoſſibilem eſſe ita evincimus. Infinitum eſt ratione durationis, quod nec initium nec finem habet ; duratio infinita ab ante eſt, quæ nullum initi-

initium habet; E. Series infinita causarum contingentium ab ante est talis, quæ nullum habet initium.

§. LXXXVIII.

Quicquid infinitum est, illud mensurari impossibile est. Sit enim mensura ejusque numerus quantumlibet magnus, quem nominemus A, infiniti mensura. Quoniam magnitudinem metimur, quando iterata mensuræ applicatione determinamus rationem mensurati ad mensuram, numerus mensuræ A ad infinitum applicari debet, quoties requiritur, usque dum ad ejus finem pervenimus; Cum vero in infinito nullum sit initium vel finis, etiam reperiri non potest ubi mensuræ applicatio fiat & ubi illa desinat, unde nec concipi potest numerus, quo indicetur quoties mensura A sit sumenda, ut infinito fiat æqualis: E. nulla potest dari mensura A, qua infinitum metiri liceat.

§. LXXXIX.

Ex quo patet, quamcumque supponamus mensuram, illam tamen infinito prorsus esse heterogeneam, nec cum eo comparabilem; unde intelligitur infinitum omnem plane mensuram respuere, ut illud metiri non liceat. E. infinitum immensum est.

§. XC.

Sequitur igitur, omne quod metiri licet esse finitum.

§. XCI.

Unde contradictionem involvit infinitum mensurabile, aut quod idem est, immensum mensurabile.

§. XCII.

In ſerie rerum ſucceſſivarum datur numerus, unde cauſſæ ſive rationes ſibi invicem ſuccedentes numerari poſſunt, progrediendo vel à prima ad ſequentes, vel retrogrediendo ab ultima ad antecedentes; ita iniri poteſt numerus generationum, aut veritatum mathematicarum, progrediendo vel retrogrediendo à prima ad ſequentes, aut ab ultima aliqua in ſyſtemate quodam ad antecedentes, nec minus in omnibus aliis rebus, ubi ſeries ſucceſſivorum eſt, etiam adhiberi poteſt numerus.

§. XCIII.

Ipſe Numerus, quod nemo ignorat vel negat, eſt menſura; Cum vero numerus ad ſeriem ſucceſſivorum applicari poſſit, ſequitur, illam eſſe numerabilem, ſive quod idem eſt, menſurabilem: Et quantæcunque magnitudinis numerus aſſumatur, ſive quotiescunque multiplicetur, tamen retrogrediendo tandem pervenitur ad primum.

§. XCIV.

Cum ſeries ſucceſſivorum ſit menſurabilis (§. præced.), infinitum vero immenſum (§. 89.), ſequitur ſeriem ſucceſſivorum non eſſe infinitam ab ante, ſed quantacunque aſſumatur menſura vel numeri magnitudo, tandem perveniri retrogrediendo ad primum.

§. XCV.

Series ſucceſſivorum, quantæcunque magnitudinis ſit, eſt menſurabilis; ſive cum menſura comparabilis, adeoque finita (§. 94.): E. contradictionem involvit, dari ſeriem ſucceſſivorum abſolu-

solute infinitam, carentem initio & fine; quidquid vero contradictionem involvit id impossibile est, unde etiam impossibile est, dari seriem successivorum contingentium absolute infinitam.

§. XCVI.

Quoniam series successivorum absolute infinita impossibilis est; etiam Progressus retrogradus seriei infinitus impossibilis est, propterea Athei in Systemate suo admittunt quod impossibile est.

Non sine specie aliqua contra hanc demonstrationem nostram excipi posset, si id, quod infinitum est, mensurabile non sit, sequi, quod series successivorum à parte post, quam infinitam esse nemo non concedat, etiam mensurabilis non sit, id quod tamen experientiæ contrariatur; Cum infinitam illam seriei successivæ durationem semper certarum periodorum numero vel magnitudine metiri liceat, quanquam series illa in infinitum continuetur. Respondemus hic in infiniti notione committi fallaciam, & sumi pro sempiterna duratione, quæ omnino semper mensurabilis est, cum ab una parte habeamus initium, ubi mensuram applicare possumus, ab altera vero parte quamdiucunque aliquid duret, & quotcunque seculorum myriades effluxerint, tamen mensura semper iterum iterumque applicari poterit; ut durationi illi in omnia seculorum secula nunquam infinitudo aut æternitas absoluta à parte ante tribui queat, nec infinita dici possit sensu infinitudinis absolutissimo; ut adeo infinitudo sive æternitas ex parte post nunquam dari possit, sed progressus seriei semper adhuc finito comparabilis est, omnium sæculorum cursus semper finitus manet, ratione præterfluxæ durationis, licet nunquam cesset. Ex parte ante vero infinitudo sive æternitas successivæ seriei absolutissima assumenda est, quæ omni plane initio caret, nullisque adeo numeris absolvi aut computari potest; qualem durationem ex parte post nunquam dari posse, ex iis quæ diximus, clarissime patet; Notio ergo sempi-

ternæ durationis & æternitatis absolutissimæ, quæ omni initio caret, ab invicem distinguenda, posteriorem mensurabilem non esse demonstravimus; prior vero semper mensurabilis manet, & propterea exceptio hæc nulla est. Quotiescunque finitum finito addatur, quod resultat semper finitum erit: Unde quidquid absolute infinitum est, ex finitis compositum esse nequit; Ubi ergo nullum plane initium, adeoque infinitudo absolutissima deprehenditur, ibi etiam compositio ex finitis locum non habet, sed omnis finita mensura excluditur.

Exempla omnia etiam, quæ occurrunt, ostendunt progressum rationum in infinitum dari non posse, sed quæstionem cur res sit, tandem in prima aliqua sisti, quod etiam principium rationis sufficientis postulat (§. 275. Cap. III.): Ita demonstrationes Mathematicorum per analysin rationum tandem in principio aliquo sistuntur, ut non amplius quæri possit, cur hoc sit? nullas quidem hi præmissas minus evidentes sine ulteriore probatione assumunt, attamen nec probationum series in infinitum progreditur, sed tandem in ipso contradictionis principio sistitur. Nec minus in omnibus rebus, quæ numerari possunt, adeoque in omnibus successivis, ad primum perveniatur oportet, quantacunque numeri series sit.

§. XCVII.

Quoniam progressus rectilineus infinitus ex parte ante impossibilis est, in hypothesi Athei progressus circularis infinitus independens locum habere debet; quod probatione non indiget. Si enim Atheus eo adducatur, ut progressum rerum circularem infinitum dependentem admittat, eo redactus est, ut concedere cogatur, Ens extra rerum seriem constitutum & ab illa diversum, adeoque Substantiam à se, quæ rationem seriei illius circularis in se contineat, existere, quod si concesserit, ipsi etiam demonstrari potest, Deum Mundi hujus Autorem existere.

In

§. XCVIII.

In progressu circulari infinito independente, ratio continuatæ revolutionis sufficiens in ipsa serie successivorum contineri debet, cum sit independens: In serie vero circulari status primus ibi incipit, ubi definit ultimus: cum vero in omnibus eventuum seriebus antecedens rationem sufficientem in se contineat consequentis, sequitur, aut primam caussam à reliquis ex illa sequentibus esse independentem, & omnium reliquorum rationem sufficientem in se continere: aut effectus ultimus in serie illa circulari in se continere debet rationem sufficientem caussæ primæ, quæ iterum per revolutionem statum aut effectum ultimum sequitur. Prius esset contra hypothesin atheisticam, ita enim non tota series circularis independens esset, sed à caussa prima dependeret secunda, à secunda tertia, à tertia quarta, ab hac omnes sequentes: Omnes ergo à prima dependerent; prima autem esset independens, & propterea à se, ac per hoc à reliquis diversa, neque sub idem cum reliquis genus referri posset; aliud enim est Ens à se & independens, aliud dependens; si vero hoc admitterent Athei, statuerent Ens a se & independens, quod in se contineret rationem sufficientem omnium entium & eventuum, qui in serie illa circulari, hoc est, universo Mundo continentur, & quod consequenter reliquorum Autor esset: Hoc vero ipsorum hypothesi conforme non est.

§. XCIX.

Secundum igitur ipsis statuendum est, nempe effectum ultimum in una revolutione fieri caussam caussæ primæ in revolutione sequente:

Sed sequitur inde caussatum, hoc est, effectum ultimum esse caussam caussæ suæ sive rationem in se continere, cur id à quo existentiam accepit existat, quod contradictionem involvit & propterea impossibile est.

§. C.

Si vero Adversarii assumant, dari principium aliquod, à quo progressus circularis dependeat, aliquid admittunt quod hypothesin suam impugnat (§. 97.): Dum per illam progressum circularem independentem admittere tenentur. Quicquid igitur statuant, aliquid admittere tenentur, quod suæ hypothesi contrariatur, aut quod impossibile est, prius facere non possunt: E. in hypothesi sua, quod detur progressus circularis infinitus ac independens, admittunt aliquid, quod impossibile est.

§. CI.

Quoniam itaque progressus infinitus rectilineus rerum contingentium (§. 95. 96.), & circularis independens (§. 100.) impossibilis est, alterutrum tamen Athei admittere teneantur (§. 86.), Sequitur, illos per hypothesin suam admittere quod impossibile est. Q. E. D.

Distinctius paulo hæc fuerunt evolvenda, ut constet, quodnam absurdum cum impia hac hypothesi necessario connexum sit, eversa enim hypothesi primaria Errores reliqui sponte cadunt; facilius enim est & brevius hypothesin primariam evertere, ut cadant Errores ex illa sequentes, quam quemvis Errorem seorsim impugnare, & ex hoc demum hypotheseos falsitatem concludere. Et si impossibilitas demonstrationis non existere Deum demonstretur, maximum etiam huic præjudicio affertur præjudicium; unde *DE LA BRUYERE des Esprits forts* dicit: *L'impossibilité, ou je suis de*

ed. 1759, II, 260

de prouver, que Dieu n'eſt pas, me decouvre ſon exiſtance. Athei enim dicere non poſſunt, quare non ſit Deus Ens omnium perfectiſſimum, vel non eſſe poſſit, ſed nullis rationibus ſuffulti illum ſimpliciter exiſtere negant, & abſolute impoſſibilia aſſumere malunt.

Propoſitio VI.

§. CII.

Athei ex Mundo aufferunt id quod eſt pulcherrimum, adeoque dignitatem ejus quammaxime deprimunt; Qui contra Deum Mundi hujus Autorem & Gubernatorem exiſtere admittunt, pulchritudinem & dignitatem Mundi aſſerunt.

§. CIII.

Pulchritudo conſiſtit in ſapientiſſima omnium partium, ex quibus totum conſiſtit, harmonia ſive conſenſu, tendente ad finem, propter quem res aliqua exiſtit, conſequendum, per quam res apta fit, ad voluptatem ſpectatori producendam.

§. CIV.

Liquet, pulchritudinem eſſe majorem perfectionis alicujus gradum; Uti vero hæc eſt vel vera vel apparens, etiam pulchritudo ſic diſtinguenda eſt. Unde unus homo aliquid pulchrum eſſe dicit, quod alter tale eſſe negat, & uno tempore

pore nobis pulchrum videtur, de quo alio tempore aliter judicamus.

§. CV.

Patet etiam de vera pulchritudine judicare neminem posse, nisi qui & finem operis alicujus, & partium illius harmoniam perspectam habet.

§. CVI.

Mundi igitur maxima perfectio & pulchritudo consistit in sapientissima omnium partium harmonia, conspirantium ad finem generalem aliquem, quæ in animo sapientis spectatoris voluptatem producit.

§. CVII.

Athei negant dari communem aliquem hujus Mundi finem (§. 15.), propterea etiam negare tenentur, sapientissimam omnium illius partium harmoniam ad illum finem tendentem; Cum vero in hoc vera Mundi perfectio & pulchritudo consistat (§. 384. Cap. III. §. præced.): Sequitur Atheos negare id quod in Mundo perfectissimum & pulcherrimum est.

Ex mente nimirum Atheorum, in Universo hoc illiusque operum & partium consensu universali plane nullæ Sapientiæ Leges locum habere possunt, cum nullum Ens ab illo diversum existat, quod omnia sapienter ad finem aliquem dirigat, nulli ergo Sapientiæ, nulli perfectioni generali locus datur, maxime propterea Universi hujus dignitatem deprimunt, & bruto quodam motu omnia fieri contendunt; sed si Deus existat, quantum pulchritudinis atque perfectionis, quantum Sapientiæ in omnibus operibus deprehenditur.

Athei

Propositio VII.

§. CVIII.

Athei negant, Deum omnium entium optimum existere: supponamus hanc illorum hypothesin veram & omnium hominum menti impressam esse; sed quam optabile tum generi humano foret, Deum Mundi hujus Gubernatorem existere: negant ergo id quod optimum & maxime optabile est.

§. CIX.

Si Deus existit, ipsi competit Bonitas absolute summa (§. 514. Cap. III.): Qua pronus est ad creaturarum suarum felicitatem promovendam (§. 513. l. c.), propterea creaturas suas amat, & illarum infelicitatem non vult (§. 516. 517. l. c.): neque illius amori obsistit, quod hominum mala facta improbat, sed etiam iis benefacit qui mali sunt, ita ut inter bonos & malos ratione felicitatis nullum videatur discrimen; Neque per Systema Theologiæ, quod Cap. III. tradidimus, Deo tribui potest, quod homo sit infelix; sed potius Deus munificum sese exhibet erga quamvis suarum creaturarum, & tantum boni cuilibet tribuit, quantum percipere capax est (§. 514. Cap. III.), & ea qua est Bonitate ipsa etiam ma-

la quæ homini accidunt in illius bonum dirigit (§. 537 - 539. Cap. III.); Unde Deus haudubie Optimus dici meretur.

§. CX.

Maxime optabile est id, quod statum nostrum perfectiorem reddit, adeoque felicitatem nostram promovet, & facit ut ipsum etiam malum ad felicitatem majorem suum contribuat: Si vero Deus existit, revera talis est (§. præced.): E. Generi humano nihil optabilius esse debet quam Deum existere.

§. CXI.

Athei negant Deum hujus Mundi Gubernatorem existere (§. 8.): Atqui Generi humano nihil optabilius esse potest, quam Deum existere (§. præced.): E. Athei negant id, quod si non existeret, nihil optabilius esset, quam illud existere.

Propositio quidem hæc sola Atheismum non evertit, eo tamen facit, ut appareat, Atheos non sapienter agere, quod tanto studio Ens illud debellant, quod non tantum non odio dignum, sed ex cujus existentia maxima generi humano redundat utilitas, & quo nihil desiderabilius est; non ergo homines habent cur tantopere studeant, quomodo ejus existentiam impugnare queant; Quisnam quæso ex Civibus optaret Principem non existere, cujus facta omnia amorem subditorum spirant, & eo tendunt, ut illorum salus promoveatur, qui summe amabilem erga quemvis sese exhibet, erga omnes & singulos maxime munificum se ostendit, mala quæ ipsis eveniunt huc flectit, ut in eorum bonum cedant? quis quæso mallet Anarchiam quam ejusmodi Principem? Nisi forsan scelestissimi omnium, qui vellent nullum justum Judicem existere, qui eos punit, quorum facta ad plenariam Reipubli-

cæ

cæ perniciem tendunt, quique Principem alias clementissimum simul & munificentissimum ideo non existere optant, ut quidlibet faciendi ipsis æqua potestas sit; Videant ergo quibus se pares faciant Athei, dum Optimi totius Reipublicæ Spirituum Moderatoris existentiam inficiantur & impugnant. Optime Celeb. LAUFFERUS in Libello, in quo Atheum omnium hominum absurdissimum esse ostendit, pag. 8. ita ratiocinatur „ Si Deus non est, quæ tandem amentia, umbram odio prosequi, vel id quod non est, & tanto odio, ut quidam, qualis Mahomet Effendi Constantinopoli ob Atheismum Capite plexus, Vannini Tholosæ concrematus & alii, dirissima quævis pati, quam Ens summum asserere maluerint; Cum tamen etsi falsum dixissent, nullus Deus ultor ipsis metuendus fuisset; Imo tantum abest, ut Deus si existat odio sit habendus, ut potius si non existat, cuivis bono tale Ens esset optandum; quod hominem summe beare, & cuivis pro meritis retribuere posit, ἐ γὰρ παρ' ἄλλων γ' ἂν τις μείζω ἐλπίζων σωφρονοίη ἢ παρὰ τῶν μέγιστα ὠφελεῖν δυναμένων. Non enim quisquam mentis compos ab alio majora speret bona, quam ab iis qui maxime nobis prodesse possunt, inquit, Xenoph. de Fact. & Dict. Socr. Lib. IV. & Seneca de Benef. Lib. IV. cap. 1. Deos nemo sanus timet. Furor est enim metuere salutaria.

Propositio VIII.

§. CXII.

Dum Athei existentiam Benignissimi & Justissimi Mundi hujus Gubernatoris impugnant, existentiam ejus Entis inficiantur, sine quo nequidem Societas humana subsistere posset.

§. CXIII.

Ii, qui Atheismi cauſſam agunt, perhibent, in illo vitæ peſſimæ patrocinium nequaquam reperiri, neque Atheum neceſſario actionibus malis delectari; Sed virtutem honeſtatemque eorum multum laudant, imo illos non minus honeſtos eſſe poſſe, ac ii ſunt, qui aliis ſectis addicti, aut veri Dei cognitione imbuti, huicce vita moribusque non conformiter vivunt; dum etiam Atheus boni ac mali diſcrimen in Vita civili admittat.

Huic ſententiæ multis verbis patrocinatur ſubtiliſſimus PETRUS BÆLIUS, dans les penſées diverſes §. CXXXIII. ut &, dans la continuation des penſées, §. LXX. Nec non in Apologetica Diſſert. ad calcem Tomi III. Dict. Hiſt. Critici.

§. CXIV.

Neque propterea hypotheſin hancce ſtatui civili noxiam eſſe contendunt, ſed illam Reipublicæ non majus damnum afferre, quam Idololatriam aut ſuperſtitionem, vel aliam quandam Religionem, defendunt.

§. CXV.

Hiſce præprimis argumentis hanc aſſertionem ſtabilire volunt; *primo* quod Atheus agnoſcat *Jus Naturæ*, cui homo conformiter vivere obligatus ſit.

§. CXVI.

Secundo, quod Respublicæ & Societates humanæ ad generis humani conſervationem abſolute neceſſariæ non ſint, dum extent exempla Populorum, qui nullam inter ſe coluerint ſocietatem civilem, neque pactis & fœderibus inter ſe obli-

obligati fuerint, ut Aborigines in Italia, Getuli & Lybii in Africa; de ejusmodi Incolis Cyrenaicis etiam POMPONIUM MELAM memorare Lib. I. de situ orbis Cap. VIII. ubi ita habet: *Sequuntur vagi pecora: utque à pabulo ducta sunt, ita se ac tuguria sua promovent; atque ubi dies deficit, ibi noctem agunt. Quanquam in familias passim & sine lege dispersi, nihil in commune consultant.* Si ergo, inquiunt, homines etiam extra Societatem viventes feliciter vitam degere possunt, magis adhuc fieri potest in Societate, ubi Spes & Metus locum habet, dum illi, quibus ab integra Societate Reipublicæ administratio demandata est, mala punire, Virtutem vero remunerari possunt, licet nulla erga Deum adsit Religio. Cui rei etiam Experientia faveat, dum in infima Africæ parte existant populi, quos *Cafros* appellant, qui nulli Religioni addicti, tamen Societates civiles inter se colant.

§. CXVII.

Tertio Sententiam suam, quod sublata Religione omni, Atheismo triumphante Respublica nihilominus consistere possit, præcipue etiam hoc argumento tuentur; Cum fundamentum Societatis cujusvis hoc sit, ut commune bonum promoveatur, & contra omnia ea, quæ ad interitum tam integræ Reipublicæ, quam singulorum membrorum ejus tendunt, avertantur, ut Societatis commoda & utilitas simul ad cujusvis illius membri conservationem tendant, neminem tam insanum futurum, ut quidquam facturus sit, quod ad Salutis publicæ perniciem tendit; adeoque Rempublicam ipso suo fundamento ac constitutione firmam fieri, ut Religionis vinculum absolute

lute necessarium non sit, præcipue cum aliquis, qui quidquam contra Civitatis rationes committit, ab iis, quos penes potestas est, puniri, & ceu inutile & noxium Societatis membrum ex illa ejici possit.

§. CXVIII.

Ex hisce & aliis concludunt, tam Genus humanum, quam singulas ejus Societates, etiam Deo non existente, & omni Religione remota, optime consistere posse.

§. CXIX.

Si præjudiciis sepositis dicendum quod res est, quædam ex allatis concedimus, alia admitti nequaquam possunt. Verum est multos dari Atheos, vel dari posse, qui gloriæ id sibi ducunt, ut talem degant Vitam, quæ Juri Naturæ admodum conformis est, quique virtute civili, & honesta vivendi ratione multos ex illis antecellunt, qui nomen Religioni alicui dederunt. Idque ideo, aut quia sequuntur aliquo modo Rationis ductum, dum vident vitam inordinatam proximam ad temporalem infelicitatem viam esse, & propriæ conservationi imo ipsi humanitati convenire, sive humanæ naturæ conforme esse, si ea fiant, quæ ad promotionem propriæ perfectionis faciunt; Ea vero, quæ illi contraria, omittantur: aut etiam gloriæ & laudis cupidine id fieri potest, ut aliquis honesta sectetur, turpia vero evitet, eum in finem, ut nomen Viri Sapientis & honesti sibi acquirat. Multorum etiam temperamentum & dona naturalia ejusmodi vivendi genus requirunt.

Neque

§. CXX.

Neque ab altera parte diffitendum est, inter ipsos illos, qui Christianam profitentur Religionem, multos existere, qui nil minus quam Religionis principia sequuntur, sed secundum pravos affectus suos potius vitam suam instituunt, ut ex illorum factis sæpissime haud facile conjici possit, num Religionem aliquam veram esse credant, nec ne.

§. CXXI.

Sed quadruplici præcipue modo homines à scelerum patratione retineri videmus, dum *Nonnulli* à vitiis ideo abstinent, quia per naturalem constitutionem sive temperamentum à pravis affectibus haud facile abripiuntur, sed rationis ductum sequentes, omnia ea omittunt, quæ sanitati aut felicitati temporali officiunt. *Alii* gloriam & laudem sectantes, non facile quidquam committunt, quod famæ suæ obesse, aut laudi detrimentum afferre potest. *Alii* eam solam ob caussam crimina evitant, ne mortis aut alius generis supplicio à Magistratu Politico afficiantur. *Dantur tandem* qui conscientiæ morsibus, Numinis reverentia, ac Religionis principiis à Vitiis abstinent, quod non facerent, nisi harum rerum repræsentatio frenum ipsis injiceret, uti illi, qui gloriæ laude solummodo ducuntur, à flagitiis vix abstinent, si in occulto ea patrare possunt.

Observandum, quod nobis hic de vera Pietate sermo non sit, sed solummodo de abstinentia ab iis sceleribus, per quæ Societas humana turbatur, & quorum patratio ad humani generis felicitatem temporalem pessundandam & ad plenariam ejus perniciem tendit. De quo hic res est.

Sequen-

§. CXXII.

Sequentia autem, quæ nunc addimus, negare nemo poterit ; α. Quod, si de Conservatione totius generis humani, & singularum in eo Societatum agitur, à vita hujus vel illius hominis ad totam Societatem & omnia ejus membra concludi nequaquam possit ; hoc est, licet hic vel ille homo, omnia Religionis principia negans, vitam honestam & tranquillitati civili conformem degat, inde inferri neutiquam potest, omnes homines, licet nullum Numen metuerent, vitam suam hoc modo instituturos esse ; nam hoc in casu quæritur, quid maxima hominum pars factura esset, si omnis Entis supremi rerum moderatoris opinio ex hominum animis plane extirpata foret? Societas enim hominum, non tantum per pauciſſimos, sed per maximam partem subsistit ; unde non à particulari ab hoc vel illo homine ad universum genus humanum concludendum est.

§. CXXIII.

β. Nec illorum hominum exempla probant quæ probanda sunt, qui extra Societatem & Legem civilem tranquillam degerunt vitam (§. 116.), nam *primo* ad circumstantias loci & vivendi generis attendendum est ; etenim in talibus vivunt Regionibus, ubi vastissima reperiuntur loca, quæ plane inculta sunt, ut agrorum satis superque habeant, ubi gregem suum pascant, neque hostiles insultus ibi metuendi, ubi quivis majorem reperit regionem quam pascendo gregi suo sufficit ; illud porro vivendi genus, ubi in locis vastissimis, in quibus parvus existit incolarum numerus, res pecuaria exercetur, commodissimum

mum est illi statui, in quo non magna coalescit Societas, sed singulæ familiæ seorsim subsistunt; qui vivendi modus omnibus humanæ vitæ negotiis peragendis cunctisque vitæ generibus minime conveniret.

§. CXXIV.

Secundo, licet Gens quædam à reliquis Gentibus ita separata habitans, ut nullum ipsi ab iis periculum immineat, absque Societatis civilis vinculo vitam tranquillam agat; tamen ab illa ad universum Genus humanum non magis concludere licet, quam ab uno ad omnes homines; sed hic spectandum est, quid possibile esset in iis locis, ubi ingens est incolarum numerus, uti in universa fere Europa, ubi propter incolarum multitudinem, insatiabilem dominandi libidinem ac avaritiam, vix quisquam sua tueri & tranquille vivere posset; aut quis in animum sibi inducere potest, quod si in Germania aut Francia totalis obtineret Anarchia, quenquam ibi à vicinorum populorum incursionibus, rapinis atque furtis tutum vivere posse.

§. CXXV.

Neque etiam de populis illis satis constat, an absque ulla plane Societate vixerint? & an nullis unquam discordiis atque violentis aliorum invasionibus, rapinis, homicidiis aliisque ejusmodi malis vexati, & multi clade affecti fuerint? Ut majori securitate vivere & sua possidere potuissent, si in civilem coaluissent Societatem.

§. CXXVI.

γ. In plurimis autem Terræ Regionibus ad humani generis conservationem Fœdere & Socie-

tatis civilis vinculo opus esse patet ex §. 124. Cum vero fundamentum Reipublicæ, neminis non consensu, in hoc consistat, quod sit, *Pactum inter Imperantes & Cives ad reciproce omnia ea facienda, quæ ad commune bonum, publicam tranquillitatem atque Salutem faciunt*, quæ Cura aut uni aut pluribus defertur: quo Cives illorum imperio sese subjiciunt; ut finis Reipublicæ sit communis salus & utilitas; Quæritur propterea, num utilitas illa sola semper & ubique sufficiat ad Societatis conservationem, ut maxima hominum pars nihil contra commune bonum committat, nullaque flagitia Reipublicæ noxia patret, ideo, quia Societatis Utilitas id postulat? annon potius quivis tamdiu solum commodis Reipublicæ serviret, quamdiu id in propriam rem suam facere perspicit, si vero aliter existimet, si non publice, saltem privatim talia committat crimina, quibus totus Reipublicæ status everti potest? annon propterea alio adhuc opus sit vinculo, quo homines à maximis atrocissimisque facinoribus, illis præcipue, quæ clam committi possunt, ut homicidia, furta aliaque, retineri queat?

§. CXXVII.

Quam diversa sint hominum ingenia, & quam diversi modi homines in officio continendi, liquet ex §. 121. pauciſſimi nempe sunt, qui ex ipsa rei honestate & proprii cordis motibus, ad nullam aliam rem respectu habito, virtutem civilem sectantur; pauci qui gloriam & laudem in Virtute quærunt; plures qui metu supplicii aut pœnæ à Magistratu infligendæ absterrentur, ab iis nempe flagitiis solis, circa quæ periculum est, ne

ne palam fiant ; pauci qui commodum publicum privato præferant ; Maxima autem pars illorum est, qui metu Numinis scelerum vindicis ab illis abhorrent ; pauci qui ex sincero Dei amore id faciunt.

§. CXXVIII.

Ipsi illi, qui Atheorum causas agunt, defendere non possunt, sibi aut Reipublicæ expedire, si omnes homines Athei fierent : sed opinionem Existentiæ divinæ humanæ Societati maxime conducibilem esse ipsimet profitentur, unde astu Politicorum illam confictam esse asserunt.

§. CXXIX.

Confitemur, formidinem pœnæ & supplicii temporalis, aut aliquem externæ honestatis amorem, multis sufficere, ut ab iis criminibus se contineant, de quibus periculum est, ne publica fiant. Sed quæ vincula, quæ repagula sufficerent contra scelerum clandestinorum diluvia, si omnis summi & justissimi Numinis reverentia ex omnium hominum animis plane extirpata esset ? quænam juramentis solemnibus, pactis ac fœderibus vis maneret ? quænam callidis proximum decipiendi fraudibus remedia, clandestinorum homicidiorum repagula ? annon totus qua patet orbis merum esset latrocinium, si omnis conscientiæ vis ex animis eradicata foret ?

§. CXXX.

Qui avarus, qui vindictæ cupidus, qui libidinosus aut alii flagitio deditus, simul sciens Judicem non esse omniscium, videbit, quotiescunque proximum callide fraudare, inimicum clam

occidere, scelera quævis, modo non manifesta fiant, patrare poterit.

Observavit hoc etiam Romanorum disertissimus Lib. I. de Legibus, dicens: „Quod si pœna, si metus supplicii, „non ipsa turpitudo, deterret ab injuriosa facinorosa„que vita, nemo est injustus, at incauti potius sunt „habendi improbi. Tum autem, qui non ipso hone„sto movemur, ut boni Viri simus, sed utilitate aliqua „atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid „faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem „vel judicem? quid in deserto loco, nactus, quem „multo auro spoliare possit imbellicem atque solum? *Et de Legib. Lib. II. inquit.* „Sit igitur hoc jam à „principio persuasum civibus, Dominos esse omnium „rerum ac moderatores Deos, eaque quæ generan„tur, eorum geri judicio ac numine, eosdemque „optime de genere hominum mereri, & qualis quis„que sit, quid in se admittat, qua mente, qua pie„tate Religiones colat, intueri, piorumque & impio„rum habere rationem. *Et paucis interjectis pergit:* „Utiles esse autem opiniones has, quis neget, cum „intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quan„tæ salutis sint fœdera Religionis, quam multos di„vini supplicii metus à scelere revocarit, quamque „sancta sit societas civium inter ipsos diis immortali„bus interpositis tum judicibus tum testibus.

§. CXXXI.

Ex iis quæ hactenus disputavimus, & ex ipsa Adversariorum confessione (§. 128,) patet, sine opinione Existentiæ Justissimi Numinis Societatem humanam subsistere non posse, sed proximum futurum illius interitum, si omnibus hominibus nullum existere Numen persuasum esset: Consequenter Athei, dum negant existentiam summi Numinis, negant id sine cujus existentiæ opinione societas humana subsistere non possit.

Pro-

Propositio IX.

§. CXXXII.

Sibi contradicunt Athei, dum singulare rationis suæ acumen tantopere jactant, Doctrinâ tamen sua contrarium ostendunt.

§. CXXXIII.

Rationis acumine pollet, qui rerum causſas, nexum & fines indagat & perspicit. Atheus vero rerum causſas nescit, dum ignorat, unde hic mundus ortum trahat? quomodo formata fuerint hæc omnia? an semper ita fuerint? an vero aliquo tempore casu fortuito in hunc ordinem redacta sint? Nescit

Quæ mare compescant causſæ, quid temperet annum,
Stellæ sponte sua, jussæne vagentur & errent.
Quid premat obscurum lunæ, quid proferat orbem,
Quid velit & possit rerum concordia discors?

HORAT. Lib. I. Epist. 12. Nullum Mundi hujus finem cognoscit (§. 15.), ideo nec inquirit, quomodo omnes rationes particulares tendant ad quandam universalem? Nescit etiam cur ipsemet sit in mundo? aut unde sit? aut quo abeat? Cur ea, quæ singularia Providentiæ specimina exhibent, fiant, ostendere nequit; Sed nescio cui fato aut absolutæ necessitati, ignorantiæ subterfugio, adscribit. Virtus, Philosophia & Justitia verborum inanium crepitus ipsi est; Quid ergo

ipsi remanet, quo Rationis suæ acumen exercere & ostendere queat?

§. CXXXIV.

Qui contra Dei existentiam admittit, is Scientiis se applicat, in rerum naturam inquirit, totius Universi naturam indagat, unde omnia ortum trahant, quo fine ipse & omnia reliqua existant, quo recurrant, investigat; asserta sua ex indubiis principiis ratiociniorum connexione demonstrat, ex omnibus Mundi Moderatorem cognoscit, vestigia illius ubique deprehendit; Dei Immensitatem, Omnipotentiam, Omnisapientiam & Bonitatem admiratur ex illius operibus & veneratur.

§. CXXXV.

Judicet nunc quivis, ad quid majori ingenii & rationis acumine opus sit, an ad id ut quisquam simpliciter omnia neget, neque negationem suam ex certis principiis demonstret? uti in Atheorum Systemate fit; an vero is, qui nihil assumit, nisi quod ex indubitatis principiis syllogismorum serie deducere, & simul rerum rationes reddere & cur hoc vel illud existat ostendere potest.

Propositio X.

§. CXXXVI.

Aut Atheus certus est, Deum omnium rerum Autorem & communem Benefactorem non existere,

re, aut de ejus existentia solummodo dubitat ? si prius, insanus est, quod Non-Ens tanto prosequitur odio & publice illi bellum indicit, dum argumenta undiquaque conquirit, quibus illud impugnet ; si posterius, illi sententiæ assentiri tenetur, quæ maxima probabilitate nititur.

§. CXXXVII.

Athei negare non audent, opinionem Existentiæ divinæ ad humanæ Societatis conservationem perutilem esse, agnoscunt ergo, non noxium esse, si plurima hominum pars de summi Numinis Existentia & Providentia persuasi sint.

§. CXXXVIII.

Sequitur, Atheum si certus est, nullum existere Deum, hypothesin suam non ideo propalare ac publice defendere, quia eam proximo utilem fore persuasus est, cum contrarii convictus sit juxta §. præced.

Solent nempe vulgo Hæresium aut Sectarum Autores ideo Errores suos disseminare, quia credunt, se veritatem tueri, ejusque cognitionem nemini non utilem esse, adeoque obligatos se esse existimant, alios etiam in viam Veritatis reducere, sed hanc ob caussam, ipsis Atheis fatentibus, hypothesis sua à toto humano genere vel à maxima ejus parte recipi non debet, dum hoc pernicioſum foret ; mira certe veritas, quæ si

ab hominibus cognoſceretur, id ad Societatis humanæ perniciem faceret, & cujus oppoſitum, nempe figmentum aliquod, ad felicem humani generis ſtatum ejusque conſervationem abſolute neceſſarium? quis unquam contradictoria audivit, ſi hæc ſibi non contradicunt?

§. CXXXIX.

Alia ergo oportet ſit cauſſa, cur Atheus hypotheſin ſuam diſſeminat. An forſan eſt Gloriæ & Laudis cupido? quod ſupra vulgus ſapere & ſublimiori Intellectu præditus Errorem tam univerſalem & inveteratum detexiſſe videri vult? Sed cum Atheus bonus Civis eſſe velit, & ipſomet confitente opinio Exiſtentiæ divinæ Societati maxime conducibilis (§. 128.), imo ſine illa Respublicæ nequidem ſubſiſtere poſſent (§. 131.), ſequitur, Atheum bonum Civem nequaquam ſe præbere, dum talia diſſeminat placita, quæ promotioni boni & tranquillitatis publicæ maxime obſunt.

§. CXL.

An vero alios etiam in partes ſuas trahere cupit, ne ſolus ſit, qui contra Exiſtentiam Entis ſupremi militet; ſed cur hoc opus habet? ſi enim certus eſt Deum non exiſtere, copiis auxiliaribus etiam opus non eſt, quibus Non-Ens debellet; ridiculum enim hoc eſſet, tanto apparatu impugnare id quod nihilum eſt. An forſan cauſſæ ſuæ diffidit Atheus & metuit, ne forſan erret, & propterea aliorum etiam aſſenſum deſiderat? ſed plurium conſenſus pro rei Veritate plane nihil facit, alias Atheus divinam exiſtentiam admittere teneretur, dum veritas illa omnium fere hominum nitatur conſenſu. Si ve-

ro

ro metuit ne erret, dubitat, si dubitat, assensum præbere tenetur illi rei, à cujus partibus probabiliora argumenta stant.

§. CXLI.

Dubitare, est velle assensum præbere alterutri contradictionis parti, sed ignorare, an is affirmativæ an vero negativæ præberi debeat.

§. CXLII.

Illi, qui dubitat vel nullæ rationes sunt, cur alterutri parti assentiatur; vel sunt ab utraque parte rationes, sed incertæ; vel ex una parte adsunt probabiles, ex altera vero minus probabiles; vel ex una parte probabiles sunt, ex altera vero nullæ. Si rationes assentiendi ab utraque parte sunt æquales, aut nullæ, dubitans in neutram partem inclinat; si vero ab una parte rationes probabiliores ipsi sunt, necessario in illam partem inclinat.

§. CXLIII.

Quo probabiliores vero ab una parte inveniuntur rationes, eo magis illa etiam veritati accedit, unde si multa adsint pro alicujus rei affirmatione argumenta, opinio etiam Veritati proxima est, propterea etiam assensus eo quam maxime inclinat, cum plura adsint motiva ad affirmandum quam negandum.

§. CXLIV.

In re maximi momenti, quæ Salutem nostram spectat, & promotionem propriæ perfectionis, obligati sumus certitudinem quærere; tenemur enim cuncta facere, quibus perfectionem nostram promovere possumus; scire num Deus

existat rerum omnium Moderator & Judex justissimus, hauddubie nostra quam maxime interest; E. ille qui de Veritate hac dubitat, obligatus est ad maximam certitudinem niti.

§. CXLV.

Qui dubitat, ignorat cuinam contradictionis parti assentiri debeat, (§. 141.), in re vero maximi momenti obligatus est, certitudinem quærere (§. præced.), in re autem incerta, ubi ab utraque parte rationes inveniuntur probabiles, assensus in eam partem inclinat, ubi major est probabilitas (§. 143.): E. in re maximi momenti, ubi obligati sumus ad certitudinem niti usquedum ad illam pervenimus, assensum præbere tenemur illi contradictionis parti, quæ maxima probabilitate nititur.

§. CXLVI.

Ex hisce liquet, dubitantem de existentia divina obligatum esse assentiri illi contradictionis parti, quæ argumentis maxime probabilibus nititur.

Propositio XI.

§. CXLVII.

Si Atheus ad veram animi tranquillitatem & veritatis hypotheseos suæ convictionem, uti illi qui Religioni addicti sunt, pervenire non potest,

potest, absurdus est, dum mavult irreligionarius, quam religiosus esse.

§. CXLVIII.

Qui talem Religionem profitetur, per quam cum propria Salute ad Gloriam Dei vivere potest, scit Religionis veritatem, ejusque necessitatem ex indubiis demonstrari posse principiis, intime propterea se convictum sentit, hominem ad Religionem natum esse, imo nullus ipsi dubitandi locus supereſt, per Religionem se finem consequi, propter quem Creatura rationalis in hoc Universo existit, & per solam Religionem veram acquiri animi tranquillitatem & solidum in omni miseria solamen, extra illam vero contra conscientiæ morsus & vitæ hujus afflictiones, aliud remedium non reperiri, quam miserum illud *factum infectum fieri nequit.*

§. CXLIX.

Unde Religionis officia implere studet, quæ huc redeunt: Deum ex toto & puro corde colendum, nec tam metuendum, quam amandum esse, propterea Pietatem maximi facit; Proximo vero utilis esse conatur, illumque ut alterum semetipsum diligit; se quod attinet, omnia quæ creaturam Dei dedecent aversatur, illicitas voluptates & affectus refrænat spernitque, se Deo Benigno omnium rerum Creatori, Conservatori & Salvatori optimo, quoad corpus & animam, commendat, & pro acceptis beneficiis ac præstito auxilio gratias agit, ex singularis divinæ erga semet munificentiæ consideratione ulterioris Gratiæ spem complectens, tranquillo animo esse & propterea beatum se prædicare potest.

Hunc Religionis usum jam CICERO, quamvis Ethnicus, observavit Lib. I. de Legibus: „Nam, inquit, „cum animus, cognitis perceptisque virtutibus, à „corporis obsequio, indulgentiaque discesserit, vo„luptatemque sicut labem aliquam dedecoris oppres„serit, omnemque mortis dolorisque timorem effu„gerit, societatemque carnis ejecerit - - - cultum„que Deorum, & puram Religionem susceperit, & „exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem ad „bona deligenda & rejicenda contraria, quæ Virtus „ex providendo est appellata prudentia, quid eo di„ci potest aut excogitari beatius.

§. CL.

Atheus contra omnem felicitatem suam in hoc quærit, quod profana sua hypothesi acuti ingenii laudem captare, atque aliis perspicax videri potest, qui à præjudiciis liber, ab universali aliqua & maximi ponderis opinione discedat, supra sapientissimos etiam mortalium sapiat, tam Ecclesiasticorum quam Politicorum fraudes, quibus miserum Populum decipiant, detegat, neque superstitione generali illa affectus sit, quod à metu Numinis & Religionis jugo liberatus, pro lubitu vivere queat, neque habeat cur curet, an post mortem sit remuneratio vel pœna, an existat cœlum vel infernus, sed optimum esse vita suaviter frui dum vivere datur.

§. CLI.

Sed qualis quæso hæc tranquillitas? quæ tam sæpe inquietudine turbatur, dum nullo fundamento innixa est; neque habet Atheus, cur in suis rationibus acquiescat: unde semper, ne fallatur, metuit, alios consentientes quærit, quo paulo securius degere possit.

Qui

§. CLII.

Qui Deum ſincero corde amat & colit, non habet cur timeat, periculum ſibi, ſi fallatur, imminere; nam, licet nullus exiſteret Deus boni Remunerator & mali juſtiſſimus Vindex, tamen cultus ille fruſtraneus non fuiſſet, Virtus enim ſibimetipſi, etiam in hac vita, pulcherrima merces, & quisque ad Amorem proximi, quem lex divina ceu omnium præceptorum apicem præſcribit, & propriam Salutem quærendam ipſo Jure Naturæ obligatus eſt; ſi vero Deus non ſit, ipſi etiam nulla pœna imminet, unde ſecurus & tranquillus & vivere & mori poteſt.

§. CLIII.

At contra Athei, ſi præſentiſſimum vitæ periculum aut mors inſtat, omni, per hypotheſin, ſolatio deſtituti, quo ſe vertere debeant, neſciunt; metuunt ne opinione ſua decepti ſint; & ſi decepti, quantum malum, quantum periculum illos manet! & quomodo ſibi ſpondere poſſunt, ſe deceptos non eſſe, dum nullæ ſolidæ rationes, nulla principia adſint, ex quibus de infallibili ſententiæ ſuæ veritate conſtet; ſentiunt tunc, ſe Deum ex concupiſcentia magis quam ex conſcientia negaſſe; Unde illorum plurimi tandem, cum ratio per affectus non amplius turbatur, confitentur, Religionem amplecti certius eſſe & palinodiam canunt.

Multa hujus rei exempla extant tam vetera quam nova, paſſim citata ab iis qui hiſtorias Atheismi ſcripſerunt, ut BIONIS BORISTHENITIS, cujus mentionem facit DIOGENES LAERTIUS Lib. IV. in Bione I. 55. qui ex maximo Religionis contemtore ad ſuperſtitionem maximam usque religioſus factus eſt. De TULLO

LO HOSTILIO Atheo TITUS LIVIUS Dec. I. L. I. hæc refert. *Ipse quoque longinquo morbo est implicitus. Tunc adeo fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces, ut, qui nihil ante ratus esset minus esse regium, quam sacris dedere animum, repente omnibus magnis parvisque superstitionibus obnoxius degeret, religionibusque etiam populum impleret.* Addam testimonium de hac re SAINTHIBALIS ipsius Athei, qui de Sectæ suæ hominibus conqueritur, quod tam facile à Sententia sua discedant, dum inquit. *Ils ne nous font point d'honneur, quand ils se voyent au lit de la mort, ils se deshonorent, ils se dementent, ils meurent tout comme les autres bien confessez & communiez.* Unde etiam BALZAC. Epist. Select. citante Celeb. LAUFFERO de Atheo amente pag. 94. de homine ejusmodi asserit.

Quas non ille aras, humili formidine tacta
Mente petet, quos non superos in vota vocabit,
Si videat maris iratos insurgere fluctus,
Sentiat aut propriis ardere incendia venis.
Insolitove urgeri opressum pondere pectus,
Æger, inops animi atque instantis victima Fati.

§. CLIV.

Cum igitur vera mentis tranquillitas ac in maxima miseria solamen in Religione sola inveniatur (§. 148. 149. 152.), extra illam vero non reperiatur, ubi in conscientiæ & calamitatum fluctibus tutum pedem figere liceat (§. 151. 153.), Atheus absurdus sit oportet, dum mavult irreligionarius, quam Religiosus esse. Q. E. D.

Trost wird mir Det, von Religion

Pro-

Propositio XII.

§. CLV.

Aut Atheus scit, animam esse mortalem, aut de hac re dubitat; si illud scit, absurde agit, quod animæ immortalitatem publice impugnat; si dubitat, male facit, si ita vivit ac si anima mortalis esset.

§. CLVI.

Dum opinio Existentiæ Numinis fortissimum sit Societatis humanæ vinculum (§. 128. 129. 130.), hujus rei ratio vero est formido pœnæ & spes præmii post hanc vitam; Sequitur, metum summi Numinis vim suam ab animæ immortalitate accipere.

§. CLVII.

Ea ergo, quæ supra Propos. VIII. de necessitate opinionis Existentiæ divinæ ad humani generis conservationem diximus, etiam hic de animæ immortalitate valent: Veritate enim hac ex hominum animis extirpata, eædem forent sequelæ, quas Atheismus universalis habiturus esset. Quoniam autem Atheus bonus Civis haberi vult, & Juris Naturæ observator exactissimus, qui bonum Societati integræ commune promovet, contra finem suum, hoc est absurde agit, dum talia disseminat, quæ conservationi Societatis quammaxime nocent; maximum vero Societati humanæ

manæ afferret detrimentum, si vel spes vel metus immortalitatis animæ ex omnium hominum animis plane extirparetur: E. Atheus, qui bonus Civis esse vult, absurde agit, dum Veritatem hanc publice impugnat.

§. CLVIII.

Et ut id faciat ex caussis (§. 138. 139. 140.), allatis, necessum non est.

§. CLIX.

In rebus dubiis prudentiæ regula postulat, si rationes ab utraque parte æque probabiles sunt, ut ea eligamus, quæ si vera, maximum inde nobis imminet periculum, si ea vel non credidimus vel non fecimus; contra nullum nobis imminet periculum, si falsa deprehendantur; Et is, qui contra prudentiæ Regulam impingit male agit.

§. CLX.

Scire, an anima immortalis sit, hauddubie res maximi momenti est, unde etiam maxima cum prudentia in rei hujus disquisitione versandum est; si ergo quis de Veritate hac dubitat, ea ipsi eligenda est Sententia, quæ minus periculi habet, & propterea etiam illi conformiter vivendum; Animam vero esse immortalem credere, & ita vivere, uti cum veritate hac convenit, nullum plane secum fert periculum; E. ille qui dubius est, num anima sit immortalis, & tamen ita vivit, ac si illa esset mortalis, contra hanc prudentiæ regulam peccat, & consequenter male agit.

Sapientissime olim hac de re CICERO in Catone majore Cap. XXIII. *Si*, inquit, *in hoc erro, quod animas hominum immortales esse credam, libenter erro,*

erro, nec mihi hunc Errorem, quo delector dum vivo, extorqueri volo; sin mortuus, ut quidam minuti Philosophi censent, nihil sentiam, non verear, ne hunc Errorem meum mortui Philosophi derideant. Digna etiam sunt quæ huc ponantur Celeb. LAUFFERI verba, quæ extant sub finem §. VI. Athei amentis, „ Sed, dicit, pone immortalitatem „ animæ esse dubiam: quam viam iterum eliget homo „ prudens? Sane illam, in qua minimum est periculum, „ tuta omnia. Ita vivet, ut si anima post mortem est „ superstes, æternam beate possit agere vitam, ut æ- „ ternos cruciatus, si dantur, effugiat. Si ergo ani- „ mam credo immortalem, & ita vivo, quasi in æter- „ num sit duratura, cum forsan cum corpore simul in- „ tereat, tamen pejoris Atheo conditionis post mor- „ tem non ero, æque securus ac ille ossibus & carne „ solutis quiescam. Sed si anima est immortalis, quam „ tamen Atheus mortalem optat, in quem miseriarum „ abyssum post mortem non incidet, si verum est „ quod dicitur:

Descendat tristem licet Atheus omnis in orcum;
Nullus in inferno est Atheus, ante fuit.

Propositio XIII.

§. CLXI.

Uti is, qui Existentiam divinam negat, de animæ immortalitate haud facile convincitur; ita ille qui de summi Numinis Existentia convictus est, se ad immortalitatem creatum esse intime sentit.

§. CLXII.

Tam arctus inter negationem Existentiæ divinæ & Immortalitatis animæ est nexus, ut unum negetur propter alterum ; Ratio enim propter quam summi Numinis existentia impugnatur est METUS (§. 40.), metus oritur ab exspectatione retributionis secundum opera, præcipue post hanc vitam ; ut autem metus ille excutiatur, qui primarius hominum profanorum finis est, etiam altera post hanc vita impugnanda.

§. CLXIII.

Et si Deus non existit, etiam concipi nequit, cur anima post corporis solutionem in statu distinctarum idearum existere debeat ; nemo enim est, qui ipsi secundum opera retribuere queat, illamque majori mactare felicitate, aut ut miseriæ fructus sentiat facere possit : Liquet ex his, Atheum prius de Dei justissimi Existentia convincendum, antequam de animæ Immortalitate disquisitio instituatur ; priori enim veritate demonstrata ad posteriorem asserendam etiam facilior via erit.

§. CLXIV.

Inde fit, ut is, qui summum Numen reveretur, veritatem de animæ immortalitate tam alte menti suæ infixam sentiat, ut nulla fere ratione ex illa erui possit, præcipue si homo ad finem, propter quem existit, attendat.

Animæ immortalitatem Cap. III. §. 716. 719. 720. demonstravimus, quibus addi potest ejusdem capitis Sectio XXIV. ut ulteriori disquisitione nunc opus non esset, sed ut creatura rationalis seipsam melius noscat, & ex consideratione finis existentiæ suæ eo firmiorem vitæ æternæ spem complectatur, ea quæ Cap. II. §. 720. immor-

immortalitate animæ ex illius fine demonstrata extant, hic denuo inculcanda esse censuimus. Quæ pro hac veritate argumentandi ratio quidem locum non habet, nisi contra illos, qui fines rerum agnoscunt, adeoque de Mundi Autoris Existentia convicti sunt, insignem tamen potest habere usum, cum pro diversis hominum ingeniis etiam varius convincendi modus adhibendus sit, sæpissime enim fit, ut aliquis argumento aliquo de re certus reddatur, quod longa & accuratissima demonstratione obtineri non potuit. Eam vero immortalitatis animæ demonstrationem, quæ ex illius fine deducitur, vim suam habere, dubitari nequit, in multis enim ita ratiocinari consueti sumus, ut ex fine cur res aliqua existat illius etiam attributa, quæ ad finem hunce consequendum necessaria sunt, per ratiocinationem eliciamus; Id quod ex. gr. Artifices facere solent, dum ipsis artificiosa aliqua machina fabricanda est, nec hactenus aliud quidquam sciunt, quam finem, cui illa inservire debet, qui si illis perspectus sit, concludunt ad modum constructionis & materiam ex qua machina debeat confici, ut fini consequendo simul apta & etiam durabilis sit; sic quivis qui de rei alicujus perfectione & requisitis judicare vult, quærit prius cur res illa sit? ut ex fine de illius attributis judicium ferre & num illi recte competant, perspicere possit. Non minus etiam ex animæ fine ad illius attributa concludere licet, omnia enim, quæ rei alicui insunt, cum fine illius convenire debent, & talia attributa illi inesse debent, qualia finis existentiæ ejus requirit. Primo ergo inquirendum, cur anima sit, secundo quid ejus Essentiæ ad finem illum obtinendum inesse debeat.

§. CLXV.

Finis est id, propter quod caussa efficiens agit.

§. CLXVI.

Medium vero vocatur, quidquid rationem continet, cur finis actum consequatur.

§. CLXVII.

Finis Creationis hujus Mundi est manifesta-

tio Gloriæ divinæ sive omnium divinorum Attributorum (§. 489. 491. Cap. III.), per Corpora autem inanimata sive Mundum corporalem solum Deus finem hunc obtinere non potuit, dum corpora illa cœlestia, quantæcunque magnitudinis & artis stupendæ sint, vim repræsentativam claram & distinctam non habeant, ad cognoscendam Sapientissimi & Potentissimi Creatoris Gloriam.

§. CLXVIII

Totus ergo Mundus cassus fuisset, si nulla in illo existerent Entia intelligentia, quæ Mundum hunc Attributorum divinorum speculum esse cognoscunt.

§. CLXIX.

Ad consequendum propterea finem, per hujus Universi Creationem intentum, Creaturis rationalibus etiam opus fuit.

§. CLXX.

Liquet ex his, Finem Creaturæ rationalis in Mundo corporali esse, agnitionem & manifestationem totius Gloriæ divinæ, per considerationem operum divinorum, ex quorum structura & omnium rerum nexu sapientissimo omnia de Deo in Religione Naturali cognoscenda Creaturæ rationali patefiunt.

§. CLXXI.

Cum Deus Finem Creatoris Universi aliter obtinere non possit, quam si ea, quæ extra se produxit, à Creaturis rationalibus agnoscantur (§. 167. 170.), & Mundus alias cassus esset (§. 168.): Sequitur, omnia ea, quæ in Mundo corporali existunt, etiam propterea creata esse, ut illa ab Entibus

bus intelligentibus cognoscantur, ut per hoc eo majorem Sapientiæ reliquarumque Creatoris Perfectionum notitiam acquirant.

Ut enim Deus propter se solum in Mundo Corporali aliquid producat, opus non fuit, Deus enim omnium suarum perfectionum intime conscius, scit quidquid per se possibile sit, & omnium Entium rationem novit, licet non existant; ut ergo tentamen instituat, num aliquid ad actum producere possit & an ita eveniat uti intendit, necesse non est, hæc omnia ipsi jam sunt notissima, quidquid ergo Deus extra se operatur, ideo fit, ut rationales Creaturæ illud cognoscant & Deus ex hoc illis magis adhuc innotescat.

§. CLXXII.

Quoniam omnia inanimata eum in finem creata sunt, ut Deus per illa à Creaturis rationalibus cognoscatur (§. 171.): sequitur, omnia opera majoris momenti, ex quorum consideratione Sapientia divina elucere potest, à Creaturis rationalibus non cognita, esse frustranea.

Ut Deus ea ideo tantum producat, ut ipsemet solus illa cognoscat, & Attributa sua experiatur, opus non est, (§. 171. Schol.); Quia autem illorum finis est, ut Creaturæ rationales per illorum considerationem Deum cognoscant (§. cit.), sequitur, illa esse frustranea, si nullæ existerent rationales Creaturæ, quia ad finem Creatione Mundi intentum suum non conferunt; Frustraneum enim dicitur, quod nullo fine fit, vel quod fini, qui intenditur, consequendo non sufficit. Si vero opera illa demum finem suum consequuntur, quando ex illis Mundi Autor cognoscitur, patet, illa nullo fine fieri, & fini universali non inservire, si à Creaturis intelligentibus non noscantur, adeoque frustranea esse.

§. CLXXIII.

Deus est sapientissimus (§. 499. Cap. III.),

sapiens vero dicitur is, qui propter finem agit, & media eligit ad finem certo & ex asse consequendum apta, & quæ ad finem certo & ex asse consequendum ducunt; ut adeo nihil fiat, quod ad finem non tendit & propterea frustraneum est; inde sequitur, Deum etiam nihil facere frustra.

Ipsa etiam hujus Mundi perfectio hoc postulat, ut nihil in illo deprehendatur, quod ad finem universalem inutile est, omnes enim in Mundo perfecto rationes particulares resolvi debent in universalem, cum vero finis omnium rerum generalis sit manifestatio gloriæ divinæ, patet in Mundo perfecto nihil contineri debere, per quod gloria Creatoris creaturis rationalibus non manifestetur.

§. CLXXIV.

Cum id in Mundo frustraneum sit, quod à Creaturis rationalibus non cognoscitur, ut ex illo Creatoris Gloriam non agnoscant (§. 172.), Deus vero in hoc Universo nihil facere possit frustra (§. 173.), etiam in toto hoc Universo & toto rerum nexu nihil existere potest, quod à Creaturis rationalibus non cognoscitur.

§. CLXXV.

Per experientiam constat, inter Incolas Corporis alicujus cœlestis, & habitaculum illud arctissimam esse relationem, ut unum sit propter alterum; omnia enim ita, uti ex terra nostra patet, comparata sunt, ut usibus incolarum egregie inserviant, & vicissim illi ita se habent, ut status habitaculi requirit.

Supponimus hic solummodo in gratiam Adversariorum nostrorum, non concedimus, alia Mundi Corpora præter terram nostram habitata esse, per quorum Incolas Deus glorificari possit, ne Atheis effugium aliquod con-

contra noſtram demonſtrationem remaneat, quod licet Deus Finem ſuum generalem per Animas noſtras non aſſequatur, id ab aliis Entibus intelligentibus, nobis ſapientioribus, fieri poſſe, cui objectioni hic occurrimus.

§. CLXXVI.

Quoniam Deus per opera omnia ſua glorificari vult, inter habitaculum vero cujusvis Corporis cœleſtis illiusque Incolas peculiaris quædam ſit relatio, ut unum propter alterum creatum eſſe juſte concludatur (§. præced.): Sequitur Deum per opera & regimen cujusvis habitaculi ab ejus Incolis glorificari velle.

Tam vaſtum nimirum totius Univerſi Syſtema ejusque complexus eſt, ut impoſſibile videatur omnia particularia, quæ in toto occurrunt rerum nexu, à creatura finita intelligi & comprehendi poſſe; licet enim conceptum aliquem generalem ſibi formare poſſit de Univerſi ſtructura atque regimine, multum tamen abeſt ut omnia, ſpecialiſſima etiam, quæ ubique locorum & omni tempore occurrunt, perſpicere valeat; unde dicimus, Deum per opera & regimen cujusvis habitaculi creaturarum intelligentium, ab illis præcipue Entibus rationalibus, quæ illud inhabitant, glorificari velle, propter relationem ſpecialem illam, quam Creator Sapientiſſimus inter habitaculum illud ejusque Incolas inſtituit.

§. CLXXVII.

Ex dictis concludere licet, Creaturam rationalem ad intelligendum creatam eſſe, & quidem eum in finem intelligere debet, ut ex operibus divinis, tanquam Perfectionum divinarum ſpeculo, Gloriam Optimi & Sapientiſſimi Creatoris agnoſcat & celebret; Anima vero hominis eſt talis Creatura rationalis: E. in hunc etiam finem in Mundo exiſtit.

§. CLXXVIII.

Cum in toto rerum Universo nihil existere possit, quod à creaturis rationalibus non cognoscitur (§. 174.), & particularia quæque ab iis Entibus intelligentibus, quæ Corpus aliquod cœleste incolunt (§. 176.): Sequitur, omnia quæ in hoc terrarum orbe ejusque regimine complexa sunt, ab ejus Incolis cognosci debere, ut ex illis Deus glorificetur, alias frustranea essent, quod contra (§. 173.), & Deus ex operibus illis glorificari non posset.

§. CLXXIX.

Ad id se natum homo quisque intime etiam sentit, unde quivis, nisi insulsissimum excipias, Intellectum suum perficere studet, plura cognoscere cupit, curiositati suæ satisfacere quærit, imo nemini non cupido quædam plura sciendi innata est; Et sapiens quisque etiam ex illorum consideratione tanquam per scalam ad Deum ascendit, in omnibus infinitas summi Numinis Perfectiones tanquam in speculo videt, illas admiratur & veneratur.

§. CLXXX.

Ex hisce colligit unusquisque, quam præstans præ omnibus reliquis creatura, Ens rationale sit, cui soli egregia illa facultas competit, vi cujus tot ideis collustratur, tot perfectionibus ornatur, cui tot scientiæ, tot inventa, rerum divinarum ac spiritualium cognitio debetur, quod à rudi materia plane diversum se supra reliquas res immane quantum elatum sentit.

Intime

§. CLXXXI.

Intime noscit eximiam illam & vividissimam intelligentiam, qua res divinas & cœlestes, humanas & terrenas, tanta facilitate assequitur, sibi non frustra, sed ut excolatur, perficiatur & in debitum finem adhibeatur, datam esse.

§. CLXXXII.

Tantum tamen rerum numerum deprehendit, ut facile perspiciat, quod ne ea quidem, quæ in terra hac ejusque regimine occurrunt, ad cujus relationem particularem homo creatus est, in brevi hoc vitæ ævo cognoscere valeat.

§. CLXXXIII.

Quot enim sunt mirabilia, quæ perspicacissimum etiam hominis ingenium fugiunt? quot res existunt, quarum causæ rationesque à nemine hominum, adhibitis etiam omnibus ingenii judiciique viribus, indicari possunt? imo homo ne quidem semet ipsum, quod notissimum esse deberet, id est, propriam animam cognoscit; quid igitur de aliarum rerum accurata cognitione tenendum sit, & quantum ab illa distemus, quisque conjicere poterit. Si porro omnes, tam in Mundo Naturali quam Spirituali, sive regimine humani generis, eventus & omnem illorum nexum consideramus, patet, quantum sit illud quod nescimus, quot divinæ Providentiæ viæ & olim fuerint & nunc sint, quæ ab oculis mentis acutissimis etiam absconditæ sint.

§. CLXXXIV.

Si hæc omnia humana mens secum perpendit, facile videt, cuncta hæc intra angustissimos vi-

tæ hujus terminos nequaquam se perspicere posse, & ne centesimam quidem partem ab ullo hominum unquam fuisse perspectam.

§. CLXXXV.

Cum vero omnia eum in finem creata sint, ut à creaturis rationalibus cognoscantur (§. 171.), & Deus ex illis glorificetur (§. 176.), sine quo omnia illa opera frustranea essent (§. 172.), Deus autem nihil frustra facit (§. 173.): Hinc anima concludit, se fini suo, propter quem condita est, in angustis vitæ hujus cancellis, satisfacere minime posse.

§. CLXXXVI.

Aut igitur multæ res frustra conditæ sint oportet, quæ olim extiterunt & nunc existunt, & multa imo plurima in rerum nexu & regimine hujus Universi, imo habitaculi hujus terrestris à cognitione incolarum rationalium occulta manent, adeoque etiam frustranea sunt, quod contra (§. 173.); aut creaturæ rationales hunc orbem incolentes, ad eum intelligentiæ gradum perveniant oportet, quo omnia, in hac præcipue terra, Sapientiæ & Omnipotentiæ divinæ opera, rerum nexum, & mirabiles Providentiæ divinæ vias perspiciant & ex illis perspectis infinita Creatoris Attributa agnoscant & sincero corde venerentur.

Objici posset, Scientias humanas ad tantum culmen jam crevisse & ad majus adhuc sequentibus temporibus crescere posse, ut nihil fere sit, quod humanam sagacitatem lateat. Sed nonnisi illi hoc profitentur, qui in inferiori aliquo scientiæ gradu substiterunt, audient contra hominum sagacissimos, imo Philosophos ac Theologos acutissimos de ignorantiæ tenebris, in quibus

bus adhuc versamur, maximopere conquerentes, ut multum absit, quod perfectam & universalem rerum notitiam jactent; & quis nescit, quantus rerum & eventuum præteritorum numerus sit, quæ & nos latent & quorum ratio à nemine unquam mortalium perspecta fuit. Sed inquiunt, non opus esse, ut terræ Incolæ omnia ea, quæ ibi existunt & ad totum sapientissimum rerum nexum pertinent, cognoscant, ea quæ nota sunt sufficere ad cognoscendam infinitam Dei Sapientiam, Potentiam, reliquaque Attributa, satis esse, ut creaturæ rationales sciant Perfectiones divinas infinite majores esse, quam ut à quoquam mortalium capi aut intelligi queant. At hoc est dicere, multa frustra à Deo fuisse condita, per omnia enim ea Deus finem Creationis Universi non assequeretur, quæ Creaturis intelligentibus ignota sunt, ideo Sapientiam Dei accusant, quod frustra aliquid condiderit, ad finem omnium rerum universalem non conspirans, ex quo Deus nec cognoscitur à quoquam, nec etiam colitur.

§. CLXXXVII.

At quoniam anima in brevi hujus vitæ ævo ad hunc intelligentiæ gradum, quem finis cui destinata est postulat, nunquam pervenit, ex Fine existentiæ suæ concludit, dari alteram vitam in qua demum rationi generali existentiæ suæ satisfacere queat, seque adeo immortalem esse.

Ita cum anima intime conscia est, se ad intelligendum factam esse, etiam noscit, cui fini intelligere debeat, nempe ut intelligentia sua generalis hujus Mundi fini conformis sit; omnes enim rationes particulares in hoc Mundo debent resolvi in aliquam universalem, quæ est Finis omnium rerum generalissimus, scilicet manifestatio & glorificatio Dei Mundi hujus Autoris; ex fine hoc omnium rerum quivis facile perspicere potest, qualis intelligentia illa esse debeat, & quantus ejus requiratur gradus, ut fini respondeat; ad talem vero gradum, qualem totius Gloriæ divinæ cognitio ejusque Veneratio requirit, se in hac vita nequaquam

quam pervenire facile deprehendit, dum ignorantiæ ſuæ conſcia ſe Deum nec recte cognoſcere, nec cognitum etiam debito modo venerari animadvertit, neque ſe ſolam, ſed reliquas etiam ſui generis Creaturas partibus ſuis & ſcopo minime ſatisfacere, neque etiam omnia ea cognoſcere, quæ eum in finem condita ſunt, ut Deus in illis tanquam in ſpeculo videatur, facile videt; at cum Sapientia divina permittere non poſſit, ut quidquam fini univerſali conſequendo inſufficiens medium ſit, & illi ex aſſe non reſpondeat, quod fieret, ſi anima nunquam ad majorem intelligentiæ gradum quam in hoc vitæ ævo perveniret, concludit, imo intime conſcia eſt, ſe ad majora natam, & poſt hanc alteram dari vitam, in qua diſcuſſis omnibus ignorantiæ tenebris, ſtupenda illa adorandæ Sapientiæ divinæ opera, tam abſconditas in regimine hujus Mundi Providentiæ divinæ vias, intime perſpicere, Deum ex illis perfecte cognoſcere & celebrare queat, & ita fini, cui deſtinata eſt, ſatisfacere poſſit.

§. CLXXXVIII.

Ex aſſertis patet id quod demonſtrandum erat, eum qui de ſummi Numinis Exiſtentia convictus eſt, ſe ad Immortalitatem creatum eſſe, intime ſentire.

Propoſitio XIV.

§. CLXXXIX.

Hæc contra Atheos demonſtraſſe, toti illorum Syſtemati ſubruendo ſufficiunt.

§. CXC.

Etenim ſi Atheo demonſtratur, hypotheſin ſuam de non-exiſtentia Dei Mundi Autoris eſſe

se indemonstrabilem, absurdam, & contradictoriam; oppositam vero sententiam non tantum esse claram, facilem, utilem, sed ex certissimis etiam demonstrari principiis, existere substantiam à se, ab hoc Mundo diversam & Mundi hujus Autorem; etiam admittere tenentur Mundi productionem ab Ente illo à se, & propterea etiam agnoscere debent, Mundum hunc non ab æterno extitisse.

§. CXCI.

Neque eandem ob rationem Mundus Ens independens esse potest, dum in existendo ab alio dependeat; cum & demonstretur, Mundum esse Ens contingens, etiam absoluta existentiæ ejus, ordinis ac nexus rerum necessitas tollitur.

§. CXCII.

Et cum detur Ens aliquod extra hunc Mundum, quod illius Autor existit & sapienter agit, etiam debet agnosci hujus Mundi Finis & Mediorum ad illum directio, hoc est, Gubernatio sive Providentia, eandem etiam ob causam Miracula sunt possibilia, dum existit causa extramundana, quæ in hoc rerum nexu quidquid vult producere potest.

§. CXCIII.

Et cum Creaturæ à Mundi illo Autore dependeant, etiam datur fundamentum Religionis Naturalis, unde is, cui dependentia illa demonstrata est, simul etiam ad Religionem illam obligatum se esse agnoscere tenetur. Et probata Religione Naturali, etiam illius ad hominem ex statu moraliter imperfecto eripiendum insufficientia & Revelatæ necessitas patet. Et

§. CXCIV.

Et si Autor hujus rerum nexus existit, etiam vaticinia possibilia sunt: Et demonstrata animæ immortalitate etiam vel remunerationem vel pœnam homo vel sperat vel timeat oportet. Cum vero in his Atheorum Systema absolvatur (§. 8 - 27.), etiam ea, quæ contra Atheos demonstravimus, subruendo toti illorum Systemati sufficiunt.

§. CXCV.

Ex hisce patet, methodi nostræ in refutando utilitas, qua adversariorum Systema ita connectimus, ut Errores ex primaria hypothesi deducamus, & arcem rei præcipue, nempe πρῶτον Ψεῦδος, impugnemus, quo everso totum Systema collabitur.

Objectionum præcipuarum Solutio.

§. CXCVI.

Licet Atheorum Systema nullo firmo nitatur fundamento, nec illorum hypotheses ex certis & indubiis principiis demonstrari queant, talia tamen afferunt, quæ partibus illorum aliquo modo favere videntur, & quibus divinam Existentiam dubiam reddere conantur, quæ nunc breviter nobis solvenda veniunt.

§. CXCVII.

Prima illorum *difficultas* inde sumitur, quod impossibile sit, aliquam Dei dari notionem aut conceptum; cum vero notio sit impossibilis, etiam

am illius Existentiam affirmari non posse, nam cujus nulla potest dari notio, illud etiam Ens esse nequit.

§. CXCVIII.

Nullam Dei notionem dari ita probant; Quoniam Deo adscribitur Essentia infinita & Perfectiones infinitæ, sequitur illum esse incomprehensibilem, quidquid vero comprehendere non possumus, illius etiam nulla potest dari notio.

§. CXCIX.

Vis ergo Argumenti huc redit. Uti id cujus claram & distinctam nobis formare possumus Ideam verum, hoc est, vel actuale vel possibile esse dicimus, ita omne illud falsum esse asserimus, cujus nulla potest dari notio; uti non intelligimus, nec etiam explicari potest quid sit Blictri vel Scyntapsus, ideo illud esse Non-Ens pro certo habemus; sed etiam quoniam cum voce illa quæ Deus dicitur nulla combinari potest Notio, patet illud simili ratione esse Non-Ens.

HOBBESIUS Leviath. Cap. III. pag. 12, quidem videri non vult, se summi Numinis Mundi hujus Autoris existentiam impugnare velle, sed potius reverenter de eo loquitur, dum argumentum hoc proponit; verba illius sic habent, (nolumus enim studio aliquid præterire, quod in gratiam adversariorum nostrorum cedat): „Quidquid, dicit, imaginamur, finitum est. Nulla „ergo est idea, neque conceptus, qui oriri potest à „voce hac infinitum. Animus humanus imaginem in„finitæ magnitudinis capere non potest; neque con„cipere infinitam velocitatem, infinitam vim, infini„tum tempus aut infinitam potentiam. Quando di„cimus rem aliquam esse infinitam, hoc tantum sig„nificamus, non posse nos illius rei terminos & limi-

tes

„ tes concipere; neque aliud concipere, præter no-
„ ſtram impotentiam propriam. Itaque nomen Dei
„ non uſurpatur, ut illum concipiamus (eſt enim in-
„ comprehenſibilis, & magnitudo potentiaque ejus
„ inconceptibilis), ſed ut honoremus.

§. CC.

Ad quæ reſpondemus α. ex Logica notum eſſe, omnem Ideam ſive Notionem diſtingui in claram & obſcuram; illam in diſtinctam & confuſam; diſtinctam 1.) in completam & incompletam, 2.) in adæquatam & inadæquatam. Incompleta eſt illa, qua rem ab omnibus aliis rebus diſtinguere non poſſumus, uti ſi dicimus Deum eſſe ſpiritum; completa vero illa dicitur, ubi notæ, quas ſcimus, characteriſticæ ſufficiunt ad rem illam, de qua agitur, ab omnibus aliis rebus diſtinguendam. Si objectum aliquod nobis ita repræſentamus, ut nihil in eo ſit, cujus ratio nos lateat, ut etiam notas notarum characteriſticarum indicare valeamus, vocatur notio illa adæquata; ſi id non poſſumus, vocatur idea inadæquata.

§. CCI.

Patet adæquatam ideam oriri ex notione diſtincta notarum characteriſticarum objectum totale conſtituentium; conſtat autem nos de omnibus rebus ideam diſtinctam non habere, nedum diſtinctiſſimam, hinc etiam de omnibus rebus notionem adæquatam habere nequimus.

§. CCII.

Incomprehenſibile vocatur, cognoſcibile, cujus modum, quo eſt, vel fieri poteſt, nobis repræſentare non valemus.

Eſt

Est definitio Illustr. WOLFII Theol. Nat. T. I. §. 170. cui addit. Aliud esse cognoscere, quod quid sit possibile, aliud vero cognoscere modum, quo aliquid sit possibile; adeoque eundem sibi repræsentare, seu ejus quandam sibi formare ideam.

§. CCIII.

Ejus ergo, quod incomprehensibile est, possumus habere ideam aliquam, sed non adæquatam, alias non esset cognoscibile.

Sic ex. gr. de hoc Universo habemus Ideam, scimus enim illud existere, imo habemus ideam claram, sed minime adæquatam, alias deberemus cognoscere quidquid existit in toto Mundo, imo totus rerum nexus, & omnium eventuum rationes nobis intime deberent esse perspectæ; cum vero plurimarum rerum ratio in Mundo nos lateat, sequitur, etiam illum nobis esse incomprehensibilem; unde asseri nequit, cujuscunque rei nullam habemus ideam adæquatam, sive quæ nobis incomprehensibilis est, illius nullam plane dari notionem.

§. CCIV.

Intellectus divinus & quidquid est in Deo est infinitum, quidquid vero finitum est, ideam adæquatam infiniti habere nequit, ad id enim Intellectus infinitus requiritur; sequitur Ens infinitum omni Intellectui finito incomprehensibile esse, sive adæquatam ejus cognitionem non dari; cum vero inde non sequatur, rei alicujus nullam plane dari ideam, quia modus ipsius est incomprehensibilis, aut quia ejus non possumus habere notionem adæquatam (§. 203.), etiam ex eo non conficitur, nullam plane Dei dari notionem, quia illa non potest esse adæquata, & quia Deus ceu infinitus Intellectui finito incomprehensibilis manet.

Potius contradictionem involveret, dicere Deum infinitum à Creatura ceu Ente finito comprehendi posse, tam capax enim finitum esse deberet ac est ipsum infinitum; & si intellectus finitus adæquatam cognitionem haberet Intellectus infiniti, omnia ea sciret quæ Intellectus infinitus intelligit, per consequens esset omniscius, quod Creaturæ nequaquam competit; uti igitur Mundi notionem habere possumus, licet illa adæquata non sit, sic etiam nos ideam de Deo habere non repugnat, licet ille incomprehensibilis sit. Facile enim, inquit „Illust. WOLFIUS Th. Nat. T. 1. §. 172. in Schol. „quivis perspiciet, intellectum infinitum non ante „comprehendi posse, quam Intellectus eundem ap„percepturi abeat in infinitum. Quoniam impossibile „est, ut Intellectus finitus in infinitum abeat, nec „fieri ullo modo potest, ut Ens Intellectu finito præ„ditum Intellectum divinum comprehendat. Absit „autem ut quis ex eo inferat, eum esse Non-Ens.

§. CCV.

β. Notionem Entis infiniti possibilem esse patet ex (§. 60.), & ipse Atheus ejus notionem habere debet (§. 61.), sed idem etiam experientia universali constat, cum nemo hominum tam stupidus existat, qui non concipere possit, licet non adæquate, dari posse Substantiam aliquam spiritualem, necessario existentem, maxima Sapientia & Potentia præditam, quæ omnes Perfectiones absolutissimas & compossibiles possideat. Hic vero conceptus, quanquam propter angustos nimis humanæ mentis limites perfectus non sit, inde tamen concludi nequaquam potest, cujus rei non datur plenus, perfectus & adæquatus conceptus, illius plane nullus datur conceptus & propterea res illa est Non-Ens; talis enim ratiocinandi modus nullis omnino Logicæ regulis respondet & admitti neutiquam potest.

γ. Si

§. CCVI.

γ. Si omnia ea non existerent & falsa essent, quæ nobis incomprehensibilia sunt & quorum adæquatam notionem non habemus, certe multa dubia & falsa forent, quorum veritatem tum per infallibilem ratiocinationem, tum per experientiam, tum per ipsos sensus nostros experimur & demonstrare possumus; Unde in hac re Intellectus humani imbecillitas potius agnoscenda, quam rei certitudo in dubium vocanda est. Id quod subtilissimi etiam & acutissimi Philosophi in multis rebus naturalibus fateri coguntur.

§. CCVII.

At instant, nullam aliam hominem cognitionem habere quam illam, quæ per sensus acquiritur, cum vero Deus dicatur esse Spiritus omnis materiæ expers, adeoque per sensus cognosci non possit, sequi nullam plane ipsius cognitionem dari posse.

Unde HOBBESIUS, qui omne Ens spirituale & immateriale inficiatur, ita ratiocinatur; „Quoniam, quid„quid concipimus, perceptum est ante in sensatione, „nulla inesse homini potest imaginatio rei, quæ non „sit percipienda sensibus. Nemo itaque concipere „aliquid potest, nisi ut in loco & finita aliqua magni„tudine præditum, & divisibile in partes; neque ali„quid esse totum in uno loco & totum in altero, „tempore eodem; neque duas vel plures res eodem „tempore esse posse in eodem loco. Nihil enim ho„rum fuere aut esse potuere in sensione; sed sunt „orationes insignificantes, admissæ propter auctorita„tem quorundam philosophorum errantium vel scho„lasticorum fallentium.

§. CCVIII.

Quæ hic objiciuntur vera ſunt reſpectu illorum hominum, qui conſiderationi rerum corporalium ita aſſueti ſunt, ut nihil concipiant, niſi quod ſub ſenſus cadit & vi imaginationis reproduci poteſt; & tales ſunt, qui in infimo Intellectus gradu ſubſiſtunt, neque unquam ad diſtinctam rei notionem perveniunt; unde omnia ſenſuum & imaginationis regulis metientes nunquam aut notiones univerſales & abſtractas, aut ſpirituales ſibi formare poſſunt.

§. CCIX.

Qui enim in rebus metaphyſicis vel parum verſatus eſt, & naturales animi ſui dotes paululum excoluit, is novit, qualis ſit differentia inter Intellectum impurum & purum: Impurus eſt, quando res omnes ita nobis repræſentamus, ut multas ſenſuum & imaginationis confuſas Ideas admixtas inveniamus, ita ſi quis ſibi notionem ſpiritus, ſine imagine quadam ſenſuali, hoc eſt, ſine magnitudine & extenſione, formare nequit, illud Intellectus impuri indicium eſt.

§. CCX.

Intellectum vero Purum vocamus, quando res ita diſtincte nobis repræſentamus, ut nullis imaginibus ſenſualibus, ad eas recte intelligendas, opus habeamus, ut nulla ſenſuum imaginationisque confuſa repræſentatio admixta ſit.

§. CCXI.

Cum in hac vita Intellectus ad ſummum perfectionis gradum nunquam pervenit, nunquam etiam ex omni parte purus ſit; quo magis vero purus

purus fit, & quo distinctius omnes res sibi repræsentat, ut nulla sensuum aut imaginationis confusa idea superfit, eo hauddubie etiam perfectior est.

§. CCXII.

Ii ergo qui objiciunt, nullam aliam plane dari posse Notionem, quam quæ sit per sensus aut vim imaginatricem, neque Dei, si Spiritus sit, ullam dari posse cognitionem, nihil aliud produnt quam Intellectus sui imbecillitatem, dum ostendunt Intellectum suum, sed instar eorum qui è vulgo sunt, plane esse impurum, ut nihil percipiant quam sensuum & imaginationis ope; optime ergo facient, si Intellectum suum prius magis perficere studeant, quam judicium aliquod generale ferant, quod nemo hominum aliquid percipere valeat, nisi quod immediate à sensibus & imaginatione proficiscitur.

§. CCXIII.

Objectio secunda ab Attributis quibusdam divinis depromta est, ab ejus Scientia scilicet & Immutabilitate, priorem ante Mundi Creationem non potuisse locum habere asserunt, dum nullum cognitionis divinæ fuisset objectum. Ex Immutabilitate absolutam necessitatem vel saltem libertatis defectum fluere arbitrantur. Neque denique de absoluta Dei Æternitate à priori nos ullum habere conceptum perhibent, modum ergo existentiæ ejus esse incomprehensibilem & propterea impossibilem inferunt.

§. CCXIV.

Non magni momenti difficultatem primam esse, inde apparet, quod Cap. III. demonstravimus

Deum eandem ab æterno cognitionem habuisse quam nunc habet, cognovit nempe semetipsum (§. 321.), & omnia possibilia, etiam in Systemata redacta (§. 337.), & scivit se, quidquid vult, ad actualitatem perducere posse (§. 394.), & quidem ab æterno (§. 355.): Consequenter etiam cognovit omnia ea quæ in hoc, quod ad actualitatem perduxit, Universo futura sint; E. Cognitio, quam nunc habet & quam ab æterno habuit, est eadem.

§. CCXV.

Immutabilitatem vero Dei, nec in Deo, nec in Creaturis actionum necessitatem inferre, aut Libertatem tollere, hoc modo demonstratur. Cum Voluntas divina sit liberrima (§. 418. Cap. III.), neque necessitetur vi externa (§. 376. l. c.), neque interna (§. 417.), sed sponte velit quidquid vult (§. 392.), nec etiam in ipsis rebus à Decretorum divinorum immutabilitate oriatur absoluta necessitas, aut tollatur libertas, (§. 439. 440. l. c.), sed cum quidquid antecedenter ad Decretum considerari potuit, ut contingens & liberum, etiam post illud tale maneat: Sequitur, Immutabilitatem Dei, nec in Deo, nec in Creaturis rationalibus absolutam agendi necessitatem inferre, aut libertatem tollere.

Ex ipso etiam hominum rationalium exemplo patet, consilii immutabilitatem nec necessitatem actionis inferre, nec ejusdem libertatem tollere; postquam enim Vir Sapiens re bene deliberata secum statuit aliquid ad effectum perducere, non facile sententiam suam mutat, dum non cœco aliquo impetu, sed consilio ductus de re aliqua efficienda decrevit, nihilominus tamen in agendo liber manet, & cum maxima spontaneitate consilium suum exequitur.

At,

§. CCXVI.

At, inquiunt, ipsam Creationem ex hypothesi nostra consideratam in Deo mutationem inferre, cum alia ejus sit relatio ad Mundum actualiter existentem, quam fuit antea, cum in statu mere possibilitatis ille adhucdum versaretur.

§. CCXVII.

Sed α. nec in Dei Cognitione Mundi Creatio aliquam mutationem infert, dum Deus omnia simul & unico actu cognoscit (§. 340. Cap. III.), sive sint mere possibilia, sive futura, sive jam actualia, cognitio semper eadem est (§. 214.), nihil unquam ipsi nec accedit nec decedit, neque unquam Deus aliquid cognoscit, nisi quod ab æterno cognovit; sequitur, in Dei Cognitione per Creationem nullam novam oriri notionem, adeoque illam immutabilem manere.

§. CCXVIII.

β. Nec in ipsa Dei Essentia productio Mundi mutationem aliquam efficere potest: Deus enim unico & simpliciſſimo volendi actu extra se aliquid producere potest, quo producto ipsius Essentia in eodem manet statu, in quo antea fuit, neque dici potest, ullum Attributum essentiale Deo per Creationem accedere aut decedere. Omnes enim res Intellectui divino jam ab æterno fuere præsentes (§. 355. Cap. III.).

§. CCXIX.

Tertia objectio inde desumitur, quod notio Dei sit figmentum callidorum hominum ad plebem indomitam eo melius in officio continendam; in horum politicorum numerum præcipuos Legum-

latores, Mosen, Solonem, Lycurgum, Numam, aliosque referunt: cui figmento maxime etiam Sacerdotum Utilitas inserviverit; ut Sententia hæc inter præjudicatas hominum opiniones referenda sit.

Athei scilicet, ut rationem aliquam reddant, unde hæc de Existentia divina notio, sive secundum ipsos opinio, orta sit, & qui factum, ut illa tam universaliter invaluerit, dicunt, illos qui dominandi libidine flagrarunt, quo Populum in obedientia & metu continerent, auxilium in Numinis alicujus omniscii malorum vindicis existentia quæsiviisse, & Religionem instituto suo accommodasse, cum nulla re magis superstitione & Numinis terrore plebs moveri queat. Unde MACHIAVELLUS aliique Religionem nonnisi Reipublicæ conservandæ caussa effictam Rationi status à Principibus attemperandam esse suadent. Hinc suo placito ut autoritatem aliquam concilient, magnum copiarum auxiliarium numerum in aciem deducunt, testimoniis multis ex variis antiquis Scriptoribus desumtis; Magnum talium effatorum cumulum congessit Celeberr. LAUFFERUS in Atheo Amente §. 11. pag. 17. quædam ex iis allegabimus, adducunt nimirum Euripidem, qui cum animi sententiam ob Areopagi metum aperte profiteri non auderet, Sisyphum qui eam proferret introduxerit: Apud PLUTARCH. de placit. Phil. Lib. I. Quæst. 7. ubi Latina ita habent. *Tempus fuit, inquit, quo incondita fuit hominum vita & belluina, viribusque serviens, Legibus deinde positis, inquit, injustitiam fuisse repressam, cum vero lex aperta posset arcere flagitia, multi vero occulte scelera perpetrarent; Tunc callidus quidam prodiit Vir, qui docuit Veritati mendacio tenebras esse offundendas, hominibusque persuadendum esse, quod sit Deus aliquis immortali pollens vita, qui cernat ista, & audiat intelligatque.* Et TITUM LIVIUM Lib. I. Decad. I. de Numa dicentem: *Omnium primum*

num rem ad multitudinem imperitam & illis seculis rudem efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est. Eadem etiam sensisse Cottam apud CICERONEM Lib. III. de Nat. Deorum: *Mihique ita persuasi, Romulum auspiciis, Numam sacris constitutis fundamenta jecisse nostræ Civitatis.* Hanc fallaciam ad maximum Reipublicæ commodum fecisse, unde OVID. de Arte amandi Lib. II. dixerit,

Expedit esse Deos, & ut expedit, esse putemus,

Quæ etiam ipse CICERO senserit, dicens, *retineri & ad opinionem vulgi & ad magnas utilitates Reipublicæ morem, & religionem, disciplinam, jus augurum, collegii autoritatem.* Scelera autem cohiberi magis non posse, quam metu Omnipotentis æque ac justissimi Judicis, patere ex SENECA Nat. Quæst. Lib. II. c. 42. *Ad coërcendos*, inquit, *animos imperitorum Sapientissimi Viri judicarunt inevitabilem metum, ut supra nos aliquid timeremus; utile enim erat in tanta audacia scelerum aliquid esse, adversum quod nemo sibi satis potens videretur. Ad conterrendos itaque eos, quibus innocentia nisi metu non placet, posuere super Caput vindicem, & quidem armatum.* Et ne homines soli & in occulto aliquid molirentur, quod Societati in detrimentum verteretur, statuisse Deos esse Omnipræsentes, unde XENOPHON recte judicaverit afferens dictum SOCRATIS ad Aristodemum Atheum de Omnipræsentia Deorum, dum addit. *Itaque hæc dicens mihi videtur non modo suis auditoribus persuadere, ut ab impiis, injustis atque turpibus abstinerent, cum ab hominibus videretur, sed etiam cum in Solitudine essent; Siquidem ducebant, nihil illorum omnino quæ facerent Deos latere.* Ex hac etiam astutia factum fuisse, ut Legislatores Celeberrimi, quo majorem sibi autoritatem conciliarent, colloquia

& familiaritatem cum Diis finxerint, uti Moſes cum Jehovah ſe collocutum populo Iſraëlitico perſuaſerit; Trismegiſtus à Mercurio Leges ſuas habuerit; Zamolxis à Veſta; Charondas à Saturno: Minos à Jove: Lycurgus ab Apolline: Draco & Solon à Minerva; Numa ab Egeria: Mahomed à Gabriele Angelo &c. Politicos autem cum viderint, ſe Oraculis & Deorum reſponſis maxime credulitati imperitorum illudere poſſe, cum Sacerdotibus, qui & ipſi maximam inde utilitatem capiebant, colluſiſſe: Ex una enim parte Oraculum reſpondiſſe parendum, ex altera parte Legislatores Oraculum ſanctum & nunquam violandum ſanxiſſe. Hoc fine Delphicum Oraculum fuiſſe ſtatutum, quod cum non amplius à re Politicorum fecerit, etiam deſierit, ſic teſtante Lucano Lib. V.

Quod ſiluit, poſtquam Reges timere futura
Et ſuperos vetuere loqui.

Sibyllæ Carmina eum in finem fuiſſe compoſita, ut rebus deſperatis populo deſperato animum addere poſſent, cum viderent ipſos Deos ad illos ſalvandos ſuum interponere conſilium. Uti CICERO de Divin. Lib. II. ait. *Callide qui illa compoſuit, perfecit, ut, quodcunque accidiſſet, prædictum videretur, hominum & temporum diffinitione ſublata. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis, ut iidem verſus alias in aliam rem poſſe accomodari viderentur.* Ita Viros maximos auſpicia & haruſpicia in rem ſuam adhibuiſſe, ſi ipſis viſum fuerit, ſin minus maximo contemtu illa rejeciſſe, uti Alexander Mag. apud Q. CURT. Lib. IX. cap. 4. Et Hannibal, Juliusque Cæſar, de quibus CICERO de Divin. Lib. II. *Rex Pruſias*, inquit, *cum Annibali apud eum exulanti pugnare placeret, negabat ſe audere, quod exta prohiberent. Au tu*, inquit, *carunculæ vitulinæ mavis quam Imperatori veteri credere? quid? ipſe Cæſar, cum à ſummo aruſpice moneretur, ne in Affricam ante brumam transmitteret, nonne trans-*

transmisit? quod ni feciſſet, unum in locum omnes adverſariorum copiæ conveniſſent. Ita in plerisque civitatibus augendæ virtutis gratia, quo libentius Reipublicæ cauſſa periculum adiret optimus quisque, Virorum fortium memoriam honore Deorum immortalium fuiſſe conſecratam, teſte CICERONE de Nat. D. L. III. Sic Caſſium Romanorum ultimum, qui nec Spiritus nec Deos ullos crediderit, ut milites ſuos ad fortitudinem inſtigaret, illis pro fide illorum, Deorum remunerationem promiſiſſe, cum illis inter alia diceret: *Dii, quibus juſta bella curæ ſunt, pro hac fide, Commilitones, & pro benevolentia vobis faxint bene.* „ His, verba ſunt Celeb. LAUFFERI l. c. & ſimilibus fraudibus, illos, qui clavo „ aſſident, dicunt, credulitate plebis abuti; Eandem „ eſſe rationem omnium Religionum quæ fuit Romanæ; hinc omnes, in omnibus Religionibus Reges, „ majeſtates ſuas ſacras eſſe velle. Et cum Religio „ Politicorum ſit inventum, minime abſurdum eſſe, ACCURSIUM Florentinum Celeberrimum Seculi „ XIII. Juris Conſultum, cum doceat: *Nihil opus „ eſſe Theologiæ ſtudio ad cognoſcenda divina, ut „ quæ ex legum Romanorum libris affatim queant „ peti.* BAYLE Dict. Art. Acc. Et HOBBESIUM „ Religionem optima ratione ab arbitrio poteſtatis civilis dependere docuiſſe de Cive Cap. XVII. §. 27. „ dicentem: *Reſtat ergo, ut in omni Eccleſia Chriſtiana, hoc eſt, in omni civitate Chriſtiana, Scripturæ ſacræ interpretatio, hoc eſt, jus controverſias omnes determinandi, dependeat & derivetur ab autoritate illius hominis, vel cœtus, „ penes quem eſt ſummum imperium Civitatis.* „ Hinc Venetos optime reſpondiſſe Gregorio XV. „ Omnes eſſe infideles, qui Reipublicæ Venetorum „ adverſentur. Eandem ob rationem Batavos omnes „ tolerare Religiones; eosdemque in Hollandia eſſe „ Chriſtianos, in Japonia vero Batavos &c. Prolixi paulo in his fuimus, dum Athei exiſtimant, maximi

ponde-

ponderis argumentum se hisce contra Religionis veritatem attulisse, quibus illa quammaxime dubia reddatur, unde nihil quod in illorum rem facit omittendum fuisse censuimus.

§. CCXX.

Ad hæc sequentia notanda sunt. α. Quod hoc ipso argumento Athei ostendant, verum esse, imo ab ipsis pro vero haberi, quod Propositione VIII. contra illos demonstravimus, nempe ipsam humanam Societatem absque Existentiæ Numinis justissimi opinione subsistere non posse: Et quo magis falsitatem Existentiæ summi Numinis demonstrare conantur, eo magis etiam produnt, se Reipublicæ pernicioſos homines esse, neque sapientibus illis Politicis similes, dum omni conatu id agunt, ut opinionem illam ex hominum animis deleant, quæ ipsis confitentibus Societatis humanæ vinculum est, & sine qua homines omnium animalium miserrimi forent.

§. CCXXI.

Aut ergo credi volunt Athei, dum Deum non esse asserunt, aut non credi? si credi volunt, quammaxime absurdi sunt, dum sibi aliisque id persuadere conantur, quod ad maximam totius Reipublicæ perniciem tendit, & ex quo, si ab omnibus credatur, ipsi etiam maximum detrimentum caperent. Si vero credi nolunt, iterum absurdi sunt.

Optime de his Celeb. COCCEJUS in Summa Theol. Cap. VIII. §. 23. judicat, dum dicit: „ Quum igitur „ tanta bona in hominibus ex opinione Numinis exi„ stant, quibus ipsi Athei carere nolunt, clarum est, „ eos insania quadam, & odio Numinis, & conscien„ tiæ inclamatione, adigi ad impietatem suam profitendam

„ tendam & ſuadendam, ut qui non poſſunt quieſce-
„ re in ſuis ratiocinationibus, ſi aſſenſum reperiunt,
„ paulo ſecurius mendacio ſuo credant, & exiſtima-
„ tione ingenii exultent.

§. CCXXII.

Hoc porro abſurdum inde conſequitur: Id quo homines, ne in omne nefas ruant & ſeipſos perdant, refrænantur, & ſine quo Societas humana felix eſſe non poſſet, ſed peſſumdaretur, & per quod omnes Leges vim ſuam obtinent, quodque in hac vita etiam ad maximam humani generis Salutem tendit, & ſine quo commode illud vivere non poſſet, merum figmentum & chimæram eſſe; quis quæſo ſanæ mentis homo hæc ſibi perſuadere poterit?

§. CCXXIII.

β. Ea quæ de fictione Numinis alicujus ſummi Legislatoris & malorum Vindicis afferunt, reſpiciunt aut Legislatores & Rerum publicarum Moderatores apud Gentiles, aut Moſen Iſraelitici Populi Ducem, Prophetam & Legislatorem maximum. Prius quod attinet, argumentatio illa non valet, Politici Exiſtentiæ ſummi Numinis opinionem in commodum ſuum verterunt ad Populum indomitum refrænandum, E. illud merum figmentum eſt. Licet enim non negemus, ſed potius demonſtremus, Notionem Dei plurimum facere ad civilem obligationem firmandam, ſive parentium erga imperantes ſive viceverſa, inde tamen concludi nequaquam poteſt, Notionem illam à Politicis eſſe confictam, propterea quia illa Reipublicæ perutilis eſt, & quanquam demonſtrari poſſet, Politicos doctrinam hanc in com-

commodum suum vertisse, vel ex vero usu abusum feciſſe, tamen demonstratum nondum esset, illam meram fictionem esse.

Optime omnino Illustris WOLFIUS Theol. Nat. Tom. II. § 436. in Scholio sententiam de hac re fert, dum dicit: „Non nego notiones Deorum Gentilium potuisse fingi à Politicis plebis indomitæ coërcendæ „gratia, sive quod ipsi ignoraverint Deum verum, „sive quod de ejus existentia dubitaverint, sive quod „in Errore majorem, quam in veritate fiduciam collocaverint. Enimvero hinc nulla consequentia infertur, Notionem Dei veri esse ab iisdem confictam, „consequenter nullum dari Deum, Universi Creatorem, Conservatorem ac Gubernatorem, malarum „actionum humanarum vindicem, utrumque enim „consistere posse nemo non videt. Ponamus hominem, qui nullam Notionem Dei distinctam habet, „vivere in civitate, quæ simpliciter ignorat dari Deum, & tempestate horrida perculsis persuadere, esse „aliquod Ens invisibile, quod fulmina fibret in malos, etsi ipsemet sibi persuadeat, Ens istiusmodi, „cui fulminum directio competat, esse confictum; „non tamen hinc consequitur, fulminis directionem „non cadere sub Providentiam divinam.

§. CCXXIV.

γ. Res ergo omnis huc redit, an ipse Moses Populi seductor atque Impostor fuerit? qui colloquium cum Deo variaque finxerit Miracula, ut sibi statutisque suis autoritatem divinam conciliaret, & metu summi Numinis Populum ad Legis observationem adigeret?

Hic Vitulo Celeberrimi TURRETTINI arabimus, qui egregiam de veritate Religionis Judaicæ scripsit Dissertationem, quæ Voluminis II. quarta est.

§. CCXXV.

Tota hæc quæstio his præcipue absolvitur α.

an

an Moſes unquam extiterit, annon potius omnia ea, quæ de eo ſcripta ſunt, mera figmenta ſint ? β. An ſi quidem Moſes extiterit, tamen nihil aliud quam impoſtor fuerit, qui Populum fictis prodigiis ac cum Deo commerciis fefellerit & fraude illum ſibi ſubjecerit ? γ. Vel an impoſtura illa facta fuerit conſcio omni populo ad famam ſibi autoritatemque apud reliquos populos acquirendam ? δ. Vel an integra hiſtoria longis poſt Moſen temporibus demum fuerit conſcripta, propterea multa falſa de prodigiis aliisque fuerint admixta ? ε. An denique, ſi hiſtoria vera ſit, Moſes Legem & Doctrinam ſuam revera à Deo acceperit ?

§. CCXXVI.

Primum quod attinet, ſi admitteretur, omnis plane hiſtoriæ fides rueret ; nam tanta Moſis inter vicinos Populos fuit fama, ut illius hiſtoria non ex illius Libris tantum conſtet, ſed celeberrimi etiam ac vetuſtiſſimi hiſtoriographi ejus mentionem faciunt, ut DIODORUS SICULUS, STRABO, TROGUS POMPEJUS, & ex eo JUSTINUS ; PLINIUS, TACITUS, JUVENALIS aliique ſcriptores plurimi. Non minus propterea vera eſſe poteſt Moſis hiſtoria, ac eſt Alexandri, Julii Cæſaris, Auguſti aliorumque tantæ famæ Virorum, & ipſe etiam Populus Judaicus conſenſu univerſali Legislatorem & fundatorem ſuum eum agnoſcit.

§. CCXXVII.

Non majoris momenti altera etiam hypotheſis eſt, quod Moſes impoſtor populum Iſraeliticum fraude ad obſequium adduxerit ; nam id factum

factum fuerit oportet tum Dogmatibus & Legibus, tum etiam Miraculis & fictis cum Deo Colloquiis; propterea unum post alterum considerandum erit.

§. CCXXVIII.

Dogmata quod attinet, ita comparata sunt, ut omnium sapientissimorum etiam Ethnicorum placita longe superent, & à mero homine, qui insuper in Idololatria & superstitione Ægyptiaca educatus erat, proficisci nequaquam possint.

§. CCXXIX.

Ea nimirum *primo* tradit Dogmata, quæ Gentilibus maxime perplexa erant ac incerta, ab illorum vero hypothesibus longissime remota, Mundi enim originem ostendit à Deo unico Cœli terræque Conditore, de quo anxie à Gentilibus Philosophis disquirebatur, nil tamen ab ipsis inveniebatur ubi pedem tuto figere possis; indicat etiam, quisnam verus Mundi finis sit, propter quem omnia condita sint; quodnam sit summum illud & solum durabile Bonum, quod Creatura rationalis quærere debeat; quænam sit omnis mali ac miseriæ Origo, & quodnam illi adhibendum sit remedium, quodnam denique sit verum illud solatium, quo miser se erigere potest.

§. CCXXX.

De Deo *secundo* talia docet, quæ Ideæ Entis perfectissimi sunt convenientissima, illum enim dicit esse unicum, initio & fine carentem, potentissimum, à quo omnia maxima minimaque originem habeant, omnium rerum Moderatorem ac Dominum, Omniscium, Sapientissimum, Justissimum boni malique retributorem.

Quæ

§. CCXXXI.

Quæ omnia ita docentur, ut principiis Rationis sint convenientissima simul, à placitis vero reliquorum Populorum etiam excultissimorum alienissima, qui tam vilia de Deo tradiderunt, ut Enti summo minime digna sint, ut proprio illa ingenio ac sagacitate excogitare non voluerit Moses.

„ Itaque; inquit Celeb. TURRETTINUS l. c. duo habet Doctrina ista, cœlesti Revelatione dignissima; „ Nam & veritates Lumine naturali jam cognitas, sed „ hominum vitio obscuratas, clarius proponit atque inculcat; ea vero quæ ignorabantur, & cognitu necessaria erant, in apertam lucem producit: Quæ duo; „ in tanta hominum caligine, atque inter tot irritos „ Philosophorum conatus, quis alius quam Deus ipse „ tam feliciter exequi valuit? §. VIII. pag. 73. ed. Genf 1737.

§. CCXXXII.

Optime idem Theologus acutissimus addit l. c. §. XV. „ Hæc est singularis plane Judaicæ Doctrinæ indoles, & Character vere divinus, quod tota ad Deum tendat, Deum ubique spiret, Deum ubique magni faciat, verbo, tota, quanta quanta est, ad Dei Gloriam sit comparata. Et hac quoque nota, Doctrina hæc à Doctrinis omnibus hominum evidenter distinguitur. Etenim in Doctrinis omnibus humanis, videas illos propriam gloriam quærere; videas illos Potentium ingenio atque moribus ea quæ tradunt adcommodare. At hic Deus unice respicitur; Deus est omnium scopus ac finis, Deus omnibus interest, omnia videt, omnia dirigit, omnia operatur, ad ejus unius Gloriam omnia referuntur. "

§. CCXXXIII.

Quis quæso illum Impostorem dicet, qui omnia non sibi, sed soli Deo refert, non proprium, sed populi commodum Doctrina sua quærit, neque gloriæ propriæ in re ulla studet.

§. CCXXXIV.

Et si non à Deo Moses accepit totam Doctrinam suam, qui quæso fieri potuit, ut populus rudissimus, ab omnibus reliquis populis, quoniam nec ingenii laude, nec morum cultura, nec Scientiis Philosophicis aliisque Disciplinis clarebat, contemtus, in cæteris circa Deum resque divinas excutiendas occupatis solus sapientissimas de Deo habuerit notiones, & de excelsissimis quæstionibus solus recte senserit.

§. CCXXXV.

Fictas porro aliarum Gentium Religiones quod attinet, nunquam illæ sibi constiterunt, sed varias succesivis temporibus subierunt mutationes, plane antiquatæ omnes reliquæ Disciplinæ, & aliæ plane illarum loco fuere substitutæ. Mosis vero Doctrina ab antiquissimis illis temporibus eadem semper mansit & nullis unquam mutationibus obnoxia fuit.

§. CCXXXVI.

Leges quod spectat, illæ nequaquam ita comparatæ sunt, uti debuissent, si Moses fraude Rempublicam fundare & Populum Judaicum sibi subjicere quæsivisset. Solent nimirum illi, qui impostura utuntur, propensionibus Populi sese accommodare, saltem validissimis, quæ inde à juventute & longa consuetudine mentem occuparunt non

non resistere. Ita Muhammed, novæ Religionis fundator, eam ex talibus consarcinavit præceptis, quæ genio plurimorum illius temporis Populorum convenirent; non minus affectibus etiam carnalibus indulsit, ut molles Asiatici etiam in Religione talia invenirent statuta, juxta quæ cupiditatibus suis satisfacere possent.

§. CCXXXVII.

Populus Israëliticus vero ad Idololatriam præprimis propensus erat, uti ex tota historia Mosaica reliquisque Judæorum monumentis abunde patet, ut severissimis etiam legibus ac supplicis ab illa avocari, vix ac ne vix quidem potuerit.

§. CCXXXVIII.

Et Moses solus, ipsemet inter Idololatras educatus, tantum opus suscipit, ut ex Populo hoc Idololatriæ deditissimo, & circumquaque Idololatris circumdato, peccatum hoc plane proscribat; quis vero sibi persuadere poterit, propria illum hoc effecisse potestate, omni divino auxilio atque mandato destitutum? Si impostor fuit, quare in hac re populo non potius indulsit, ut illius favorem caperet; vel saltem Idololatriam non in aliam mutavit formam, ut genio Hebræorum aliquid gratificaretur.

§. CCXXXIX.

Reliqua præcepta moralia ita comparata sunt, ut sinceriſſimum Dei amorem & timorem ubique inculcent; omnia erga proximum officia exactissime requirant: Non tantum scortatio aliaque hujusmodi scelera, quæ Gentibus merus lusus erant, severissimis comminationibus proscribun-

tur, sed omnis etiam concupiscentia interna, quæ nequidem in actum erumpere studet, præceptis sanctissimis damnatur.

§. CCXL.

Ipsam denique cordis circumcisionem, sive pravorum affectuum plenariam extirpationem, postulat; neque cupiditatibus in re quacunque minima etiam, quidquam indulget.

§. CCXLI.

Et Leges ab initio statim tam perfectæ fuere, ut eas in melius mutari nunquam necesse fuerit, sed tanta sapientia fuere conditæ, ut ab initio, licet tempora illa essent rudissima, summum perfectionis culmen attigerint, quod in legibus humanis nunquam obtinet. Neque propterea illæ unquam fuere mutatæ, quod tamen omnibus legibus mere humanis frequentissime accidere solet.

§. CCXLII.

Hæc omnia satis superque produnt, Mosen non impostoris, sed internuncii divini Characteres habuisse.

§. CCXLIII.

De ejus Miraculis vero ita sentiunt Adversarii nostri, ut ipsis videatur, illa aut ex caussis mere naturalibus provenisse, aut plurima eorum ficta fuisse; inde factum ut Magi Ægyptiorum etiam similia facerent: Transitum per Mare rubrum, ejus insigni scientiæ effectuum physicorum adscribendum, dum hæc aquarum ablatio ordinario Maris æstui, qui si ventus secundus flat etiam major est, potius quam vero effectui hyperphysico adscribi debeat. Legislatio vero in monte

Sinai

Sinai ita concipienda, ut Moſes tempore ingruentis maximæ tempeſtatis montem illum aſcenderit, & ibi commercium cum Jehovah finxerit, quo Legi ſuæ autoritatem conciliaret; ne autem fraus illa detegeretur, Moſen maximis comminationibus caviſſe, ne quisquam ex Populo ſecum aſcenderet, addita ſupplicii capitalis pœna, excepto Aharone Moſis Fratre ac impoſturæ conſorte; Neque Miraculum Atheo videtur, quod fons aquarum ex monte aliquo petroſo profluxerit, cum hoc ubique accidere videamus; Neque ſupernaturale quidquam fuiſſe perhibent, quod ros ex aëre decidens habuerit materiam dulcem aliquam, quæ ita præparari potuerit, ut cibo idonea fuerit, dum hoc in aliis etiam Orientis regionibus fieri ſoleat: cæterum Moſen cum Aharone optime conſpiraſſe, uti alii etiam Imperatores cum Sacerdotibus conſenſerint.

§. CCXLIV.

Qui vero ad Miraculorum naturam & circumſtantias attendit, ingens inter Miracula & aliorum Legislatorum figmenta diſcrimen eſſe facile deprehendet, ut nullus hic fraudi locus eſſe queat. Nam *primo* omnia facta ſunt in cœtu publico, præſente & inſpectante toto Populo; in Ægypto enim omnia prodigia ibidem facta ita fuere comparata, ut non Hebræi tantum ea aut viderent aut ſcirent, ſed ex ipſis hoſtibus in univerſo Ægypti Regno nemo fuit, qui ea ignorare potuerit: ea quæ in deſerto fuere geſta etiam conſcio & præſente integro populo, cujus numerus ad ſexcenta millia Virorum creverat, ut nullus de illorum veritate ſuſpicioni locus ſuper-

esse potuerit; An enim credibile est, in tanta hominum multitudine neminem tam sapientem fuisse, ut aliquam fraudem detexisset? præcipue cum tot contra Mosen & Aharonem excitata fuere murmura & rebelliones: Ex quibus satis appareret, illos Mosis & Aharonis Dominio vel Ministerio non cœco aliquo obsequio sese subjecisse, neque Duos hos illustres Viros tamdiu Magistratu functuros fuisse, nisi Deus præsenti documento aliquo sæpissime de divina illorum missione integrum Populum certum fecisset, ut de illa dubitandi nulla caussa ipsi superfuerit.

§. CCXLV.

Si *secundo* spatium illud quadraginta annorum, quibus Moses semper inter Populum huncce versatus est, consideramus, omnis Fraudis suspicio prorsus evanescit; quis enim sibi persuadere poterit, à nemine tot hominum myriadum tot annis fraudem sæpissime repetitam unquam fuisse cognitam & detectam; præcipue cum Moses per horrendam solitudinem molestissimo itinere ipsos duceret, tam dura præcepta ipsis præscriberet, tam severe in rebelles animadverteret, & in præsentissimum mortis periculum illos sæpius adduceret; sane durissimo huicce imperio minime se subjecissent, si vel minimæ impostoræ suspicioni locus fuisset.

§. CCXLVI.

Tertio numerus etiam prodigiorum illorum spectandus, non enim unum tantum vel alterum fuit, sed magna illorum series per quadraginta totos annos continuata, neque in abscondito sed publice præsente toto cœtu omnia facta.

Impo-

§. CCXLVII.

Impoſtorum longe alius in omnibus hisce agendi modus fuit, nam illi, ut Lycurgus, Numa, Muhammedes aliique, nonniſi occultum cum Diis commercium fingebant, prodigia & quidem perpauca, vel nemine vel pauciſſimis impoſturæ gnaris præſentibus, geſta mentiebantur, neque unquam præſentibus tot hominum millibus quodquam patrarunt, minus adhuc tanto temporis ſpatio Miracula continuarunt. Ab initio etiam parvum aſſeclarum habuere numerum: Moſes vero innumerum fere exercitum in præſentiſſimum vitæ periculum ſolus adducit, Opus infinitis difficultatibus circumſeptum ſuſcipit, quod certe facere non auſus fuiſſet, niſi auxilio divino fuiſſet fretus. Impoſtores pedetentim ſcopum ſuum conſequi ſtuduerunt; Moſes breviſſimo temporis intervallo, populum ex potentiſſimi Regis poteſtate liberat, Religionem inſtituit, præcepta ſeveriſſima condit, cultum idololatricum, cui Hebræi in Ægypto aſſueti erant, abrogat, & ipſe antea Paſtor gregis impotens dominium in tot centena millia hominum ſibi arrogat, populum hunc ſibi ſubjicit; quod quomodo tam brevi tempore fraude fieri potuerit, vix ac ne vix quidem concipi poteſt, minus adhuc quomodo dominium illud, in tanto rerum diſcrimine, impoſtura nunquam detecta, tamdiu durare potuerit.

§. CCXLVIII.

Quarto Moſes Prodigia illa toties commemorat & Judæis in animum revocat, & ad illa tanquam publica Gratiæ divinæ ſingularis illis ſæpiſſime exhibitæ, argumenta & documenta provo-

cat, ut hac commemoratione ingratum animum ipsis exprobret; quod tam sæpe facere non fuisset ausus, nisi veritas Miraculorum illorum adeo conspicua toti Populo fuisset, ut illi plane nulla dubitandi causa superfuerit. Illi vero, qui fraude rem suam agens res non tam sæpe commemorant, quas accuratius expendi nolunt, minus adhuc acerrimis increpationibus Populum excitant, ut impostoras suas accuratius disquirant, sed potius tacent illis semel prolatis, ne aliis in rei veritatem inquirendi ansam præbeant.

§. CCXLIX.

Quinto Miracula in Ægypto patrata quod attinet, illa ita comparata sunt, ut non omnia humanis artibus tribui queant, nec per causas naturales explicari; unde nec Magi Ægyptiaci omnia ea præstigiis suis imitari potuerunt; talis etiam eorum fuit ratio, ut nulli figmento locus esse potuerit, cum non in angustis terræ illius limitibus, sed in integro illo regno, ad maximum omnium totius regni incolarum terrorem & dolorem, fuerint patrata.

§. CCL.

Transitum per Mare rubrum quod spectat, absurdum est causis naturalibus, nempe fluxui & refluxui, illam aquarum exsiccationem adscribere velle, Nam α. ille nec Israëlitis nec Ægyptiis ignotus esse potuit, unde Ægyptii tam facile mari se non commisissent, siquidem etiam æstus horæ ipsis sine dubio fuere notæ, β. Illi, qui hoc asseverare audent, non considerant, spatium inter fluxum & refluxum nimis breve esse, quam ut tantus hominum numerus durante illo tempore tran-

transire potuisset; cum enim sexcenta virorum millia fuerint, dubitari nequit, non minorem etiam mulierum fuisse numerum; & si hisce infantes addamus, integer numerus saltem ad duas milliones excrescit; quot autem horæ requirerentur, si exercitus tantum centum millium militum trajicere debuisset? quantum ergo temporis necessum est, si vicies centum mille homines trajecerunt; quæ trajectio si æstui naturali adscribatur, difficultas hæc nulla ratione solvi poterit.

§. CCLI.

Legislatio vero apparatu tam solenni atque terrifico facta fuit, ut nemini præsentium dubium esse potuerit, se ipsam Dei Vocem audire, & omnia mere supernaturalia esse; non enim in abscondito Moses cum Deo locutus, sed Israëlitæ omnes etiam Deum loquentem audiebant & intelligebant, Exod. XIX. 9. Unde etiam tremebat integer populus petens, ne Deus amplius immediate ad eos loquatur, sed id fieri cupiebant per Mosen internuncium Exod. XX. 19. Neque occasionem tempestatis mox ingruentis in usus suos vertere potuit Moses, cum ante triduum jam legislationem illam prædixit, populumque ut se præpararet jussit. Et tantis præsentiæ Majestatis divinæ signis facta fuit Legislatio illa, ut licet sexcenti mille viri præsentes fuerint testes oculati & auriti, nemini tamen illorum fraudis suspicio fuerit, sed ipsam Deitatem præsentem esse convictissimi essent omnes.

§. CCLII.

Aqua è Petra manans non minus Miraculi rationem habuit; quod ex circumstantiis satis ap-

paret ; nec enim ibi antea aqua reperiebatur, sed tanta, percussa Petra, ejus copia profluxit, ut tanto hominum numero potando sufficeret ; nec fons ille aquarum quadraginta annis per totum desertum ipsos deseruit; modus etiam, quo aquæ illæ præsentibus Senioribus Israëlis productæ fuere, plane Miraculosus fuit. Exod. XVII. 5. 6.

§. CCLIII.

Modus porro, quo panis ille cœlestis datus fuit, maximum Miraculum fuit, quod ex ejus historia liquet Exod. XVI. illum enim populus Israëliticus plane ignorabat, eo vero die, & sequentibus omnibus, Sabbathis exceptis; quo Moses illum cum rore cœli casurum promiserat, tanta copia reperiebatur, ut omnes satis superque haberent.

§. CCLIV.

Et miram illam nubis & ignis Columnam, quæ Israëlitis dies noctesque præluxit & iter monstravit tanto temporis spatio, illosque obumbravit, ne solis æstu in desertis illis Arabiæ urerentur, nemo unquam per effectum naturalem explicare potuit. Ut alia Miracula longa serie patrata nunc præteream.

§. CCLV.

Mosen vero conscio integro Populo fraude & meris fictionibus usum esse, ut credi possit, nec ingens hominum numerus, cui hæc debuissent esse nota, permittit ; tot enim testes ad hominibus fucum faciendum periculosi sunt ; nec oneroforum præceptorum Hebræorum humeris impositorum ratio ; nec Populi immorigeri natura;

ra; nec denique fides harum rerum maximo obsequio ad seram posteritatem transmissa.

§. CCLVI.

Cum Religionis revelatæ contemtores viderent ejusmodi, qualia refutavimus, effugia, argumentis nostris, pro rei Veritate adductis, superandis minime sufficere: alium excogitarunt modum, quo difficultates illas solvere, & veritatem historicam destruere possent. Hæc omnia scilicet, quæ in Mosis libris narrantur, seris demum temporibus scripta esse asserunt, quo factum ut multa fuerint mutata, multa excogitata, ea præcipue quæ prodigia respiciunt, unde falsa admixta veris in Pentateucho extent.

§. CCLVII.

Aut vero de integra historia id asserunt, aut solummodo de quibusdam ejus partibus Miraculosa Facta continentibus. Totam Historiam plane spuriam esse non posse liquet ex (§. 226. seqq.), alias omnium sæculorum consensus & scriptorum fides neganda esset. Et non de Libro aliquo parvi momenti agitur, cujus non magna habita fuerit cura, sed de Libro, à quo integræ alicujus, & quidem celeberrimæ Reipublicæ fundatio, omnia ejus statuta, imo ipsa Religio dependebat, de libro omnibus & singulis in toto illo Populo notissimo, quem tota illa Gens ab antiquissimis temporibus venerata est, quæ maximam curam gessit, ne vel apex corrumpatur; quare ergo talem Librum Mosi magis abjudicare vellemus, quam Tito Livio aut Q. Curtio historias quas conscripserunt, aut Homero iliadas, vel denique Muhammedi quod Alcorani Autor extiterit. Et

§. CCLVIII.

Et licet voculæ quædam appellativæ, ut nomina quædam Urbium, explicationis gratia, dum Urbes illæ aliud nomen interea acceperunt, fuerunt addita, inde tamen Pentateuchum integrum tunc temporis demum scriptum esse, inferri nequaquam potest.

§. CCLIX.

Ergo huc tandem refugiendum est, Pentateuchum ipsum quidem quoad historiam esse genuinum, multa vero illi, præcipue quæ de prodigiis agunt, fuisse addita, ut eo major Populi Judaici & Religionis ejus apud reliquos etiam populos esset Autoritas.

§. CCLX.

Sed α. ipsa Populi Israëlitici historia cum Miraculis ita est connexa, ut unum sine altero esse nequeat, ablatis enim ex illa Miraculis, maxima oriuntur intervalla sive lacunæ, ut nulla amplius in historia deprehendatur connexio; Israëlis enim ex potestate Pharaonis Liberatio, Mosi præstitum obsequium, Legislatio in Deserto, iter illud diuturnum cum perpetuis Miraculis conjunctum, & ipsa denique in Terram Cananæam introductio, sine Miraculis concipi nequaquam possunt.

§. CCLXI.

β. Tot porro horum Miraculorum extant monumenta & documenta in ipsa Religione & cultu Judaico ad finem usque Templi secundi, ut ea inficias ire nequeas, nisi simul omnem plane fidem historicam evertere velis. Ipse enim Legis introitus, pleraque Judæorum Festa, primoge-

mogenitorum redemtio, conservatio Mannæ, Virgæ Aharonis, Tabularum fœderis, & Arcæ, cui inclusæ erant, aliaque plura tot sunt patratorum Miraculorum argumenta, ut de illorum veritate, qualia in libris Mosis recensentur, nemo Israëlitarum ullam suspicionem habuerit.

§. CCLXII.

γ. Statim post Mosen tot mendacia Libro illi inseri nequaquam potuerunt, propter rerum recentem memoriam; Ut vero longo post tempore tam impudenter corrumperetur, & mendaciis impleretur, singularis Judæorum cura non permisisset, siquidem semper ad superstitionem usque cavebant, ne vel apex corrumpatur. Aut enim debuisset corrumpi ante Legem susceptam; sed quis sibi persuadere poterit, cœtum sexcentorum millium virorum tot fabulas, ad Legem durissimam suscipiendam, sibi obtrudi siviſſe. Si post Legem susceptam; quid tum opus fuisset Miraculorum fictione, cum Moses, si Impostor fuit, finem suum jam obtinuit: sine Miraculis vero Legem illam à Populo fuisse susceptam, concipi nequit.

§. CCLXIII.

Post Josuam, Judices aut Samuelem Pentateuchum corruptum esse dici nequit, nisi simul dicas etiam illorum temporum historiam plane esse corruptam, cum arctissime inter se connectatur, & tantus tunc temporis Librorum Mosis exemplarium fuit numerus, qui in singulis legebantur Synagogis, Autographo in templo reposito, ut vel exemplaria omnia debuissent corrumpi, vel unum & alterum solum; prius fieri non potuisset, nisi consentiente toto Populo, quod impos-

impossibile & absurdum; si vero pauca tantum exemplaria fuissent adulterata, maxime propterea ortæ fuissent controversiæ, de quibus ne unicum quidem verbum in omnibus Judæorum scriptis extat.

§. CCLXIV.

Neque etiam post Davidis demum tempora id factum est, dum Rex hic ubique in scriptis suis horum prodigiorum mentionem injicit.

§. CCLXV.

Ex hisce omnibus nunc liquet, impossibile esse, ut Moses Impostor fuerit, merisque figmentis & serie mendaciorum per integros quadraginta annos, cœtum sexcentorum millium virorum omnibus rebus gestis præsentium decipere potuerit, illisque hac ratione jugum gravissimum imposuerit.

cf. 713

Veritatem Religionis Christianæ infra contra Naturalistas vindicabimus, quo lectorem amandamus.

§. CCLXVI.

Alia objectio à moderno Miraculorum defectu desumta est? ita nempe Irreligionarii nostri ratiocinantur; cum Religio tam vetus Judaica, quam Christiana de tot, quibus confirmata sit, Miraculis glorietur, ea vero sint vetustissima, ut nonnisi fide antiquissimorum temporum ac scriptorum constent, adeoque an illa genuina sint, hodiernis temporibus non extra omnem dubitationis aleam positum sit, illa maxime hoc tempore utilia esse & necessaria, dum scepticus Miraculo unico plus quam mille demonstrationibus convinci posset; cum vero nostris temporibus, licet sum-

summe necessaria sint, nulla plane fiant, ea etiam olim patrata fuisse, valde dubium esse atque incertum.

§. CCLXVII.

At non regeram, omnem fidem historicam hoc modo penitus labefactari; nec repetam, quæ jam de Veritate Miraculorum Mosis dixeram, neque etiam communem illam responsionem offeram, quod Apostolis totque Martyribus incredibilis affingatur dementia, qui ob rem proprio ingenio confictam falsamque tot mala perpessi sint, imo ipsum etiam sanguinem fuderint.

§. CCLXVIII.

Sed Miracula nunc inutilia esse ostendisse sufficit; α. nam, cum Deus nihil faciat frustra, ad rem aliquam probandam Miraculum novum committere non potest, ubi antiquum sufficit.

Illustr. WOLFIUS Met. §. 1043. propterea asserit: „Wenn Wunderwerke in solchen Faellen angegeben „werden, wo entweder die Natur zureichet der verlangten Absicht ein Genügen zu thun, oder wo „auch ein altes Wunderwerk, davon man Nachricht „hat, eben so viel ausrichten kan als das neue; so „ist nicht möglich, dass Gott dieselben Wunderwerke gethan hat.

§. CCLXIX.

β. Miracula necessaria nunc essent, aut ratione hominum profanorum ac incredulorum; aut ratione illorum, qui ad fidem adducendi sunt; aut ratione ipsorum fidelium, ut in fide sua confirmentur. *Primos* quod attinet, illi per Miracula vix ac ne vix quidem convinci possunt, quod illorum exemplo constat, qui Miraculorum tempore

pore vixerunt, & tamen durum semper habuerunt cor & immorigerum animum, quod patet si in animum revocamus Pharaonis, magni ex Hebræis numeri, qui Miracula Mosis viderunt, Sadducæorum & Pharisæorum, qui tempore Christi vixerunt, exempla, ex quibus omnibus abunde patet, Miracula sola ad hominem convincendum minime sufficere; fiant enim inter homines scepticos & profanos maxima Miracula, mille tamen semper ipsis supererunt effugia, mille difficultates, quibus illorum veritatem debellare conabuntur, semper obduratus manebit eorum animus.

§. CCLXX.

Convertendis vero olim gesta Miracula, de quorum fide ex certissimis historicorum monumentis constat, sufficiunt; habent Mosen, Prophetas, Apostolosque, quos obsequenti animo audiunt, nec propterea cupiunt, ut ex mortuis quisquam resurgat & Evangelium prædicet. Nec ipsi denique fideles illorum reiterationem postulant, sed olim illa facta fuisse ipsis sufficit, ipsaque Doctrinæ divinæ evidentia se ipsis satis commendat.

ed. 1953 (engl.) p. 15 f. (sect. 9)

Egregie de hac re TH. BROWNE in Religione Medici P. I. Sect. VIII. pag. 46. ubi ita fatur: „Ego vero „ mihi gratulor, quod in Miraculorum tempore non „ vixerim, quod nunquam aut Christum aut discipulos „ viderim, quod nec cum Israelitis mare rubrum transierim, nec in eorum numero fuerim, quos Chri„ stus per Miracula sanavit. Hic enim mihi nolenti „ volenti credendum fuisset, nec ad me pertinuisset „ benedictio de omnibus illis pronunciata, qui non „ videntes crediderint. Facilis est eorum & necessaria „ credulitas, qui ea credunt, quæ & oculi & sensus „ explo-

„ exploraverint. Christum mortuum & sepultum re-
„ surrexisse credo, inque gloria ejus potius, quam in
„ cenotaphio & sepulchro contemplari cupio. Hæc
„ autem credere minimum est; hanc fidem, ut æquum
„ est, historiæ debemus. Illis erat præ ceteris no-
„ bilis & animosa fides, qui ante adventum ejus vi-
„ xerant. Ex obscuris enim vaticiniis mysticisque ty-
„ pis credenda expiscati exspectarunt ea, quæ impossi-
„ bilitatem quandam præ se ferebant.

§. CCLXXI.

Objectio alia porro à sacrarum Litterarum obscuritate, dubio Canone, à contradictionibus in illis occurrentibus, Vaticiniis aut non impletis, aut admodum vagis & dubiis, Controversiis Historicis, Chronologicis, Geographicis, Criticis, à Dogmatum rerumque in illis contentarum vanitate, desumitur; ad quam infra in Cap. de Naturalismo respondebimus.

§. CCLXXII.

Non minimi vero momenti *illam Objectionem* esse, putant Athei, ad Religionis veritatem destruendam, quæ à dissensu Sectarum, varietate Religionum & Theologorum continuis controversiis depromta est.

Autor libelli de libertate cogitandi, qui COLLINUS est, præcipue argumentum istud contra Clerum urget, in quo multa quidem reperiuntur bona, sed multa etiam in odium Cleri & Religionis risum dicuntur; Sect. II. hanc ex præcedentibus conclusionem infert: »Posito præsente Scripturæ canone & textu Græco N. T. nullam de Deo & Religione genuinam notionem concipi posse. Quod ex eo probare conatur, quod ipsi Sacerdotes differentes inter se opiniones de Dei Natura & Attributis, de Autoritate & sensu Scripturæ Sacræ foveant, dogmata Christianæ Religionis secum invicem & cum sana ratione pugnare asserant, falsas doctrinas

in Ecclesiam irrepsisse fateantur, odio Theologico operam dent, hæreses innocentibus impingant, canonem Scripturæ incertum reddant, piisque fraudibus in corrumpendis libris utantur.

§. CCLXXIII.

Ad hæc jam respondit H. GROTIUS in egregio, de Veritate Religionis Christianæ, libro L. II. §. 16. 17. dicens: *Opponet forte aliquis contra dogmatum Christi excellentiam, quam prædicamus, magnam opinionum inter Christianos discrepantiam, unde orta sit & sectarum multitudo. Sed parata responsio, idem in omnibus ferme artibus accidere, partim imbecillitate humani ingenii, partim quod studiis judicium impeditur. Sed solent istæ opinionum varietates consistere intra certos terminos, de quibus convenit & unde ad ambigua argumentum petitur - - - - sic & discrepantia illa opinionum inter Christianos impedire nequit, quo minus de præcipuis - - - satis constet.*

§. CCLXXIV.

Inde ergo, quod Eruditi inter se dissentiant, in Veritatis præjudicium consequentia nequaquam inferri potest; alias præter Geometricas plane nullæ darentur veritates, cum nihil tam certum atque evidens sit, de quo non sæpius disputatum fuerit, quod tum ingenii humani imbecillitati, tum affectibus & partium studiis omnino adscribendum est.

Recte ideo Reverendiss. PFAFFIUS Dissert. priori de præjud. Theol. §. XXIII. in Not. Collino regerit. „ Ast „ miror, inquit, non vidisse Virum optimum, nul„ lam his omnibus inesse connectendi vim. Pona„ mus enim, hæc omnia verissima esse, quæ dicuntur, „ uti ex parte vera sunt, licet & plurima sint, quæ in „ perversum sensum rapiantur, aliter ab iis intellecta, qui

„ qui scripsere ea, quæ allegantur, testimonia, quid „ quæso tandem Theologorum quorundam vel male „ effata vel male facta ipsi nocebunt Religioni, nisi „ dicas Religionis veritatem ab illis destrui posse, qui „ ejus causſam male agunt.

§. CCLXXV.

Maximæ denique *difficultates*, quæ contra summi Numinis existentiam proferuntur, ab eo desumtæ sunt, quod nulla videatur dari Providentia, cum multa in Mundi hujus regimine tam sint confusa ac inordinata, ut summi Numinis Sapientiæ, si tale existeret, minime conveniant, tot tantaque in rerum Universo fiant mala, tam physica quam moralia, ut omnem divinæ Bonitatis ideam plane evertant. Cum vero cap. seq. ex professo Doctrinam de Providentia contra Deistas vindicaturi sumus, tractationem hujus difficultatis nunc non præoccupabimus.

§. CCLXXVI.

Objectiones, quæ in specie contra Mentis humanæ Immortalitatem afferuntur, & toties jam ab irreligionariis repetitæ sunt, huc præcipue redeunt: Inter hominis brutique animam tantum intervallum non esse, ut ratione Essentiæ à seinvicem differant, infantes enim primum plus non sentire quam bruta, nec tamen ab adultis nisi cognitionis gradu differre & cum anima perficiatur cum incremento corporis, palam esse, illam à corporis constitutione dependere, & pro variis corporis temperamentis cerebrique structura, varias etiam illius esse operationes, varias dotes, & cum deliquium patimur, nullas plane supereſſe animæ repræsentationes. Ex quibus facile pa-

teat α. differentiam omnem inter brutorum hominumque Animas nonnisi in hoc consistere, quod cum diversi generis corporibus conjungantur, diverso propterea modo facultates suas exserere queant, inde esse, quod infantes debili & ad agendum inepto admodum corpore præditi, multis brutis stupidiores sint, ut nullam fere in iis sensationem deprehendere possis; corpore vero crescente etiam perfectionis Animæ gradum crescere. β. Animam in omnibus suis facultatibus ac operationibus à corpore totam dependere, ut illo non amplius superstite etiam Anima facultates suas porro exserere nequeat.

§. CCLXXVII.

Sed gratis *primo* assumunt, Infantium & Brutorum sensationes & repræsentationes à seinvicem non differre, adeoque nec ipsam Animæ essentiam; quales enim Infantium repræsentationes sint nemo compertum habet, & illorum Anima jam tum rationem sufficientem omnium in sequentibus temporibus formandarum notionum, earum præcipue, quæ per sensus acquiri nequeunt, in se continet, quod de Brutorum animabus dici nequaquam potest.

§. CCLXXVIII.

Secundo, si Anima in omnibus suis actionibus & repræsentationibus à sensibus tantum corporis dependeret, impossibile esset, ut ideas ab omnibus repræsentationibus corporalibus abstractas & ab iis toto cœlo differentes sibi formare posset, sed contra omnes nostræ cogitationes ad corporalia tantum sese extenderent, neque vim imagina-

ginatricem unquam excederent, quod tamen sæpissime fieri, facile quisque ad semet adtendens deprehendet.

§. CCLXXIX.

Tertio denique quivis, qui de summi Numinis Mundi hujus Autoris & Gubernatoris existentia semel convictus est, facile concedet, plane alium existentiæ Mentis humanæ ac Brutorum esse finem, aliam plane ejusdem rationem; in Brutorum enim Animabus nil nisi analogum quid Rationis deprehendimus, neque actionem quandam invenimus, quæ inter sublimes illas Mentis nostræ ratiocinationes referri merito possit, & omnes Animæ nostræ facultates inferiores superet; sed ex sola vi imaginatrice explicari omnia facile possunt, quæcunque animalia bruta operantur; & eum præcipue animalium finem esse per experientiam constat, ut hominum usibus inserviant. Hominem vero ad percipiendum & ratiocinandum factum esse, quivis sui non ignarus intime conscius est; Cujus rei vero plane diversus est finis, cujus operationes toto cœlo sunt diversæ, & in plurimis maximisque nihil commune habent, ejus etiam alia oportet sit Essentia, ut ex proprietatibus unius ad proprietates alterius argumentari nequaquam liceat, neque inde inferre, quod cum Brutorum Animæ mortales sint, tales etiam Mentes humanas esse.

* * *
* *

Remedia Atheismo adhibenda.

§. CCLXXX.

Majus Atheismo malum non reperitur, omnis enim Religio plane subvertitur, arctissimum humanæ Societatis vinculum rumpitur, ad veram Virtutem obligatio tollitur, ipsa denique unica hujus vitæ felicitas atque solatium turbatur, & si fefellerit se Atheus, gravissimum ipsi imminet periculum; unde nulli rei magis quam huicce morbo medela adhibenda est.

§. CCLXXXI.

Prout vero varii in Atheismum prolabendi modi, & varia etiam ejus genera sunt, ita omnibus eadem medela non sufficit. Dantur enim, qui vel ex ignorantia & sine veritatis examine omnem Religionis amorem perdunt; vel qui impietate & voluptatibus ita abripiuntur, ut ex contemtu Dei, cultus illius, omniumque sacrorum, gloriam quærant.

§. CCLXXXII.

Alii majori cum animi deliberatione Atheismi Systema sibi formant, positisque principiis quibusdam per argumenta Religionem debellant, & sententiam suam munire satagunt.

§. CCLXXXIII.

Id vero quod semper, ubi semel à veritatis tramite discesseris, accidere solet, maxime etiam hic fit, nempe ut maximum sententiarum sit divortium, & ii, qui Atheismo se dederunt, per infinita

finita dubia in tranversum agantur, ut nullus fere cum altero consentiat, & diversa Atheismi sint principia, diversa forma, fines denique diversi, ut omnes etiam in diversa abeant.

Apponere hic lubet verba S. EVREMONDI Tom. I. de l'usage de la vie Ch. II. pag. 32 - 34. ut iis majorem fidem habeant illi, qui putant, Theologos omnes nonnisi præjudiciis ductos de hominibus à Religione sua diversis sententiam dicere. Ita nempe habent verba illa: „ Nous avons certains esprits laches toujours „ portés à l'Imitation des autres, qui sans s'etre exa- „ minés eux mêmes, ni avoir medité sur ces choses, „ donnent dans l'impieté, seulement pour se declarer „ partisans de quelque fameux libertin. Il est même „ certains esprits, qui par une force d'ame extravagan- „ te ne veulent en rien dependre de leur Createur, „ s'imaginant, que l'obeissance, qu'ils auroient pour „ cette Majesté infinie, choqueroit la liberté de leurs „ sentimens. Ce n'est pas qu'on ne voye les plus hon- „ netes gens du monde & les plus savans tomber dans „ quelque sorte d'incredulité ou d'incertitude. Ceux- „ ci ne se contentent pas de decouvrir une intelligen- „ ce eternelle par l'ordre de l'univers; leur curiosité „ les pousse à rechercher ce que ce peut être, & aprés „ avoir etonné leur entendement de ses qualités in- „ finies, que l'esprit de l'homme ne sauroit compren- „ dre, ils demeurent souvent incredules malgré qu'ils „ en ayent & ne sauroient accorder les sentimens de „ leur conscience. Or comme il faut se mocquer des „ sots & abhorrer les méchans, je croi qu'on doit „ avoir compassion des derniers & les plaindre seule- „ ment de ce qu'ils sont miserables. Quelques uns se „ gênent à se persuader ce qu'ils ne sauroient com- prendre. Les auttes attaquent le ciel, & blasphement „ contre un Dieu, dont ils n'ignorent pas le pouvoir. „ Aussi sont-ils toujours dans le trouble & dans le de- „ sespoir; & après avoir été agités par la rage de l' „ impieté, ils se trouvent dechirés par les remords de „ conscience; sur tout quand la lumiere les aban- „ donne, & que la compagnie qui les assuroit, les

„ laisse dans l'effroi de la solitude. Il n'y a passion „ facheuse, dont ils ne ressentent les mouvemens. La „ crainte, le trouble, l'inquietude, & la fureur les „ travaillent tour à tour. Il vaudroit mieux pour leur „ repos, qu'ils ne rentrassent jamais en eux-mêmes „ que d'avoir un moment de commerce avec leur con- „ science : car rien n'est egal au tourment de l'impie.

§. CCLXXXIV.

Qui ad primum Atheorum genus pertinent, ex labyrintho hoc via breviſſima evadere poterunt, ſi excuſſis omnibus præconceptis præjudiciis, non tantum Errores, qui inter Chriſtianos regnant, detegere allaborant, ſed ut veritatem inveniant, ſerio examine annituntur.

Ita nimirum comparata eſt hominis mens, ut falſa, præcipue quæ voluptati, quæ affectibus, quæ ſapientiæ carnali arridenti, magis quam vera amet; facilius propterea falſa quam vera inveniuntur, neque difficile eſt rem quamcunque riſui atque ludibrio exponere; ſed id quod verum eſt detegere, maximo ſtudio verum à falſo diſtinguere, hoc hoc homini præjudiciis imbuto difficillimum eſt; unde iis qui ex ignorantia aut ignavia Sceptici vel Athei ſunt, nihil magis proficuum eſſe poteſt, quam ſi ipſimet rem examinent & pro Exiſtentia Summi Numinis ac Religionis Veritate adſtruenda magis, quam pro illa deſtruenda, argumenta conquirant, quod ſi facient, omnibus opinionibus ſepoſitis, facile deprehendent, pro quanam oppoſitorum parte meliora argumenta militent.

§. CCLXXXV.

Id tamen etiam in hoc examine, uti in omnibus aliis rebus, cavendum, ne nodum in ſcirpo quæramus.

§. CCLXXXVI.

Ii vero, qui vitiis dediti omnem Divinitatis ſen-

ſenſum ex animo expellere tentant, ipſam prius ſcelerum turpitudinem agnoſcant oportet, illaque ipſi humanitati adverſari ſentiant, quod fit, ſi conſcientiæ morſus, qui haud raro ejusmodi etiam homines monent, ut ad meliorem mentem redeant, non ſuffocentur, ſed potius excitentur, quo fit, ut hominis animus iterum ad ſe redeat, poſtquam in objectis ſenſualibus plane diſperſus fuit, unde homo ſe ad Numinis reverentiam Religionemque obligatum & natum eſſe mox intime convincetur.

§. CCLXXXVII.

Morbus ſcepticus, qui ex intellectu originem ſuam ducit, multo periculoſior eſt illo, qui ex corrupta voluntate ortum habet, unde ſtatus illorum longe deterior eſt, qui data opera & inito examine Atheismi ſyſtema ſibi fingunt; quapropter hi difficillime etiam adduci poſſunt, ut Pyrrhonismi ſeu Atheismi miſeriam agnoſcant.

§. CCLXXXVIII.

Haud raro malum hoc ita inveteratum eſt, ut illo extirpando nonniſi ipſa Omnipotentis operatio ſufficiat; ſi vero animus ad Scepticismum magis, quam ad ipſum Atheismum inclinat, ſedanda ante omnia mens vel affectibus hactenus abrepta, ut ad veritatem adtendere nequeat, vel diſſipata variis ſpeculationibus, ut extra ſphæram ſuam quaſi vagetur.

§. CCLXXXIX.

Et cum animus ad ſe reverſus eſt, ponderanda argumenta pro divina Exiſtentia, pro Religionis tum Veritate tum Præſtantia ab ejus defenſo-

ribus allata, mensque ad seriam proprii status considerationem & Verbi divini lectionem ac meditationem componenda est; hoc si homo sincere fecerit, etiam Intellectus sui imbecillitatem, Scepticismi miseriam, Revelationis necessitatem & Christianæ Religionis præstantiam facile agnoscet.

De Spinosismo.

§. CCXC.

Spinosismi definitionem dedimus (§. 6.), superest, ut ejus dogmata tradamus, cum vulgo etiam inter Atheorum capita numeretur Hypotheseos hujus fortissimus defensor BENEDICTUS DE SPINOSA, cujus Placita, quoniam à reliquorum Atheorum hypothesibus differunt, summatim hic nobis exhibenda sunt.

Doctrinam SPINOSAE non novam esse, probabile putat Celeb BUDDEUS Dissert. de Spinozismo ante Spinozam & in Thesibus de Atheismo Cap. I. §. VII. ex Mose Maimonide Moreh Nevochim Part. III. Cap. XIX. Fieri enim potuisse, inquit Celeb. Vir, de Sabæismo, ut tandem in Spinosismum evaderet. Multos enim veterum per varia, quæ apud Gentiles colebantur, idola, nihil aliud quam partes hujus Universi intellexisse. Unde summus ille Deus, qui per partes colebatur, alius non fuerit, quam τὸ πᾶν, *hoc Universum.* Ita etiam inter Cabbalistarum doctrinam & Spinozismum haud parvam similitudinem esse, licet discrimen etiam sit, censet idem Vir Doctus; Chaldæorum vero sententiam inter eas referendam, quæ ad Spinozismum ducere possunt.

Πρῶ-

Πρῶτον ψεῦδος
&
Errores cum illo connexi.

§. CCXCI.

Primaria hypotheſis hæc eſt, quod SPINOZA nonniſi unicam admiſit Subſtantiam infinitis Attributis conſtantem, quæ ſunt cogitatio & extenſio infinita, quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit.

§. CCXCII.

Hanc Subſtantiam ipſum Deum eſſe aſſerit, dum præter Deum nulla dari aut concipi poſſit Subſtantia, adeoque alius Deus eſſe non poteſt, quam unica illa & abſolute infinita Subſtantia.

Ex hoc concludit Celeb. BUDDEUS Diſſert. de Spinoſismo ante Spin. Fuiſſe ante Spinozam, qui in eo, quod caput cauſſæ eſt, cum eo conſenſerint, omnes ſcil. illos, qui non alium quam Naturam ipſam, ſeu hoc Univerſum, agnoverunt Deum, quive adeo pantheiſtarum nomine à quibusdam inſigniantur; primum tamen Spinozam fuiſſe, qui in Syſtematis formam hanc impietatem ſumo ſtudio redegerit. Hoc tamen obſervandum, ne cuiquam aliquid tribuamus, quod ipſe non aſſeruit, Spinoſam diſtinctionem aliquam facere inter Naturam naturantem & Naturam naturatam, uti Scholaſtici loqui amarunt. Vide Ethicæ Part. I. Prop. XXIX. in Schol. pag. 27. Inter Spinoſismum vero & Cabbaliſtarum de rerum omnium ex divina eſſentia emanatione ſententiam, comparationem inſtituit JOH. GEORG. WACHTERUS & probare anniſus eſt, Spinozam ex Cabbala Judæorum ſua ſumſiſſe, in libro cui titulus eſt, *der Spinozismus im Judenthum, oder die*

die von dem heutigen Judenthum und deſſen geheimen Cabbala vergötterte Welt. Amſtælod. MDCXCIX. quæ ſententia, licet ideo ſpecie non careat, quia Spinoza gente Judæus fuit, adeoque placitis & doctrinis Judæorum innutritus, propterea tamen diſplicet Cel. BUDDEO, quod Spinoza ingenio plane philoſophico fuerit, geometricasque demonſtrationes quæſiverit, unde valde dubitandum ſit, quod obſcuris Cabbaliſtarum myſteriis multum tribuerit.

§. CCXCIII.

In Spinoſismo ergo Deus eſt Subſtantia conſtans infinitis Attributis, quorum unum quodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit.

Per Subſtantiam nempe intelligit Spinoſa id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur. Per Attributum vero, quod Intellectus de Subſtantia percipit, tanquam ejusdem eſſentiam conſtituens: Per cauſſam ſui id, cujus eſſentia involvit exiſtentiam. Rem in ſuo genere finitam dicit, ubi aliud ſemper majus concipitur, ſive quæ alia ejusdem generis terminari poteſt.

§. CCXCIV.

Cum præter Deum nulla alia ſubſtantia exiſtere poſſit (§. 292.), omnia quæcunque exiſtunt concipienda ſunt tanquam variæ modificationes Attributorum iſtius Subſtantiæ: Unde entia finita oriuntur, veluti Spiritus ex modificatione cogitationis infinitæ & Corpora ex modificatione extenſionis infinitæ.

Omnes ergo res particulares nihil aliud ſunt, quam proprietatum illarum ſive Attributorum varii modi Part. I. Coroll. Propoſ. XXV. inquit: *Res particulares nihil ſunt niſi Attributorum affectiones ſive modi, quibus Dei Attributa certo & determinato modo exprimuntur.* Mentem humanam conſiderat ceu partem

tem infiniti Intellectus divini, dum Part. II. Propos. XI. in Coroll. ita pronuntiat: *Hinc sequitur, mentem humanam partem esse infiniti Intellectus Dei, ac proinde, cum dicimus, mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod Deus, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanæ mentis explicatur, sive quatenus humanæ mentis essentiam constituit, hanc vel illam habet ideam.* Pag. 51. Alibi Part. IV. Propos. IV. in Demonstratione, postquam asseruisset, fieri non posse, ut homo non sit Naturæ Pars, addit in Demonstratione pag. 169. *Potentia qua res singulares, & consequenter homo suum esse conservat, est ipsa Dei sive Naturæ potentia, per Coroll. Propos. 24. Part. II. non quatenus infinita est, sed quatenus per humanam actualem essentiam explicari potest, per Propos. 7. pag. 3. Potentia itaque hominis, quatenus per ipsius actualem essentiam explicatur, Pars est infinitæ Dei seu Naturæ potentiæ, hoc est (per Prop. VII. Part. III.) Essentiæ.* Eodem modo de Corpore pronunciat: *Per Corpus*, inquit, *intelligo modum, qui Dei essentiam, quatenus ut res extensa consideratur, certo & determinato modo exprimit.* Ethices Part. II. de Nat. & Orig. Mentis Def. 1. pag. 40.

§. CCXCV.

Quoniam omnia, quæcunque in Mundo producuntur, sive sint Spiritus sive Corpora, per modificationem tantum Attributi alicujus divini producuntur (§. præced.): sequitur, Potentiam Dei, per quam res ortum suum accipiunt, non esse nisi potentiam modificatricem.

§. CCXCVI.

Ex hac Potentia modificatrice omnium rerum

rum in Mundo rationem sufficientem reddi posse statuit Spinoza, potentiam propterea creatricem, ut confictam rejicit.

§. CCXCVII.

Cum Deus non sit substantia ab hoc Mundo diversa (§. 292.); neque ipsi competat Potentia creatrix (§. præced.): Hinc Spinoza etiam nec Creationem alicujus rei ex nihilo à causa extramundana admittere potuit.

§. CCXCVIII.

Juxta Spinosam omnia quæcunque fiunt, fiunt per modificationem Attributorum divinorum (§. 294.), quæ æterna, adeoque etiam necessaria sunt; hinc etiam statuit omnia ex necessitate divinæ Naturæ determinata esse ad certo modo existendum & operandum, Ethicæ Prop. XXIX. Part. I. pag. 26. quidquid vero ex Attributo aliquo divino necessario sequitur, etiam necessario existit. Prop. XII. nec adeo Deus operatur Voluntate libera, sed necessaria, dum res nec alio modo, nec ordine produci potuerunt, quam productæ sunt. Prop. XXXIII. pag. 29. Omnia ergo, quæ existunt, sunt absolute necessaria.

§. CCXCIX.

Sed eandem ob causam ipsa etiam Voluntatis humanæ Libertas tollitur; & determinatio ad hoc vel illud volendum necessaria est; & homines tantum se liberos esse opinantur, quatenus volitionum suarum sibi conscii sunt; Prop. XXXVI. in Schol. sive appendice pag. 34.

Ex

§. CCC.

Ex quibus patet, Spinosam omnem in Mundo contingentiam plane tollere, & absolutam necessitatem ad ipsas actiones humanas extendere, adeoque universale quoddam fatum introducere.

§. CCCI.

Moralitas actionum in hoc consistit, quando creatura rationalis libere ad aliquid vel faciendum vel omittendum determinatur; quoniam vero Spinoza actionum omnium libertatem plane tollit, (§. 299.), eo ipso etiam actionum moralitatem tollit.

§. CCCII.

Finis est id propter quod caussa aliqua efficiens agit, adeoque libera determinatio rationum specialium ad aliquam universalem; quoniam autem omnia absoluta & æterna necessitate fiunt, ex hypothesi spinosistica (§. 298. 300.), etiam nulla existere potest caussa, propter quam efficiens libere agat; unde omnes etiam à rerum natura arcendi sunt fines, quos humanum figmentum esse Spinosa pronunciat. Appendice supra cit. pag. 36. *Ut jam autem ostendam*, inquit, *naturam finem nullum sibi præfixum habere, & omnes caussas finales nihil, nisi humana esse figmenta, non opus est multis. Credo enim id jam satis constare, tam ex fundamentis & caussis, unde hoc præjudicium originem suam traxisse ostendi, quam ex Propos. 16. & Coroll. Propos. 32. & præterea ex iis omnibus, quibus ostendi, omnia naturæ æterna quadam necessitate, summaque perfectione procedere.*

Si

§. CCCIII.

Si vero nullus datur rerum finis, Deo etiam nulla adscribi potest Sapientia; unde illam pariter Spinosa humanis figmentis accenset.

§. CCCIV.

Omnis, eandem ob caussam, etiam rerum sapiens ad finem aliquem Gubernatio & Providentia ex Mundo eliminanda est.

§. CCCV.

Dum res à Deo alio modo & ordine produci non possunt, quum absoluta necessitate producuntur (§. 298.), omnisque ex Mundo contingentia tollitur: Hinc secundum Spinosam impossibile est, ut aliquid in Mundo fiat, cujus caussa naturalis sufficiens in statu ejus antecedente non existat. Quando autem in Mundo aliquid contingit, cujus ratio sufficiens naturalis in statu Mundi antecedente non datur, sed quod proficiscitur à caussa ab hoc Mundo diversa, quam Spinosa negat, vocatur Miraculum. Propterea illi etiam Miracula proprie sic dicta impossibilia sunt.

Miracula ideo explicat per effectum quendam naturæ insolitum, cujus caussam Vulgus ignorat, vel cujus caussam naturalem exemplo alterius rei insolitæ explicare non possumus; hinc infert, omnia ea, quæ in S. Scriptura pro Miraculis venditantur, nonnisi effectus naturales fuisse, id vero quod per effectum naturalem in S. Scriptura explicari nequaquam possit, sed Naturæ legibus plane contrarium sit, ab hominibus impostoribus & Sacrilegis Sacro Codici adjectum fuisse contendit. Videndæ hic Litteræ Spinozæ ad OLDENBURGIUM datæ Epist. 21. pag. 449. Epist. 23. pag. 452. & Tract. Theol. Polit. Cap. VI. pag. 67. seqq.

Spino-

§. CCCVI.

Spinoſa negat tum hominis in agendo Libertatem (§. 299.), propterea etiam actionum Moralitatem (§. 301.), ut & omnes actionum Fines (§. 302.), nec non divinam Sapientiam (§. 303.), & Providentiam (§. 304.); ſine his omnibus vero Religionem ſubſiſtere non poſſe quivis facile perſpicit; unde Spinoſa etiam irreligionarius eſt.

§. CCCVII.

Et quoniam abſolutam omnium rerum neceſſitatem ſtatuit, & contra animæ libertatem tollit, inde ipſum etiam obligationem divinam admittere non poſſe, quivis ſine probatione admittit.

Ipſe Spinoſa talem agebat vitam, quæ ſcelerata dici minime poterat, & eum, qui ſecundum rationem & conformiter humanæ Naturæ vivit, perfectiorem exiſtimat illo, cujus actiones rationi conformatæ non ſunt. Juri enim naturæ conformiter vivere maxime conſentaneum eſſe cum aliis Atheis cenſebat, qui ſanioris mentis eſſe volunt.

§. CCCVIII.

Cum Spinoſa Exiſtentiam Dei admittere videri vult, ſed tamen illum hujus Mundi cauſſam primam & finem ultimum eſſe negat, ſapientem omnium rerum Gubernationem inficiatur, & irreligionarius eſt: patet, Spinoſismum certo reſpectu Atheismo pernicioſiorem eſſe.

Quoniam hoc modo Atheismus ſub involucro aliquo ſpecioſo latet, apparet illos, qui ipſum inter præcipuos Atheismi propugnatores numerant, non nimium ipſi imputare, neque ex odio Theologico contra prudentiæ regulas peccare.

Spinosismi Refutatio.

§. CCCIX.

Fundamenta Spinozismi plane subvertit Illustris WOLFIUS Tom. II. Theol. Nat. dum primo varios in definiendo Spinosæ lapsus demonstrat: quod nimirum Attributum cum determinationibus essentialibus confuderit (§. 679. l. c.); quod Notio Substantiæ minus recte ingrediatur notionem Attributi in definitione Spinosæ (§. 680. l. c.); quod Modos ab Attributis proprie sic dictis non distinguat (§. 681.); quod Modos quoque solos minus recte Substantiæ opponat (§. 682.); & Substantiam non in significatu recepto sumat (§. 683.); illamque confundat cum Ente à se (§. 684.); non recte, sed ambigue Finitum definiat (§. 685.); quod Spinosismus nitatur principiis precariis, confusis atque ambiguis (§. 687.); & quod Spinosa confusam Extensionis notionem habeat (§. 688.); illamque perperam ut realitatem concipiat (§. 689.); neque illa in sensu Spinosæ per se concipi, nec in illius sensu Attributum Dei esse queat (§. 690. 691.); adeoque sibimet ipsi contradicat. Neque etiam Spinosam probasse Extensionem infinitam esse possibilem (§. 693.); nec corpora oriri posse per modificationem Attributi alicujus divini, infinitæ scilicet extensionis, nec in sensu Spinosæ illa dici posse modum, qui Dei essentiam, quatenus ut res extensa consideratur, certo & determinato modo exprimat (§. 694.), quod non probaverit, in rerum natura non posse dari duas, aut plures substantias ejusdem naturæ, sive attributi, Prop. V. Part. I. Eth. (§. 697.); In recepto

cepto significatu notioni Substantiæ non repugnare, ut dentur plures ejusdem generis vel speciei: imo actu dari (§. 698.); Spinosam non demonstrasse, substantiam unam ab alia substantia produci non posse, imo absolute ab alio produci non posse (§. 699.); neque illum demonstrasse, Substantiam necessario existere (§. 700.), sed potius demonstrari potest contrarium, quod non omnis Substantia necessario existat (§. 701.); neque etiam Spinosa demonstravit, substantiam omnem necessario esse infinitam (§. 702.); neque porro Spinosa demonstravit, præter Deum nullam dari, neque concipi posse Substantiam, seu non dari substantiam nisi unam, eamque infinitam (§. 704.); Realitas quoque omnis infinita ac in specie cogitatio infinita non componi potest ex realitatibus finitis, quæ numero infinitæ sunt (l. c. §. 706.); nec res cogitantes finitæ oriri possunt modificatione cogitationis infinitæ, tanquam Attributi divini, nec dici possunt Modus attributi divini, infinitæ scilicet cogitationis (§. 707.); demonstrat porro Illustris Vir, Corpora & Animas non esse posse in Deo tanquam partes in toto, nec dici posse particulas Dei (§. 708.); Quod Spinosa Fatalem rerum omnium Necessitatem, quam admittit, nec demonstraverit nec demonstrare potuerit (§. 710.); Quod Spinosismus sit falsa hypothesis (§. 711.); quod erret, dum Fines omnes à rerum natura arceat, eosque nil nisi humana figmenta esse pronunciet (§. 712.); Quod erret Spinosa, dum Miracula in numerum impossibilium refert (§. 713.), hucusque Illustris WOLFIUS.

§. CCCX.

Hisce sequentia tantum addimus 1.) Quod falsitas hypotheseos Spinosisticæ eadem ratione demonstrari possit, qua Existentia Entis à se ab hoc Mundo diversi, ejusque Caussæ, ex rerum contingentia eruitur.

§. CCCXI.

2.) Quod vario modo contra Spinosam ad absurdum argumentari possimus, uti à multis, imo ab ipso BÆLIO factum fuit; plane enim hypothesis ista ideæ, quam de Deo summisque illius Attributis habemus, contraria est. α. Spinosa unicam tantum admittens Substantiam Deo extensionem adscribit; ex Principiis Rationis demonstrari potest, Deum esse Ens simplicissimum; ex principiis Spinosæ vero, illum ex partibus finitis at innumeris compositum ac conflatum esse: hoc est quod aperte contradictionem involvit & quod nemo mortalium conciliare potest.

§. CCCXII.

β. Ex principiis Rationis demonstratur, Deum esse immutabilem atque omnes suas Perfectiones simul & sine ulla successione possidere; At quantis mutationibus obnoxius est Spinosæ Deus? quot enim mutationibus Mundus continuo volvitur? quot corruptiones & generationes in illo fiunt? ut perpetua successione unus status alterum excipiat.

§. CCCXIII.

γ. Cogitatio porro Dei semper una eademque est, cum Deus per infinitum suum Intellectum omnia simul & distinctissime sibi repræsentet;

tet; sed quot secundum Spinosam in illo divino Attributo, quod cogitationem appellat, sunt modificationes, quot in cogitando contradictiones?

§. CCCXIV.

δ. Deus vi Essentiæ suæ etiam non potest non esse sanctissimus, ut omnes cogitationes pravæ absint longissime, contra vero constans Voluntas faciendi nonnisi quod rectum est summo gradu ipsi competat. Secundum Spinosam vero tot horrenda, quæ ab hominibus fiunt facinora, tot execrabiles sermones, tot blasphemæ cogitationes, sunt in ipso Deo & tot Dei modificationes sunt; summis igitur Deus imperfectionibus moralibus obnoxius esset, quod ipse PETRUS BÆLIUS in Dictionario suo Historico-Critico sub voce Spinosa observavit. Plura hisce addere opus non est.

Objectiones Spinosistarum.

§. CCCXV.

Vir Acutissimus BÆLIUS in Dictionario suo, Errores quidem ac Contradictiones Spinosæ acriter perstringit, tria tamen putat esse principia generalia sive difficultates, quæ Spinosæ cum reliquis Atheis communes & per quas Spinosa ad Atheismum inductus fuerit, quæque à nemine unquam ex principiis Rationis aut refutata sint, aut solide refutari queant.

§. CCCXVI.

Primum, quod insolubile esse existimat, est: Materiam esse æternam & tamen à Deo differre.

Supponit nimirum materiam esse necessario existentem, unde putat Rationem minime capere posse, quomodo materia possit esse æterna & necessario existens, & tamen non sit ipse Deus.

§. CCCXVII.

At gratis assumitur, Materiam esse necessario existentem, quod si negatur probari nunquam poterit; Nam α. in conceptu materiæ plane nihil deprehenditur, quod existentiam necessariam involvat, neque ulla solida dari potest ratio, quod materia, quæ nunc existit, semper existere debuerit, contrarium potius ex ejus contingentia demonstratur.

§. CCCXVIII.

β. Ex hisce Atheo unum eligendum est, *aut* materiam rudem indigestamque molem ab omni æternitate per infinita sæcula jam extitisse; *aut* ipsum Mundum ex parte ante æternæ durationis esse. Si prius assumunt, ratio ipsis danda est, ex qua explicari potest, quomodo certo temporis spatio ex materia indigesta tam elegans rerum ordo, nexus atque series oriri potuerit; hæc ratio vero quærenda est, *aut* in ipsa materia, *aut* in re à materia hac diversa; in materia nihil inveniunt, quam fortuitum illum atomorum concursum, qui nec explicari nec ejus ratio dari potest; Mundi vero hujus, ex materia jam præexistente, sed indigesta, productionem, ab Ente ab hac materia diverso derivare, tanquam formationis hujus caussa, contra illorum hypothesin est, quæ tale Ens minime admittit.

§. CCCXIX.

Eo ergo recurrendum, quod Mundus jam forma-

formatus ab æterno exſtiterit, at tunc admittere tenentur progreſſum in infinitum aut circularem, aut rectilineum ex parte ante, quem impoſſibilem demonſtravimus (Propoſ. V. hujus Capitis.)

§. CCCXX.

Alterum principium, quod BÆLIUS nullo modo everti poſſe putat, eſt tritiſſimum illud Atheorum *ex nihilo nihil fit*, impoſſibile enim eſſe aſſerit Spinoſa, ut una ſubſtantia poſſit produci ab alia ſubſtantia.

§. CCCXXI.

Hoc duplici ſenſu equidem verum eſt α. ratione cauſſæ materialis β. ratione Subſtantiæ infinitæ, quæ ab alia produci non poteſt, neque Deus, qui eſt Subſtantia infinitis Perfectionibus prædita, ab alia produci potuit. At Ratio in hoc nullam plane contradictionem invenit, quod ſubſtantia infinitis Perfectionibus, per conſequens infinita etiam Potentia prædita aliam producere ſubſtantiam & ex nihilo aliquid efficere poſſit.

In hypotheſi potius Atheorum aliquid deprehenditur, quod ratio concipere minime poteſt; ſtatuunt nimirum illi, qui Mundum hunc fortuito caſu ex materia æterna formatum fuiſſe aſſerunt, non quidem unam rem ab alia re ex nihilo produci, ſed aliquid per ſe ex nihilo oriri poſſe, dum ſapientem hunc & elegantiſſimum omnium rerum ordinem, nexum, ſeriem, quæ omnia non minus reale quid ſunt, ac ipſa materia, ex nihilo orta perhibent; nec enim ullus ordo aut nexus antea extitit, qui cauſſa potuerit eſſe ordinis ſequentis, nec alia adfuit ratio; ergo ex nihilo aliquid per ſe productum fuit; neque dicere poſſunt, illum rerum omnium ordinem ac nexum tanquam Ens aliquod conſiderari non poſſe, & cum nihil reale ſit, etiam productione ex nihilo opus non habere! Sed id tamen in-

ficiari minime poterunt, per hunc rerum nexum ac ordinem Mundum hunc exiſtere, & ſi nullus eſſet ordo rerum, ſed materia adhuc confuſa ac indigeſta foret, Mundum non exiſtere; ordo ergo ille Mundo dat exiſtentiam, ſive per ordinationem illam Mundus factus eſt id quod eſt; quis autem concipere poterit id, per quod totum univerſum eſt id quod eſt, & ſine quo Mundus ne quidem exiſteret, nihil reale eſſe; illud reale autem ex mente Atheorum per ſe ex nihilo ortum fuit, dum ex illorum hypotheſi ordo ille & nexus rerum non ſemper extitit, neque ullam extra ſe cauſſam habere potuit cur exiſtat. Dicant ergo mihi, quid principiis rationis magis conveniat, an quod Ens infinitis perfectionibus præditum aliquid ex nihilo producere poſſit? An vero quod aliquid, quod antea non extitit, ſine ulla cauſſa oriri queat.

§. CCCXXII.

Tertia difficultas, quam BÆLIUS inſolubilem judicat, hæc eſt, Spiritum ſumme liberum, ſanctiſſimum ac ſapientiſſimum non potuiſſe tale opus producere, quale hic Mundus eſt, in quo bona malis mixta ſunt. De qua re in ſequentibus nobis dicendi anſa erit, ubi contra Deiſtas divinam Providentiam ab objectionibus vindicabimus. → 742

De Materialismo.

§. CCCXXIII.

Atheismo proxime accedit Materialismus, per quem intelligitur ea hypotheſis, qua Deus & Anima materialis & extenſa ſtatuitur.

§. CCCXXIV.

CAUSSA hujus hypotheſeos eſt, quod Materialiſtæ omnia, etiam ſpiritus, vi imaginationis ſibi

sibi repræsentare volunt; cumque Deum reliquosque Spiritus sibi imaginari nequeunt, nisi ea concipiant ceu materiale & extensum quid, omnino Spiritus immaterialis ideam impossibilem esse arbitrantur, proptereaque nihil pro Ente habent, nisi quod extensum est.

Unde COWARDUS Medicus Anglus in tractatu speciali probare nisus est, substantiam spiritualem esse conceptu impossibilem, figmentum philosophicum S. Scripturæ adversum. cf. wolff I. § 622

§. CCCXXV.

Ii propterea maxime in Materialismum incidunt, qui ingenii obtusioris sunt, & cogitationibus ab omnibus rebus sensualibus abstractis parum assueti.

§. CCCXXVI.

Fit tamen sæpissime, ut ii etiam, quibus ingenii acumen minime deest, hypothesi hac ad Scepticismum tam philosophicum quam theologicum tuendum utantur.

§. CCCXXVII.

Πρῶτον Ψεῦδος Materialistarum hoc est, quod materia sit subjectum perceptionum ac volitionum, & quod substantiæ materiali seu corporeæ conveniant Intellectus & Voluntas.

Fortissimus materialismi defensor fuit HOBBESIUS, quem præcipue omnes illi sequuntur, qui immortalitatem animæ debellant; acutissimus etiam LOCKIUS in Libro quem de Intellectu humano scripsit, defendit, nos de animæ immaterialitate certos esse non posse, dum nesciamus, annon Deus per infinitam suam Omnipotentiam facultatem cogitandi materiæ concesserit, inique vero agunt illi, qui etiam S. R. ac Celeb. BUD-

DEUM materialismi reum faciunt, propterea quia Phil. Eclect. Tom. II. Part. VI. cap. I. §. VIII. scripsit: *Essentia & Spirituum & Corporum nobis est incognita. De utrisque nihil nisi proprietates quasdam & operationes cognoscimus. Ergo temerarium est, si quis dicat, naturæ materiali repugnare, si cogitet. De re enim nobis incognita, quid ei repugnet, aut non repugnet nullo modo asserere possumus. Multo itaque minus inferre licet, Spiritus cogitant, ergo sunt immateriales.* Satis clare enim Celeberrimus hicce Vir sententiam suam explicavit in Thesibus de Atheismo. Cap. 17. §. VI. p. 501.

recte: VII, §. II, not.*

§. CCCXXVIII.

Cum Materialista Deum non alium admittat quam qui sit Ens materiale, hinc in hypothesi ejus non repugnat, Ens materiale esse Ens à se, & per consequens ipsum Mundum esse Ens à se, quoniam autem Ens à se est ipse Deus: Sequitur, Materialistam facile in hanc induci posse sententiam, *aut* quod nullum Ens à se ab hoc Mundo diversum ejusque Autor existat, *aut* in Spinosismum, quod hic Mundus sit ipse Deus.

§. CCCXXIX.

Unde patet quod, licet Materialista non sit simpliciter Atheus, tamen Atheismo proximus, ut facile in illum prolabi queat.

§. CCCXXX.

Et quia Materialismus Animæ tum libertati tum incorruptibilitati & immortalitati valde adversus est, hinc HOBBESIUS etiam mentis humanæ libertatem negavit; & illa hypothesi admissa difficile quisquam de ejus immortalitate convinci poterit. Hæc

Hæc enim vulgariter Materialiſtarum de anima opinio eſt, animam eſſe qualitatem quandam, ſeu Virtutem ex materiæ diſpoſitione ortam, & poſt Corporis mortem vel per illius obitum diſſolvendam. Unde DICÆARCHUS jam olim ſtatuit ſecundum Romanorum diſertiſſimum Quæſt. Tuſcul. Lib. I. cap. 10. Nihil eſſe omnino Animum, & hoc eſſe totum nomen inane, fruſtraque & animalia & animantes adpellari, neque in homine ineſſe animum, vel animam, nec in beſtia. Vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel ſentiamus, in omnibus corporibus vivis æqualiter eſſe fuſam, nec ſeparabilem à Corpore eſſe, quippe quæ nulla ſit, nec ſit quidquam, niſi corpus unum & ſimplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat & ſentiat. § 21

Objectionum præcipuarum Solutio.

§. CCCXXXI.

Duæ præprimis difficultates ſunt, quas Materialiſtæ nobis objiciunt, prima Deum reſpicit, altera Animam noſtram. Reſpectu Dei dicunt, ſe nullam Entis Omnipræſentis habere poſſe Ideam quod ſine extenſione ſit, Deum vero concipere ceu Ens aliquod ſimplex omnis diviſionis & partium expers ſimile puncto mathematico & tamen infinitum, admodum contradictorium & ridiculum eſſe.

§. CCCXXXII.

Ad hæc reſpondet Illuſtris WOLFIUS Theol. Nat. Tom. II. §. 622. in Scholio, dum dicit: Quod Materialiſtæ, ſive nomen ſuum profiteantur, ſive videri nolint, qui ſunt, Ens ſimplex pro puncto Mathematico habent, atque adeo rident Simplicitatem Dei Entis perfectiſſimi p. 612

ac

ac Omnipræsentis assertam, non aliunde est, quam quod idem sibi imaginari velint, & simplex sumant tanquam minimam extensi partem. Quodsi ergo Vires sensuum & imaginationis non extenderent ultra limites harum facultatum; nec impossibile sibi experiri viderentur concipere Ens simplex, nec hoc ipsum cum puncto mathematico confunderent. Quamdiu vero ultra sensus ac pendentem inde imaginationem sapere nolunt; nihil adversus eos effeceris.

§. CCCXXXIII.

Deum vero non esse Ens compositum & corporeum, sed Ens simplex suo loco demonstravimus (Cap. III. §. 305- 308.).

§. CCCXXXIV.

Altera objectio Animam respicit, quæ eadem est, quam supra (§. 276.) adduximus, nempe quod Mens cum corpore gignatur, adolescat, vigescat, senescat, & tandem cum corpore deficiat, quæ jam olim à LUCRETIO Lib. III. fuere prolata, & hodiernis irreligionariis toties toties-que repetita recoctaque fuere. LUCRETII verba ita habent:

Præterea gigni pariter cum corpore & una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri teneroque vagantur
Corpore; sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas;
Consilium quoque majus & auctior est animi vis.
Post, ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus;
Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.

§. CCCXXXV.

Solvi potest hæc difficultas tum ex iis, quæ Cap. III. §. 689 - 716. de animæ natura demonstravimus, tum ex iis etiam quæ supra §. 277. 278. adstruximus. Nihil propterea hic addimus, quam quod ipsa arctissima Animæ cum Corpore unio, quodcunque assumatur systema, requirat, ut pro diversa corporis constitutione animæ operationes diverso etiam modo sese prodant, ut non tam Anima, quam quidem ejus operationes, quas per Corpus exserit, mutentur. Si enim, quomodocunque Corpus comparatum sit, Anima quoad actiones externas eodem semper modo sese exsereret, aut sequeretur nullam plane inter Animam & Corpus esse relationem, aut Corpus edere debere actiones constitutioni præsenti suæ non conformes; cum vero neutrum dici possit, oportet Animæ operationes externæ ita comparatæ sint, uti naturæ corporis convenit; Constitutioni enim corporis contradiceret, si infans debilis ac infirmus tales ederet actiones, quales homo robustus atque adultus; ex operationibus tamen externis illis, quæ corpori conformes esse debent, ad ipsam Animæ naturam concludere minime licet.

* * * * *
* * * *
* * *
* *

CAP.

* * * \

Error Primarius & qui cum illo connexi.

§. II.

Ex definitione patet, hypothesin Deistarum primariam hanc esse, quod negant divinam Providentiam sive curam rerum mundanarum, præcipue humanarum.

Prout vero variæ caussæ sunt, cur aliquis in Deismum prolabitur, etiam varia ejusdem Erroris ac hypotheseos ratio esse potest pro diversitate subjecti.

§. III.

Dum Deista divinam Providentiam & propterea etiam Mundi hujus Gubernationem, adeoque etiam omnium actionum ad certum aliquem finem directionem, negat, oportet omnes illos effectus, qui Providentiæ divinæ tribuendi sunt, Casui adscribat.

Casum scil. appellamus omnem effectum, cujus caussa proxima nos latet, & cujus propterea rationem reddere nequimus, eventus ergo quosdam ideo Casus appellamus, quia caussæ naturales nos latent, Deistæ vero etiam respectu Dei omnia casui adscribunt.

§. IV.

Et quia ex hypothesi Deistica nullus eventus Providentiæ divinæ (§. 2.), sed nonnisi mero Casui adscribendus (§. 3.), patet etiam Fortunam, sive secundam sive adversam, secundum hypothesin illam mero Casui esse tribuendam.

Errores

Errores ejusmodi eo maxime nomine sunt periculosi, quia praxi quammaxime obsunt, dum in omnibus quæcunque nobis eveniunt hoc modo plane nihil ad Deum refertur.

§. V.

Quoniam inter Creationem, Conservationem & Gubernationem totius Universi tam arctus est nexus, ut unum sine altero vix concipi queat, sed potius unum involvat alterum (§. 732. 733. 751. Cap. III.) : hinc Deistæ, negantes divinam Providentiam & hujus Mundi ab ipso dependentiam, etiam illius Creationem negant.

Hoc tamen observandum, quod hypothesis hæc Deistica non ratione omnium sit eadem, sed pro rationum diversitate, propter quas negatur divina Providentia, etiam diversæ nascuntur hypotheses, unde non omnes, qui negant Providentiam, de Mundi hujus ad Deum relatione idem plane sentiunt, sed quot sunt Errores, per quos aliquis eo delabitur, ut Providentiam neget, tot etiam possunt esse hypotheses, quæ inde sequuntur. Talem vero hypothesium Deisticarum nexum hic instituimus, qualis plurimæ illorum parti communis est.

§. VI.

Dum Deista negat hujus Mundi Creationem & Providentiam divinam circa illum, negat simul plenariam illius à Deo dependentiam, unde Deo nihil præter meram illius cognitionem sive ideam tribuere potest.

§. VII.

Et quia Deo nudam illius cognitionem tribuit, omnem vero dependentiam in existendo negat, ex Mundo facit Ens à se & absolute necessarium.

Errores

Errores ergo Deistarum Atheismo proximi sunt, unde easdem hic cum illis consequentias admittunt, & propterea quoad hujus Mundi aseitatem iisdem debellari possunt argumentis, quibus Atheorum hypotheses de Mundo refutatæ fuere.

§. VIII.

Quicquid est absolute necessarium, illud etiam est æternum (§. 304. Cap. III.), propterea ex hypothesi Deistica Mundus Deo debet esse coæternus.

§. IX.

Deista negat, Deum rerum humanarum Curam gerere, adeoque per Deum perinde est, quidquid homo faciat, sive bonum sive malum; & quia totum Universum à Deo independens, etiam homo independens à Deo; sequitur inde hominem non obligari, ut motiva actionum suarum ab Attributis divinis desumat, neque illius à Deo independentia id postulat, ut actiones suas secundum divinam Voluntatem instituat: E. Deista omnem plane in actionibus humanis obligationem divinam tollit.

Inde tamen non sequitur, Deistam propterea etiam illam obligationem negare, quam homo ut Civitatis membrum integræ Societati debet, ut & suæ Conservationi & propriæ perfectionis Promotioni; inde ex eo, quod Deista obligationem divinam negat, minime fluit, illum etiam obstrictionem ad Jus Naturæ inficiari, plurimi enim illorum maximam in hoc quærunt Gloriam, quod Jus Naturæ observent & faciant quidquid statum suum & humanæ Societatis, quoad externum, perfectiorem reddere potest, hocque nomine meliores se esse profitentur ipsis illis, qui quoad externam speciem Religionem aliquam ore ferunt.

§. X.

In obligatione illa divina, actiones ſuas ad Gloriam Dei dirigendi, motivis ab Attributis divinis & ab ejus Dominio deſumtis, conſiſtit Religio Naturalis (§. 771. Cap. III.), dum ergo Deiſtæ obligationem illam negant, ſimul Religionem Naturalem negant & per conſequens Irreligionarii ſunt.

§. XI.

Dum ex illorum mente Deus rerum humanarum plane nullam curam gerit, Religionem revelatam non magis ac naturalem admittere poſſunt.

§. XII.

Adeoque etiam, S. Scripturam divinam continere Revelationem, ipſis negandum eſt.

Deismi Cauſſæ.

§. XIII.

Proxima ad Deismum via non minus ac ad Atheismum eſt conſcientia pœnæ peccatis promeritæ, indeque oriens *Terror* implacati Numinis.

§. XIV.

Cum vero quilibet, ſceleratiſſimi etiam, animi tranquillitatem ament, illam autem Conſcientiæ morſibus turbari ipſis admodum moleſtum ſit, à vera via aberrantes falſis utuntur mediis, quibus veram animi acquieſcentiam quidem quærunt, at minime inveniunt.

§. XV.

Abnegatio enim ſuimet ipſius & ſummi Numinis

minis placatio, eo quo in S. Scriptura præscripta est modo, sapientiæ & voluptati carnali nimis insipida, nimis ingrata ac molesta videtur, quam ut homo sui plenus firmum illud propositum secum statuere & semel statutum exequi possit, ut abnegata omni impietate & cupiditatibus Carnis juste, sobrie & pie in hoc Mundo vivat.

§. XVI.

Ingravescit interea Numinis metus & ob peccatorum conscientiam mirum in modum augetur, quod veræ in hac terra felicitati & desideratæ tranquillitati maximopere officit; hinc fit ut homines credant quod cupiunt, & id quod animum excruciat amoliri adnitantur.

§. XVII.

Numinis irati metus & futura pœna sunt mala illa, quæ hominibus in peccati tenebris versantibus tantum molestiæ creant, hinc vario modo sese expedire allaborant, alii illud solum ex Attributis divinis inficiantur, quod à peccatore justam exigit pœnam; *Justitiam punitivam* intelligo.

§. XVIII.

Dantur alii, qui operibus & cærimoniis quibusdam externis, non admodum difficilibus, Numen iratum placare studeant, æternamque salutem facile parabilem statuunt.

§. XIX.

Sunt, qui omnem peccati pœnam negare minime audent, ad certum tamen tempus illius durationem restringunt, dum pœnarum æternitatem negant.

§. XX.

Existunt porro, qui Numinis metum ita ex animis eruere tentant, ut sibi persuadere conentur, nullum plane ejusmodi existere Numen.

§. XXI.

Alii tandem eandem ob caussam maxime consultum putant, negare Providentiam, ne amplius molestiam ipsis facessat; quos Deistas appellamus.

§. XXII.

Caussas nonnullas, quas supra de Atheismo allegavimus, prætergredimur; dantur aliæ adhuc, de quibus dubium est, an revera inter caussas referendæ, an vero obtentui solum inserviant, uti quod rerum vilium ac abjectarum curam Deo indignam arbitrantur.

§. XXIII.

Bonitati porro ac Sapientiæ divinæ minime convenire asserunt, quod malis moralibus in Mundo locus sit, & quod quoad mala physica Bonos & Malos eadem fors maneat; quas difficultates tales esse ajunt, quæ Providentiam Optimi ac Sapientissimi Numinis omnino ex toto hoc Universo eliminent.

§. XXIV.

Accedit hisce naturale quoddam simplicis Veritatis fastidium, atque rerum novarum desiderium, quo ea, quæ nimis simplicia videntur, atque vetustate quadam quasi obsoleta, hominibus sui plenis minime arrident, sed ea solum approbant, quæ vulgo ignota & paradoxa sunt.

Rectiss-

Rectissime judiciosissimus de la Bruyére Caract. de ce Siecle Chap. XVI. „L'homme est né menteur : La „verité est simple & ingenue, & il veut du specieux „& de l'ornement : elle n'est pas à lui, elle vient „du Ciel toute faite, pour ainsi dire, & dans toute „sa perfection, & l'homme n'aime que son propre „ouvrage, la fiction & la fable.

§. XXV.

Est denique incuria aut ignavia quædam, qua multi hominum, ex illis præcipue qui in sublimi dignitatis gradu constituti sunt, laborant, dum circa ea, quæ animæ suæ Salutem spectant, adeo socordes sunt, ut ne quidem de iis cogitent, sed num illa vel vera vel falsa sint in medio relinquere malunt, quam Veritatis indagatione certi esse, cuinam potius sententiæ assentiendum sit.

„Les Grands, inquit citatus Autor, qui en (*Atheismi* ed. 1709
„*vel Deismi*) sont le plus soupçonnez, sont trop pa- II. 261
„resseux pour decider en leur Esprit que Dieu (*ou*
„*la Providence*) n'est pas : leur indolence va jusqu'
„à les rendre froids & indifferens sur cet article si ca-
„pital, comme sur la nature de leur ame, & sur les
„consequences d'une vraie Religion : ils ne nient
„ces choses, ni ne les accordent, ils n'y pensent
„point.

§. XXVI.

CHARACTERES iidem, qui Atheis adscribuntur, non minus Deistis etiam competunt.

* * * *
* * *
* *

Hypotheseos Deisticæ Refutatio.

Propositio I.

§. XXVII.

Dum Deista Providentiam divinam negat, Ideam Entis perfectissimi pervertit, adeoque nec verum Deum admittere potest, sed Deus, quem fingit, non potest esse nisi chimæra.

§. XXVIII.

α. Notio Entis perfectissimi involvit Independentiam (§. 303. Cap. III.), independens autem dicitur, quidquid nihil in se habet, quod rationem sui habeat in Ente alio (§. cit.), ex mente autem Deistarum Deo de Mundo nihil tribuendum, quam cognitio coæternitatis illius, & quoniam Mundus ex illorum hypothesi est Ens à se, à Deo in existentia sua nequaquam dependet, Deus vero illam cognoscens aliquid in se habet, scilicet cognitionem illam Mundi, quod rationem sui habet in Ente alio scil. Mundo; E. Deus in cognitione sua non est independens.

§. XXIX.

β. Ad Ens perfectissimum porro requiritur, ut sit immutabile, si vero omnia ea quæ in Mundo

do eveniunt, fiunt independenter à Deo, Deus omnia, quæ in illo accidunt, unico actu ab æterno cognoscere non potuit, unde cognitio illius temporaria est, ut Deus nunc sciat quæ antea nescivit; Intellectui ergo ipsius in singula momenta aliquid accedit & cognitio ejus augetur; quidquid vero augeri potest, illud non est immutabile, sed majorem acquirit perfectionis gradum; E. ex mente Deistarum Intellectus & Cognitio divina non est immutabilis.

§. XXX.

γ. Deus etiam debet esse Omniscius (§. 346. Cap. III.), ex Mente Deistica nescit, quid in hoc Mundo actu futurum sit, cum omnia eveniant casu, independenter à Voluntate divina; E. Deus per hanc hypothesin non potest esse Omniscius.

§. XXXI.

δ. Voluntas Entis perfectissimi est liberrima (§. 418. cap. III.), ex hypothesi Deistica vero quæcunque in hoc Mundo eveniunt, casu & necessitate eveniunt, independenter à Voluntate divina, unde Deus in hoc Mundo nihil mutare, adeoque nec libere in illo aliquid producere potest; E. nec Voluntas divina potest esse liberrima.

§. XXXII.

ε. Et si libere sese determinare non potest, etiam non est Omnipotens.

§. XXXIII.

ϛ. Negata sapienti rerum ad finem optimum Gubernatione, etiam omnis Gloria, ex operibus divinis ad ipsum redundans, Deo denegatur, adeo-

que nec est omnium rerum caussa prima & finis ultimus, propterea nec glorioſus fieri potest per demonſtrationem Attributorum ſuorum in operibus extra ſe.

§. XXXIV.

Dum igitur omnia hæc Attributa in Notione Entis perfectiſſimi involvuntur, ea autem cum hypotheſi Deiſtica ſubſiſtere nequeunt, per demonſtrata; Notionem Entis perfectiſſimi pervertunt, proptereaque nec verum Deum admittere poſſunt.

§. XXXV.

Sed qualis hac ratione Deus fingitur? Talis, qui caret maximis Attributis, quæ Ens abſolute perfectum poſſidere debet, qui cum hoc Univerſo nullam plane relationem habet, & ad quem in toto hoc Univerſo plane nihil referendum eſt, qui à multis hujus Mundi rationalibus Incolis quidem colitur & adoratur, quos vero remunerari nequit; qui à multis blasphematur, quos punire non poteſt, cujus Providentiæ opinione quidem conſervatur humana ſocietas, quæ vero nil niſi figmentum eſt, Deus qui ſcit multos ſe amare, qui autem illos redamare iisque benefacere minime poteſt; quid quæſo talis Deus, quam mera chimæra, merum figmentum? cui uſui, cui bono talis Deus fingatur, concipi nequaquam poteſt.

Propositio II.

§. XXXVI.

Dum Deistæ ex Mundo faciunt Ens independens & à se, admittunt id quod impossibile est, nempe progressum caussarum in infinitum independentem, aut rectilineum, aut circularem.

§. XXXVII.

Propositionis hujus Demonstratio ex Capite præcedente petenda est.

Propositio III.

§. XXXVIII.

Mundus non potest esse Ens à se; & per consequens productus fuit ab Ente alio, unde non tantum creatus fuit, sed & conservatione opus habet.

§. XXXIX.

Primæ partis hujus Propositionis veritas patet tum ex Demonstratione propositionis antecedentis, tum ex §. 287. Cap. III. ubi demonstravimus, Mundum esse Ens contingens.

§. XL.

Secundæ partis veritas demonstrata fuit (§. 667. Cap. III.), ubi demonstratum est, Mundum hunc rationem sufficientem Existentiæ suæ habere in Deo: conf. l. c. §. 676.

§. XLI.

Conservationis necessitas, quæ tertia pars hujus Propositionis est, probata est (§. 732 -- 736. Cap. III.).

Propositio IV.

§. XLII.

Deus ad omnes Creaturarum actiones concurrit, & ceu Creator Sapientissimus omnia ad optimum dirigit finem, hoc est, sapienter gubernat.

§. XLIII.

Pars prior demonstratur (§. 740. Cap. III.) posterior (§. 751. Cap. III.).

Propositio V.

§. XLIV.

Datur Providentia.

§. XLV.

Cum enim Deus omnia conservat (Prop. III.),

III.), ad omnia concurrit (Prop. IV.), & omnia gubernat (l. c.), in his actionibus vero consistat Providentia (§. 756. Cap. III.): sequitur dari Providentiam (§. 757. Cap. III.).

Propositio VI.

§. XLVI.

Errat, qui rerum illarum Curam, quæ viles & abjectæ nobis videntur, Deo indignam judicat.

§. XLVII.

Patet hoc ex (§. 758. Cap. III.), ubi demonstravimus Providentiam divinam ad omnia sese extendere, & nihil tam vile reperiri, quod ei non subsit.

Propositio VII.

§. XLVIII.

Errat Deista, dum existimat Sapientiæ ac Bonitati divinæ repugnare, quod mala tam moralia quam physica in hoc mundo permittat.

§. XLIX.

Contrarium à nobis (§. 763. Cap. III.) demonstratum est.

Pro-

Propositio VIII.

§. L.

Casus & Fortuna respectu Dei nulla dari potest.

§. LI.

Propositionis hujus Demonstratio petenda est ex (§. 502. Cap. III.).

Plures de Providentia Propositiones hic nunc non addimus, dum capite sequente de Epicuræis agentes illam adhuc ex Mundi hujus consideratione & casibus specialibus asserturi sumus, dum enim non omnes homines eadem ratione convincantur, quia alteri hoc, alteri aliud argumentum vel Demonstratio magis evidens est, hinc etiam in opere polemico varia argumentandi genera adhibenda sunt.

Objectionum præcipuarum Solutio.

§. LII.

OBJECTIO I. Dirigitur contra eam Providentiæ divinæ partem, quæ Conservatio dicitur, inquiunt scil., ea divinæ Providentiæ vi ad rerum conservationem opus non esse, quia res unaquæque in eo statu permanet, in quo constituitur, donec à caussa aliqua aut mutetur aut destruatur. Ita ædificium aliquod magnificum aut artificiosam aliquam machinam tamdiu perseverare, donec vel destruatur vel vetustate deteratur.

Objectiones hoc ordine disponimus, ut prima sit illa, quæ contra Conservationis necessitatem movetur, sequan-

quantut deinde, quæ contra concursum & omniope-rationem divinam afferuntur, & agmen denique claudant eæ difficultates & hostium copiæ, quæ fortissimæ & quibus Sapientissimam rerum Gubernationem debellare annituntur.

§. LIII.

RESPONDEO, objectionem hanc moveri vel ab iis, qui hujus Universi ex nihilo productionem inficiantur & Mundi hujus aseitatem defendunt, vel ab iis, qui Creationem quidem concedunt, sed Providentiam negant. Contra priores Mundi hujus ex nihilo Creatio primum demonstranda ex Propositione II. & III. quam si admittere tenentur, ad posteriorem Classem pertinent;

§. LIV.

Hi perpendant quæ Cap. III. §. 732 -- 736. de necessitate Conservationis demonstravimus. Non satis perpendunt, quænam sit differentia inter existentiam necessariam, quæ rationem existentiæ in se habet & independens est, & existentiam contingentem, precariam & dependentem; uti enim Existentia contingens & ab alio dependens primo momento rationem existentiæ suæ non in se habet, ita nec secundo momento, sed semper dependenter existit & propterea existentiæ continuatæ rationem non in se, sed in alio habet; E. conservatur.

§. LV.

Si dicant, Deum Creaturis in ipso Creationis momento vim per se subsistendi communicare posse, ut Conservatione non opus habeant, sed absque illa perdurent, ipsis regero, quod adtendere debeant, Deum non facere posse contradictoria

ctoria, quod fieret, si Creaturis communicaret existentiam necessariam & independentem, idem esset ac si dicerent, Deum producere creaturas, quæ non habent Attributa Creaturæ, sive quæ non sint Creaturæ.

§. LVI.

Similia, quæ ab artificibus desumuntur, hic minime quadrant, cum non tam de Conservatione formæ, quam materiæ agatur.

§. LVII.

OBJICIUNT II. Contra Concursum & Omnioperationem illam divinam, quod omnium rerum dentur causæ naturales, omniaque eveniant per Naturæ vires illiusque leges, ut nulla adsit ratio, cur ad Concursum sive Omnioperationem divinam recurrendum sit.

§. LVIII.

Verum est, si Miracula excipias, omnia fieri secundum fixas Naturæ leges; per Naturam intelligimus vim motricem, quæ omnibus corporibus per totum hunc Mundum aspectabilem dispositis inest, per quas vires unus effectus secundum certas leges semper producit effectum alium; at quæstio redit, an vires illæ motrices sive Natura per se subsistere possint à Deo independenter, contrarium inde patet, quia potentia Naturæ non est nisi productrix & conservatrix accidentium, accidentia vero sine substantiis existere nequeunt, unde Natura agere nequit nisi substantiis existentibus. Quamobrem cum Deus substantiale in corporibus conservet (Prop. III.), etiam Natura nihil agere potest sine conservatione Naturæ.

Vide

Vide Illustr. WOLFII Theol. Nat. Tom. I. §. 869.

§. LIX.

Idem ergo, qui Autor est substantiarum, etiam Autor est virium motricium, & qui substantias rerum conservat, etiam conservat illarum vires & accidentia, non minus propterea Natura ac rerum existentia à Deo dependet.

§. LX.

DICUNT III. Multa fieri casu & fortuna, hoc est, cœco quodam impetu, quæ operationi divinæ minime adscribenda sint.

Ethnici, qui falsum de Deo ejusque operibus habebant conceptum, omnia casui & fortunæ tribuebant, unde PLINIUS Lib. II. Hist. Nat. Cap. VII. p. m. 10. inquit: „ Toto mundo & locis omnibus, omnibusque „ horis hominum vocibus Fortuna sola invocatur; una „ nominatur, una accusatur, una agitatur rea, una co„ gitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum convi„ tiis colitur; volubilis plerisque vero & cœca etiam „ existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indig„ norum fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia „ feruntur accepta. Quoniam vero vocabula ista casus & fortunæ cum Providentia divina non conveniunt, jam Veteres Ecclesiæ Doctores illa ex usu Christianorum eliminata voluerunt, unde BASILIUS M. in Psalm. XXXII. dicit: Ἀπαιδεύτων αὗται αἱ φωναί, *ineruditorum istæ voces sunt*; & AUGUSTINUS Lib. I. Retract. Cap. I. de voce fortuna dicit: *Pœnitet me, quod, scribens contra academicos, toties usus sim vocabulo fortunæ. Video enim homines in pessima consuetudine habere, ut, ubi dicere deberent, hoc Deus voluit, dicant, hoc fortuna voluit.*

§. LXI.

Quando aliquid fit concursu caussarum non prævisarum, sed à nobis ignoratarum, effectum illum

illum vocamus vel casum vel fortunam, talem autem respectu Dei locum habere non posse, patet ex Demonstratione Propositionis VIII. ratione enim Dei certa sunt & determinata omnia, dum omnia præscit atque ordinat. Aut enim Deus in Mundo nihil operatur, aut omnia, per consequens etiam id quod casum & fortunam appellamus; prius est contra Propositionem IV. posterius vero patet ex consideratione totius rerum nexus in toto hoc Universo, ita enim connexa sunt omnia in hoc Mundo, ut quilibet effectus relationem suam ad totum nexum rerum habeat: unde ex re minima, quam casum appellamus, sæpissime maximi eventus & mutationes sequuntur, unde si ea, quæ fortuita nobis videntur, divinæ Providentiæ subducantur, vix quidquam, in rebus præcipue humanis, esset, cujus Deus curam gereret.

§. LXII.

QUARTA OBJECTIO inde desumitur, quod Libertati Creaturarum intelligentium repugnet, si omnes illarum actiones Concursui atque Providentiæ divinæ subjiciantur.

§. LXIII.

At uti nec Decretum nec Præscientiam Dei in rerum vel contingentia vel libertate aliquid mutare demonstravimus (§. 440. 441. Cap. III.); ita Deus in rerum Conservatione ac Concursu ad actiones liberas tali modo agere potest, ut Libertati actionis nihil dematur; ut certissime Deus secundum propriam Entium liberorum naturam agere possit, licet rationem qua id fiat ignoramus, sufficit enim demonstrasse dependentiam crea-

creaturarum & operationem divinam esse universalem, & omnia Entia actualia in singula momenta divina Conservatione opus habere, licet modum dependentiæ illius propter Intellectus nostri imbecillitatem assequi nequaquam possimus; Ita demonstravi etiam rerum ex nihilo productionem, sed si me quis de modo quærat, quo id fiat, ignorantiam meam profiteri cogor.

§. LXIV.

Sed quis nescit, quot cogitationes & actiones liberas etiam unus homo in mente alterius producere possit; certas ideas, opiniones, placita, affectus in aliis excitamus, alios ad certas actiones liberas determinamus & quidem subinde infallibili effectu, facimus ut alter libere aliquid omittat, quod alias feciſſet; si vero nos creaturæ impotentissimæ hujusmodi efficere possumus, quis dubitet, potius Deum potentissimum modis innumeris creaturarum cogitationes & volitiones pro lubitu moderari, flectere & dirigere posse?

§. LXV.

Est ALIA DIFFICULTAS quæ majorem adhuc speciem habere videtur, hæc scilicet; si Deus in singula momenta creaturas intelligentes existere facit & ad illarum actiones concurrit, absit blasphemia, Peccati Autor videtur, Deus enim, inquiunt, si peccatorem in ipso peccati actu non tantum conservat, sed & ad actionem ejus concurrit etiam, ad ipsam peccati patrationem concurrit.

§. LXVI.

Respondemus, distinguendum esse inter sub-

ſtantias & illarum accidentia, inter Mentis facultates & illarum vel bonos vel pravos uſus. Licet enim Deus Ens intelligens Spiritum vel Animam cum ſuis facultatibus ſingulis momentis, quoad exiſtentiam, conſervet, imo omne illud, quod phyſicum eſt, in actionibus producat; minime tamen inde ſequitur, Deum ejus, quod pravum eſt in actione, eſſe Autorem; hoc ſoli creaturæ adſcribendum eſt quæ libertate ſua abutitur, dum non adeſt illa relatio quæ actioni deberet ineſſe; abuſus ergo Libertatis Entibus intelligentibus ac liberis relinquitur, ut vel præmii vel pœnæ capaces ſint.

§. LXVII.

Hæ difficultates contra divinam Conſervationem ac generalem Concurſum moventur: ſequuntur nunc illæ, quæ ſapienti rerum Gubernationi objiciuntur.

§. LXVIII.

SEXTO nimirum dicunt, multa in Mundo exiſtere inutilia, multa deformia, multa noxia, ut bruta fulmina, de quibus LUCRETIUS Lib. VI. v. 395.

Cur etiam loca ſola petunt, fruſtraque laborant?

& v. 403. 404.

In mare qua porro mittit ratione? quid undas
Arguit, & liquidam molem, camposque natantes?

Inter res inutiles ac deformes porro numerantur, pluvia ſuper mare decidens, rupes inhabitabiles ac inacceſſæ, beſtiæ homini infeſtæ, venena, procellæ, grandines &c. ut LUCRETIUS canit:

Nequa-

Nequaquam, inquit, *nobis divinitus esse creatam*
Naturam Mundi, quæ tanta 'st prædita culpa.
Principio, quantum Cœli tegit impetus ingens
Inde avidam partem montes, silvæque ferarum
Possedere, tenent rupes, vastæque paludes,
Et Mare, quod late terrarum distinet oras &c.

§. LXIX.

Respondemus α. ad dijudicandum, num aliquid utile vel inutile, num noxium vel non noxium, num deforme vel non deforme sit, requiri, ut sciamus totum nexum & relationem, quam aliquid ad omnes res alias habet, absque hac enim cognitione haud facile de re ulla, quæcunque sit, judicium ferre licet; Si ex. gr. nullum unquam horologium integrum vidissemus, & nobis minima aliqua illius pars conspicienda daretur, haud-dubie temerarii essemus, si particulam illam inutilem ac deformem diceremus, nescientes relationem, quam cum reliquis illius systematis partibus habet, quam si sciremus, longe aliud ferremus judicium. Nunquam ergo judicium de re ferendum, quamdiu nexus integer, in quo illa constituta est, nos latet, cum vero propter Intellectus nostri imbecillitatem totus hujus Universi, vel etiam systematis sublunaris, nexus nos latet, nobis etiam cavendum, ne temere rem aliquam, nullius usus esse, judicemus.

§. LXX.

β. Multa in Mundo videntur inordinata, quæ revera talia non sunt, uti olim Alphonso Castiliæ Regi, qui tamen insignis Mathematicus erat, totum systema sidereum inordinatum visum fuit,

hodierni contra Mathematici, ordinem illum universalem satis mirari nequeunt ; ita nostris temporibus in rebus multis ordinem nondum conspicimus, quem tamen posteri videbunt.

§. LXXI.

γ. Deus in hoc Mundo constituit certas regulas generales, secundum quas Natura agit, unde fit, ut juxta illas quædam fieri videantur, quæ in particulari nullum usum habent, uti si in locis plane desertis pluit, vel si ros super rupes, flumina & lacus decidit. Licet vero regulæ illæ generales in se sapientissimæ saluberrimæque, si usum illarum generalem consideres, habeant aliquid incommodi, vel saltem habere videantur; attamen summa Dei Sapientia longe dignius videtur, ut Natura secundum leges illas generales agat, quam ut perpetuis exceptionibus, propter levissimum inde enascens incommodum, infringantur.

§. LXXII.

δ. Casus speciales, qui allegantur, quod attinet, illi ita comparati sunt, ut plurium usus facile ostendi queat ; magnitudinem Maris quod spectat, nemo, opinor, nostris temporibus rerum tam physicarum quam oeconomicarum vel parum peritus existit, qui nesciat, quantus sit ille usus qui toti generi humano inde resultat. Pluvia super Mare decidens etiam illorum ratione, qui plures sæpe annos navigant, haud parvum usum habet ; quis enim nescit, aërem per pluviam & refrigerari & purificari, ut sanitati minus noceat, & forsan etiam pisces suum inde percipiunt usum & quidem modo non unico. Rupes inac-

inacceſſæ & inhabitabiles etiam ratione pulchritudinis hujus terræ ſuo non deſtituuntur uſu; varietatem enim delectare nemini non notum eſt, ſi enim terræ eadem ubique facies eſſet, illius pulchritudini multum decederet; quinam vero Rupium alii ſint fines ex illarum ſitu & relatione ad reliqua ſæpiſſime dijudicari poteſt. Si ſint animalia bruta homini infeſta, obſervandum quod & illa humano generi haud parvam afferant utilitatem, dum vel amictus vel cibus, vel medicina in commodum humanum ex illis præparantur, & quod varietas animalium ſimul Creatoris Sapientiam prodat, & denique quod multa nos lateant, quæ propterea non inutilia cenſenda ſunt: Multa etiam in rerum Natura Venena habentur, quæ revera non ſunt, proprie omnia ea Venena ſunt, quæ ad malum adhibentur uſum vel ſanitati noſtræ officiunt, ut etiam cibus & potus alias ſaluberrimus, ſi eo non modice utamur, morbum nobis contrahere poteſt; ea vero quæ Venena appellare ſolemus, non eum in uſum condita ſunt, ut homo ea comedat, ſed alius illorum finis eſt, dum ex. gr. ad medicinas, colores, aliaque plura præparanda maxime inſerviunt.

§. LXXIII.

Hiſce addimus quod, antequam ars anatomica ad tantum perfectionis gradum perveniſſet, etiam in ſolo Corpore humano multarum particularum verus uſus ignotus fuerit, quis vero tam audax fuiſſet ut diceret, multa in Corpore noſtro inveniri inutilia? Si hoc in nobismet ipſis ſive ſtructuræ noſtræ conſideratione locum habet, ut ne quidem nosmetipſos cognoſcamus,

quid de usu hujus vel illius rei in Macrocosmo judicabimus, quam erronea etiam hac in re oportet sint nostra judicia.

§. LXXIV.

Tales nunc sequuntur difficultates, quæ solutu longe sunt difficillimæ, & quæ omnibus temporibus ingenia tam Ethnicorum, quam Christianorum torserunt.

§. LXXV.

Nam SEPTIMO his objectionibus addunt, quod improbis subinde cuncta prospere atque ex voto succedant, neque pœnas suis sceleribus debitas solvant: Piis contra cum variis conflictandum sit calamitatibus, contra quam exspectandum videretur, si Deus sapientissimus & justissimus Mundum regeret.

Hæc difficultas non modo Christianos, sed & ipsos Ethnicos sæpe vexavit, ita OVIDIUS Amorum Lib. III. Eleg. IX. de morte Tibulli

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.

His addimus notum CLAUDIANI locum in quo animum de Providentia divina fluctuantem in Ruff. Lib. I. Carm. III. ab initio ita describit:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
Nam, cum dispositi quæsissem sidera Mundi,
Præscriptosque Mari fines, annique meatus,
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri

Sidera,

Sidera, qui fruges diverſo tempore naſci,
Qui variam Phœben alieno juſſerit igne
Compleri, ſolemque ſuo; porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adſpicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique Pios, rurſus labefacta cadebat
Relligio, cauſſæque viam non ſponte ſequebar
Alterius, vacuo quæ currere ſemina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quæ Numina ſenſu
Ambiguo, vel nulla putat, vel neſcia veri.

§. LXXVI.

Sed *primo* provoco ad cujusvis Providentiæ divinæ obmurmurantis conſcientiam, & quæro ex ipſo, num vellet, ut Deus illos qui male agunt ſtatim propter malefactum quodlibet puniat, & ut malis ſemper male ſit? an vero malit, ut Deus tardus ad pœnam & longanimis ſit? at quis eſt qui ſibi ſpondere audeat, ſe omnis pœnæ expertem futurum.

§. LXXVII.

Secundo obſervandum, quod ſæpiſſime in judicio noſtro de hominum probitate & improbitate, de felici vel infelici illorum ſtatu, maxime fallamur.

§. LXXVIII.

Nam α. fatendum quidem, quod illi, qui in manifeſtis flagitiis vivunt, pro malis ſint habendi, ſed hoc tamen non diffitendum, multos ſæpe male audire, qui revera meliores ſunt, quam ab aliis habentur.

§. LXXIX.

β. Alii meliores videntur quam revera sunt, dum pietatis & honestatis externam quandam speciem præ se ferunt, sed vim ejus abnegant, dum illorum animus gravissimorum vitiorum sedes ac domicilium sit.

§. LXXX.

γ. Ita etiam de aliorum statu vel prospero vel inprospero erroneum ferimus judicium, nam haud raro major improborum felicitas nobis videtur quam revera est. In genere nimirum hoc observandum, quod vera hujus vitæ felicitas ab interna animi tranquillitate ac passionibus dependeat, prout enim aliquis vel sua sorte contentus vel non contentus, etiam magis vel minus felix æstimandus est.

§. LXXXI.

Hinc fit, ut ibi ubi fortuna splendidissima esse videtur, si desit id quod maximam humanæ felicitatis partem constituit, nempe animi acquiescentia, homines non possint non esse miseri, licet videantur felicissimi.

Hic ad speciales casus in conversatione cum aliis hominibus adtendendum, multoties enim fit, ut deprehendamus illos, quos antea felicissimos habuimus, nil minus quam tales esse, dum crux vel calamitas quædam, prius nobis ignota, ipsos torqueat, quæ omnem externæ felicitatis dulcedinem aut plane auffert aut saltem amaram reddit, & qui alios felices prædicant, quorum sors longe sequior videtur.

§. LXXXII.

Vita insuper, quæ longe felicissima videtur, cum infinitis fere curis ac periculis conjuncta est.

δ. Sic

§. LXXVIII.

§. Sic viceversa sors illa, quæ nobis sæpe mala videtur, nonnisi hominum opinione mala est, nam, uti Celeb. JO. ALPH. TURRETTINUS recte ait: Quæ censentur mala, sæpe nonnisi hominum opinione mala sunt. v. g. qui in infima sorte versantur, quibus res est angusta domi, qui in obscuro jacent, non statim infelices habendi sunt; eorum multi Nobilibus, Divitibus, Viris decantatæ inter homines famæ, haud paulo sunt feliciores, vel sola animi tranquillitas, qua fruuntur Pii, bonorum omnium maximum, suavissimumque nullarum non ærumnarum lenimentum est.

Dissert. V. Vol. I.

§. LXXXIV.

Pauper ex panis comestione & aquæ potu tantas percipit delicias ac ditissimus ex cibis exquisitissimis; Vestibus laneis & lineis non minus contra cœli injuriam tegitur ac dives holosericis & byssо; in tugurio minoribus curis expositus, quam dives in palatio; non majorem dignitatis gradum spirans inferiore sorte contentus tam felix est, ac Magnus qui se nec satis divitem nec satis honoratum credit, unde dolor & indignatio, à quibus Pauper immunis est.

§. LXXXV.

Homo Probus improbo semper felicior est, dum mente tranquillus passionibus non turbatur.

Optime Judiciosissimus POPE Essai sur l'homme Epitre IV. „ Connoissons donc cette verité & la Conois-

„ſance en ſuffit à l'homme, qu'IL N'Y A D'AU-„TRE BONHEUR ICI-BAS QUE LA VERTU; le „ſeul point où la felicité humaine ſoit fixée, & qui „faſſe goûter le bien ſans le mélange du mal: le „ſeul qui donne au mérite de conſtans retours, & „qui lui donne également du plaiſir des bienfaits re-„çûs & des bienfaits donnés; où la joye eſt ſans „égale, lorsque le ſuccés nous ſeconde, & où le de-„faut de ſuccés ne produit aucun chagrin; qui fait „jouir de l'abondance ſans ſatiété, & qui dans l'épreu-„ve des revers ſe fait ſavourer avec le plus de com-„plaiſance. Les ris que la folie inſenſible fait écla-„ter dans ſes fauſſes joyes, ſont beaucoup moins „agreables que les pleurs mêmes de la vertu: elle „extrait du bien de tous les objets, en acquiert de „tous les endroits: elle s'éxerce toûjours, jamais „n'eſt fatiguée; elle n'eſt point enflée de la chûte „d'un autre homme, ni abatue de ſon élévation: „ſans beſoins, elle ne peut former aucun ſouhait, „puiſque par raport à la vertu, en ſouhaiter d'avan-„tage, c'eſt l'obtenir.

„C'eſt le ſeul bonheur que les cieux puiſſent donner „à tous, qui peut penſer peut le connoître, & qui „peut ſentir peut le gouter: il échape neanmoins à „l'homme méchant, pauvre au milieu des richeſſes, „aveugle quoique ſavant &c. De improborum feli-„citate bene canit JUVENALIS Sat. XIII. v. 194. & ſeqq.

- - - - - - - Cur tamen hos tu
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & cæco verbere pulſat
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

§. LXXXVI.

Tertio Longe convenientior hic cum hominibus agendi modus, ſi Deus interpoſita mora inter culpam & pœnam longanimitate utitur & ſupplicium differt, quam ſi ſcelerati in ipſo delicto extir-

extirparentur. Sic enim non tantum datur locus ut ad frugem redire queant, sed & creaturæ rationalis libertati & actionum moralitati melius consulitur: Si enim homines in ipso statim delicto punirentur, aut si post benefacta illico mercedem acciperent, illorum plurimi scelus ideo solum omitterent, ut pœnam cum illo conjunctam effugerent, & contra bonum patrarent ob spem præmii temporalis externam virtutis speciem immediate sequentis; qua ratione debitus actionum moralium finis abesset, neque explorationi ullus remaneret locus; si autem nec præmium nec pœna actionem statim sequitur, Virtus ipsa ab ejus specie discernitur.

§. LXXXVII.

Ex hisce colligimus remunerationem actionum humanarum ad finem ultimum, qui est manifestatio Gloriæ divinæ per actiones nostras, sapientissime ordinatum esse, nec aliter esse posse.

§. LXXXVIII.

Quarto Præstantissimæ etiam laterent Virtutes, nisi Bonis subinde male, malis vero bene esset: nec enim, hoc in casu, Constantia, nec Fortitudo, nec Patientia, nec Spes suum inveniret locum, nec etiam veræ in Deum Fiduciæ sua constaret dignitas, adeoque virtute prædiți hisce Virtutibus se etiam Bonos exhibere non possent, sed occasione destituerentur; ubi sine hoc Abrahami fiducia? ubi Jobi & Davidis Patientia & Constantia? ubi Pauli fortitudo mansisset? vel si illi, contra quos hæc scribimus, exempla ex historia profana malint, quid de Constantia & fortitudine Socratis sciremus, nisi ipsi Cicuta porrecta?

quid

quid de Rutilii innocentia & virtute, nisi injuriam accepisset? dum vero violatur effulsit; major ergo, si exploratur, & robustior fit Virtus.

§. LXXXIX.

Quinto. Quare Deus injuste nobiscum ageret, si hoc modo nobiscum agit, uti nos cum Liberis & Servis nostris? severus Pater durius educat filium quam tractat servum, scit enim quantum commodum filio ex duriori educatione suo tempore oriatur; unde sapienter SENECA in tractatu *Quare Viris bonis* &c. Cap. I. de Viro bono ait, quod sit Dei discipulus, æmulator & vera progenies, quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut severi Patres durius educat. Itaque cum videris bonos Viros, acceptosque Diis, laborare, sudare, per arduum ascendere; malos autem lascivire, & voluptatibus fluere, cogita, filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia; illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. Bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat.

§. XC.

Sexto. Fit etiam sæpissime, ut homines scelesti facinoribus suis debita supplicia ferant, & quidem ob scelera clandestina, quæ haud raro miris modis patefiunt; sæpe etiam fit ut homo, qui unum vel plura facinora clandestina patravit, quæ humana industria nullo modo detegi possunt, in aliud ruat, propter quod supplicium ultimum de illo sumitur, licet forte minus grave sit scelus illud, quam ea quæ in occulto commisit, sed sapien-

pientissimas ob causas noluit Providentia divina ut illa patefiant, indignus tamen quem Orbis amplius ferat, publice luit non ea tantum, quæ manifesta sunt, sed & quæ in occulto patravit.

Ad exempla specialia hic adtendendum, observamus enim, sæpius Vindictam, si ita loqui fas est, hominem aliquem persequi, ut vel grave infortunium vel ultimum etiam supplicium non effugiat, licet nos quare hoc fiat non perspiciamus; haud raro sequentibus demum temporibus vera hujus rei ratio manifesta fit: sæpius vero ea occulta manet, ut homines peculiares Providentiæ divinæ vias perspicere nequeant; cujus rei exempla haud antiqua & multis nota afferre possemus, prudentia vero vetat ut hujusmodi scriptis mandemus: Quivis talia facile invenire potest, si modo adtendere velit.

§. XCI.

Septimo. Si vero differtur pœna propterea non auffertur, tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant, & supplicii tarditas gravitate compensatur.

§. XCII.

Octavo. Nec etiam satis bona sua noscunt homines, calamitatem suam semper majorem quam revera est sibi imaginantur; ad bona vero non adtendunt quibus fruuntur: ita enim comparatus est noster animus, ut mala, minima etiam, facile sentiat, bona vero etiam magna raro animadvertat quantum ad se; quantum ad alios bonum facile deprehendit, quo illi gaudent, calamitates vero quibus premuntur non observat; addendum quod etiam hoc Bonitati divinæ acceptum ferendum, si homini in bonum ejus immittit mala physica. Vide de his quæ extant (§. 537. - - 540. Cap. III.).

§. XCIII.

Nono. Hisce omnibus hoc adhuc addimus; omnia sapientissime hoc modo esse facta & Providentiæ fini consequendo aptissima; & rationi convenientissimum esse, ex eo, quod rerum nexum & causas Providentiæque divinæ rationes, propter Intellectus imbecillitatem, ubique perscrutari non possumus, concludere, dari alteram Vitam, in qua non tantum omnia hæc ænigmata solventur, sed quivis etiam operum suorum remunerationem accipiet, quam vero veritatem manifestissimam rejicere, & id quod nobis nunc imperscrutabile est, maximæ absurditatis accusare.

§. XCIV.

Sequitur nunc ultima & OCTAVA OBJECTIO, quæ omnium solutu difficillima omni tempore fuit habita, & quæ omnium controversiarum fere maxime intricata atque perplexa est; desumitur illa ab Origine ac Gubernatione mali moralis; dicunt nempe, qui Providentiam divinam ferre non possunt, si Mundus regeretur ab Ente quod summo gradu sapientissimum, munificentissimum ac optimum, fieri non posset, ut tanta in rebus humanis esset lerna malorum; mala Perfectionibus divinis maxime contraria: Si Deus est Sanctissimus, inquiunt, qui omnia gubernat & ordinat, quomodo ferre potest in creaturis suis tot blasphemias, & adversus ipsum Creatorem & Mediatorem totius Universi infanda scommata; unde horrenda vitiorum cohors? unde tot homicidia, adulteria, peccata muta? unde tot fraudes, rapinæ, furta & si quæ alia? si est Justissimus, quare legis suæ violationem perfert?

ſert? quomodo pati poteſt, ut Legis ſuæ obſervatores ab aliis affligantur & occidantur? quare non vindictam ſumit de ſuis ſuorumque hoſtibus? ſi Sapientiſſimus eſt, qui omnibus rebus præeſt, quare non optimis utitur mediis ad conſequendum finem optimum? Si Beneficentiſſimus Optimusque, cur permittit, ut ex malis illis tanta miſeriarum ac cruciatuum proveniat copia? Ex quibus confidenter concludunt, Deum ſapientiſſimum ſimul & ſanctiſſimum rerum humanarum Gubernatorem eſſe minime poſſe.

Jam olim etiam ſanctorum hominum mentem hæc quæſtio torſit, unde ORIGENES contra Celſum Lib. IV. Εἰπερ ἄλλος τις τόπος τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐξετάσεως δεόμενος δυσθηρατος ἐστι τῇ φύσει ἡμῶν, ἐν τοῦτοις καὶ ἡ τῶν κακῶν ταχθείη ἂν γένεσις: *Si quis alius eſt locus, in rebus humanis, ſcrutatu difficilis Naturæ noſtræ, inter hos merito numerari poteſt malorum Origo.* Argumentum ex mente Epicuri LACTANTIUS de Ira Dei Cap. XIII. ita proponit: *Deus aut vult tollere mala, & non poteſt; aut poteſt & non vult; aut neque vult neque poteſt; aut & vult & poteſt. Si vult & non poteſt imbecillis eſt, quod in Deum non cadit. Si poteſt & non vult invidens; quod æque alienum à Deo. Si neque vult neque poteſt, & invidus & imbecillis eſt, ideoque neque Deus. Si vult & poteſt, quod ſolum Deo convenit; unde ergo ſunt mala? & cur illa non tollit? ſcio plerosque Philoſophorum, qui providentiam defendunt, hoc argumento perturbari ſolere, & invitos pene adigi, ut Deum nihil curare fateantur.* Reſponſionem quam LACTANTIUS dat, vir Sagaciſſimus & de Republica literaria meritiſſimus PETRUS BÆLIUS in Dictionario ſuo Hiſtorico-Critico ut inſufficientem explodit, imo difficultatem hanc plane in-

ſolú-

solubilem dicit, & omnes ingenii sui vires eo intendit ut hoc demonstret, idque passim sub vocibus *Pauliciens*, *Manichéens* & *Marcionites*. Omnia quæ passim & sæpius inculcat huc redeunt, Bonitati divinæ non convenire ut mala permittat. Argumenta ejus omnia hisce quatuor absolvuntur & extant Art. Pyrrhon. in notis ubi dicit: „ Passons à la Morale. I. Il est evi- „ dent qu'on doit empecher le mal si on le peut, & „ qu'on pêche si on le permet lors qu'on le peut em- „ pecher, cependent notre Theologie nous montre „ que cela est faux: elle nous enseigne que Dieu ne „ fait rien qui ne soit digne de ses perfections, lors „ qu'il souffre tous les desordres qui sont au monde, „ & qu'il lui étoit facile de prévenir. II. Il est evi- „ dent qu'une Creature, qui n'existe point, ne sauroit „ être complice d'une action mauvaise. III. Et qu'il „ est injuste de la punir comme Complice de cette „ action. Neanmoins notre doctrine du peché origi- „ nel nous montre la fausseté de ces évidences. IV. „ Il est evident qu'il faut preferer l'honnête a l'utile, „ & que plus une cause est sainte, moins elle a la li- „ berté de postposer l'honnêteté à l'utilité: cepen- „ dant nos Theologiens nous disent que Dieu ayant à „ choisir entre un Monde parfaitement bien reglé, & „ orné de toute vertu, & un monde tel que celui- „ ci, où le peché & le desordre dominent, a preferé „ celui-ci à celui-lá, parce qu'il y trouvoit mieux „ les interêts de sa Gloire.

§. XCV.

Ad hæc, quamcunque difficilia solutu videantur, tamen ita responderi potest, ut quisquis veritati studeat convinci possit, Providentiam divinam & mali moralis permissionem seinvicem non tollere, licet modum ubique perspicere nobis datum non sit.

§. XCVI.

I. Enim observandum quod, cum per demonstrata evidentissime cognoscamus Deum omnium

nium rerum curam gerere, absurdum sit Providentiam ideo negare velle, quia modum non percipimus, quo illa circa Mali moralis originem & gubernationem versatur. Quis nescit à ratione maxime alienum esse, si quis veritatem manifestissimam ideo negare vellet, quia aliquid est in illa re quod nondum intelligit; decantatissima enim regula est, propter id, quod in re aliqua obscurum est, non negandum esse id quod clarum est. Quis quæso ideo negaret, subinde cometas in cœlo videri, quia cursus quem illi absolvunt adhuc ignotus est; & quot sunt res in rerum Natura, quarum existentia certissime constat, quarum tamen modus & ratio ab omnibus ignoratur.

§. XCVII.

II. Ante omnia tenendum, Deum mali moralis caussam non esse, illud enim velle non potest (§. 477. Cap. III.).

Id & ipsi Ethnici agnoverunt, unde SIMPLICIUS in Epictetum Edit. Salm. pag. 184. Λαμπρᾷ τῇ φωνῇ βοῶμεν, ὁ Θεὸς κακίας ἀναίτιος, διότι τὸ κακὸν ἡ ψυχὴ ἐνεργεῖ αὐτεξουσίως, οὐχὶ ἐκ ὁ Θεός. *Magna voce clamamus, Deum malitiæ caussam non esse, propterea quod malum facit animus libere atque ultro, non autem Deus.* Et MAXIMUS TYRIUS Dissert. 25. ubi disquirit, cum Deus bona faciat, unde oriantur mala? docet, eum esse improbitatis caussam, qui eam assumit: Deum vero caussam non esse; & PLATO eum è Republica ejectum volebat, qui diceret, Deum mali Autorem esse. De Repub. Lib. II.

§. XCVIII.

III. Imo Deus non tantum non vult malum morale, sed propterea etiam impossibile est, ut illud ipsi placere queat (§. 483. Cap. III.). Un-

de non tantum optimas & justissimas dedit leges, sed & severissime illarum transgressionem prohibuit.

§. XCIX.

IV. Quod hic Mundus Deum deceat, non obstante malo morali, & quod propterea etiam ejus permissio Deum non dedeceat (§. 482. Cap. III.): & quod malum morale rerum seriei ita implicitum sit, ut illud è mundo tolli nequeat, nisi totus nexus turbetur & bonum simul tollatur (§. 462. cap. III.): Neque vero hac ratione Mundus maneret perfectissimus (§. 466. Cap. III.)

§. C.

V. Quod Deus etiam mali permissionem sapientissime decernere potuerit (§. 500. Cap. III.): ut illud etiam salva divina Sapientia tolli nequeat (§. 506. l. c.); & quod etiam mala ita dirigantur, ut ad finem optimum consequendum suum conferant (§. 507. 508. l. c.); & quod Deus ne quidem infelicitatem velit, quæ ex malo morali necessario nexu sequitur (§. 517. 518. l. c.).

§. CI.

VI. Quod Deus hominem creaverit perfectum (§. 788. Cap. III.) hoc est, omnis labis expertem & Libertate gaudentem (§. 731. l. c.); & quod omnis infelicitatis caussa in hominem sit transferenda, dum libertate sua abusus est (§. 519. 520. l. c.).

§. CII.

VII. Quod potentia abutendi libertate, licet malum metaphysicum sit, proprie malum non sit, sed in ipsa creaturæ natura fundatum (§. 521.

Cap.

Cap. III.) : quod nec Libertatis abusus (§. 524. l. c.), nec mali moralis commissio (§. 797. l. c.) sit absolute necessaria, sed contingens.

§. CIII.

VIII. Denique quod Deus, rationem habens in omnibus suis operibus summæ suæ Perfectionis, sive omnium suorum Attributorum ex æquo, per Sapientiam suam abusum Libertatis impedire non potuerit; potentiaque abusus Libertatis in homine, ejusdemque permissio Bonitati ejus non repugnet: alias per unum Attributum aliquid efficere posset, quod alteri repugnat. (§. 525. Cap. III.).

§. CIV.

IX. Hoc adhuc addendum, quod Bonitati divinæ non sit contrarium, si homini permittit, ut malis moralibus & physicis obnoxius fiat. (532. Cap. III.); & quod Bonitas divina æstimari debeat in relatione ad totum Universum & ad omnia reliqua Attributa (§. 534. l. c.): Et quod, cum homo de perfectione & imperfectione Entis non eo quo Deus modo judicare potest (§. 409. l. c.), etiam de Bonitate Dei non eo quo Deus modo judicare queat (§. 535. l. c.).

§. CV.

Ex propositionibus hisce nunc solvi possunt omnes quæ afferuntur difficultates α. quod illud argumentum attinet, quod habet LACTANTIUS dicens: *Deus aut vult tollere mala & non potest, aut potest & non vult; aut neque vult neque potest; aut vult & potest:* Respondetur, quod Deus nihil faciat nisi respectu habito omnium

ſuorum Attributorum (§. 408. Cap. III. & ſupra §. 103.); Si ergo quæritur, quid Deus aut poſſit aut velit, illius Potentia & Voluntas non abſolute in ſe & abſtracte à reliquis Attributis conſideranda eſt, quatenus facere poteſt quidquid nullam contradictionem involvit, hoc ſenſu omnino Deus mala quævis tollere poſſet. Sed conſideranda ſunt hæc divina Attributa tanquam ordinata ad reliqua, quatenus in unaquaque divina actione, quam in hoc Mundo efficit, reſpectus habetur omnium reliquarum Perfectionum, ut per unam nihil fieri liceat, quod alteri contrariatur; quo ſenſu Deus nec poteſt nec vult mala tollere, alias in Attributis ſuis repugnantia eſſet; propterea tamen hoc nullam divinæ Potentiæ imminutionem aut defectum arguit. Sed hoc ſolummodo indicat, Deum omnia ſapienter facere.

§. CVI.

Si ergo rationem inquirere volumus, cur Deus aliquid vel faciat vel non faciat, illius Attributa nunquam ſeparanda ſunt, ſed unum ex altero intelligendum, & unius Attributi ratio ex relatione cum omnibus reliquis æſtimanda eſt.

§. CVII.

Sed dicunt, ut Deus in mali moralis inhibitione Omnipotentia ſua uteretur per infinitam ſuam Bonitatem ac Sanctitatem obligatum fuiſſe, idque eo magis cum præviderit, quanta malorum tam moralium quam phyſicorum lerna ex ejus permiſſione oritura ſit, cum vero, licet per reliqua Attributa obligatus, id non fecerit, apparere quod vel non voluerit, vel non potuerit.

Ut

§. CVIII.

Ut huic objectioni robur & lucem afferant; exemplis rem illustrant; nempe si Mater prævideret Filiam suam in certis circumstantiis constitutam certissime ab aliquo violandam, idque ne fieret præcavere posset Mater, illam hauddubie obligatam esse, ut omnem periculi occasionem impediat, contra pessime facere, si Filiam proprio relinquat arbitrio. Ita Regem, si videret certum subditorum suorum numerum in perniciem ruiturum, nisi vi coërceret ipsos, obstrictum esse Sapientiæ, Justitiæ & Bonitatis legibus, ut subditorum suorum conservationem & prosperitatem semper & ubique quærat, neque ipsos proprio arbitrio permittendo pessundet.

§. CIX.

Ad hanc objectionem solvendam attendendum est, α. quod Deus sit Optimus, sive summe Bonus, qui propterea cuilibet Creaturæ tantum perfectionis tribuit, quantum capere potest, & quantum per Sapientiam suam licet (§. 514. Cap. III.).

§. CX.

β. Quod licet Deus sit munificentissimus, nulli tamen Creaturæ quidquam debeat, sed tantum cuivis tribuit, quantum reliqua ejus Attributa permittunt; unde ejus Bonitati nihil demit quod Hominem non Angelum, sed Hominem fecit, quod ipsi animam rationalem dederit, quod Libertate ipsum donaverit, quod Legem sanctissimam tulerit & cordi ipsius inscripserit; ut vero ipsum eo quo Angelos perfectionis gradu donaret, per Bonitatem suam minime tenebatur,

quoniam illius Sapientia infinitam creaturarum in hoc Mundo varietatem postulat, ut unum genus, & in uno genere una species, & in una specie unum individuum ab altero majori perfectionis gradu aut alio modo differat, ut alterum altero præstantius sit.

§. CXI.

γ. Quod Deus etiam hic, quod satis inculcari nequit, agat convenienter Virtutibus suis cunctis, ut Sapientiæ, Justitiæ & omnium Perfectionum rationem habeat, ut si sapientissimæ adsint rationes, cur hominem primitus cum facultate libertate sua ad utrumque oppositorum utendi sive labilem creaverit, id etiam salva Bonitate & Sanctitate sua facere potuerit; & licet infinita Bonitate gaudeat, illa tamen non unica actionum suarum norma esse queat.

§. CXII.

Et licet Deus omnia præviderit, quæcunque mala in hoc mundo extitura essent, non impedit tamen hæc præscientia, quin Optimus cunctarum rerum Creator & Moderator sapientissimas ob causas totum hoc Universum cum omni rerum serie ac nexu decernere, producere & conservare, nec non ad totius Gloriæ suæ demonstrationem omnia dirigere & moderari possit. Quod suo loco demonstravimus.

§. CXIII.

Exempla autem à Matris erga Filiam, aut Regis erga subditos, cura desumta nihil probant; hæc enim nonnisi ab hominum perversorum, infirmorum, peccaminosorumque actionibus petita

ta sunt, quorum sagacitas sapientiaque tanta non est, nec eum attingit perfectionis gradum, ut per optima media ad optimum finem tendere queant. Omnibus hinc prudentissimorum etiam hominum actionibus fraudis quid sese immiscet. Inepta sunt itaque omnia illa exempla, quæ ad illustrandam Universi hujus Gubernationem à rebus humanis & casibus specialibus petita sunt, dum infinita inter hæc & illam deprehendatur differentia; siquidem Deus Sapientissimus Universi hujus Moderator, intellectu infinito præditus, unicoque propterea actu omnia perspiciens quæcunque ad finem ultimum brevissima ducunt via, nihil faciat nisi respectu habito totius Universi. Homines contra, subinde ne minimæ quidem rei rationem perspicientes, intellectu admodum limitati, ita agere minime possunt, uti Deus agit: unde casus humani, qui nonnisi speciales sunt, cum actionibus Divinis comparari nequaquam possunt. Cæterum quamprimum demonstratum est, Deum esse Ens absolute perfectissimum, adeoque sapientissimum etiam & sanctissimum eoipso probatum quoque omnia, quæcunque in Mundi hujus gubernatione observantur, respectu Dei etiam sanctissime fieri & sapientissime. Unde si ipsa testatur Experientia malum in Mundo esse, illud quidem permittente divina Providentia in mundo existit, licet nos non semper perspiciamus, qua ratione id Deus, salva sua Decentia, permittere potuerit; ad hoc enim dijudicandum opus esset, ut cognosceremus omnia Dei Attributa omnemque illorum ad seinvicem relationem, utque perspiceremus omnem totius Universi Nexum. Deus autem ipse vindicabit ali-

quando vias suas, quas iniit ad glorioſæ suæ Gratiæ laudem, neque imbecilli homine advocato opus habet; ipse olim compescet luxuriantium labia, ut de summi Numinis Sanctitate convicti tandem ne hiscere quidem audeant.

§. CXIV.

At inquiunt Adversarii nostri, multo conducibilius homini futurum fuisset, si Potentia illa libertate sua utendi caruisset, quam quod illa præditus in maximum miseriæ & omnis generis malorum barathrum se conjecerit: Melius propterea Deum facturum fuisse, si homines tales fecisset, ut libertate sua abuti nunquam potuissent.

Ita ex mente aliorum contra præstantissimum hocce Donum argumentatur CICERO de Nat. Deor. Lib. III. cap. 27. „ Sentit Domus uniuscujusque, sentit forum, „ sentit curia, campus, socii, provinciæ, ut quemad„ modum Ratione recte fiat, sic Ratione peccetur: „ alterumque & à paucis, & raro: alterum, & sæpe „ & à plurimis: ut satius fuerit, nullam omnino no„ bis à Diis immortalibus datam esse Rationem, quam „ tanta cum pernicie datam. Ut vinum ægrotis, quia „ prodest raro; nocet sæpissime, melius est non ad„ hibere omnino, quam spe dubiæ salutis in apertam „ perniciem incurrere: Sic haud scis, an melius fuerit „ humano generi motum istum celerem cogitationis, „ acumen, solertiam, quam Rationem vocamus, quo„ niam pestifera sit multis, paucis salutaris, non dari „ omnino, quam tam munifice & tam large dari.

§. CXV.

At nunquam obliviscendum, &c. Mundum hunc creatum esse ad Gloriæ divinæ manifestationem, hunc vero scopum per solas creaturas inanimatas & irrationales obtineri minime posse, sed ad id Entibus intelligentibus & rationalibus etiam

etiam opus fuisse, quæ ex Mundo Deum cum infinitis suis Perfectionibus cognoscerent, & eum propterea colerent.

§. CXVI.

β. Cultum illum rationalem sive Glorificationem divinam fieri per actiones morales, quas homo ita instituit, ut motiva illarum desumat à Voluntate Dei reliquisque ejus Perfectionibus.

§. CXVII.

γ. Actionum moralitatem absque Libertate consistere nequaquam posse; unde nec actiones Creaturarum irrationalium pro moralibus habendæ, neque si quisquam, ut aliquid faciat, absolute cogitur, actionem illam pro morali habendam.

§. CXVIII.

δ. Veram propterea Virtutis rationem à libertate provenire, neque Virtuti ullum sine hac locum dari posse, ut si in Mundo nulla existeret Libertas, etiam nulla existeret Virtus.

§. CXIX.

ε. Libertatem ergo esse Dei donum præstantissimum & Sapientiam ejus decentissimum, quod toti Universo pulchritudinem & excellentiam addit.

§. CXX.

ς. Quod divinæ Sapientiæ atque Bonitati nihil deroget, si homo præstantissimo hoc dono abutatur, seque propria culpa in statum moraliter imperfectum, indeque profluentia mala physica conjiciat.

Zensur 1791. 856

§. CXXI.

ζ. Hunc §. ut omittam juſſit Venerabilis Facultas Theol.

§. CXXII.

Inſtant Providentiæ hoſtes ; Deum quidem homines potuiſſe creare liberos, ſed in eo perfectionis gradu, ut libertate ſua ad malum committendum abuti nunquam potuiſſent, uti de Angelis dicatur, quod in ſtatu perfectionis moralis conſtantiſſime & quidem liberrime permaneant. Itaque factum fuiſſe, ut Deus finem ſuum obtineret, Bonitatique ſuæ conſuleret.

§. CXXIII.

Ad objectionem hanc ſolvendam principia quædam generaliter in animum revocanda ſunt & α. quidem, quod Deus, qui non facere poteſt contradictoria, nullam Creaturam ne quidem per Omnipotentiam ſuam absque limitatione, quæ vocatur malum metaphyſicum, producere poſſit (§. 458. Cap. III.) : Creaturam enim ſine limitatione condere contradictionem involvit.

§. CXXIV.

β. Cum imperfectiones à rebus creatis inſeparabiles ſint (§. præced.), rerum ordo requirit, ut in Entibus, quæ totum hoc Univerſum componunt, ſit varietas, ut ſit perfectionis graduum variatio ; in toto enim aliquo ſyſtemate omnes partes ſimiles eſſe nequeunt, quod per experientiam pleniſſime conſtat ; ita in toto hoc Univerſo oportet ſint varia Creaturarum genera, variæ generum ſpecies, varia ſpecierum individua, ut una Creatura ſive unum Creaturarum genus

genus ratione perfectionis suæ sit magis limitatum altero, alterum præstantius altero, ut ita ex infinita hac Varietate infinita Dei Sapientia, Omnipotentia, totaque Gloria maxime eluceſcat.

§. CXXV.

γ. Quia graduum perfectionis varietas, & creaturarum differentia in syſtemate Mundi eſt neceſſaria (§. præced.), varios illos gradus limitationis originariæ præter Sapientiſſimum omnium rerum Architectum diſponere nemo poteſt; atque huic Creaturæ plus, huic minus perfectionis tribuere, hoc Creaturarum Genus præſtantius altero facere, quam qui Autor ordinis rerum eſt, nemo alius poteſt.

§. CXXVI.

δ. Si ergo imperfectio à Creaturis inſeparabilis (§. 123.), & graduum varietas in ſyſtemate Univerſi neceſſaria ſit (§. 124.), & jus modum varietatis illius ordinandi, nemini præter Deum competere poſſit (§. 125.): apparet Dominium hoc, utra ex Creaturis, an hæc, an vero illa perfectior eſſe debeat, ſupremo Domino nullam Creaturarum aut denegare aut diſputare poſſe, ſed potius hoc illius Omniſapientiæ committendum eſſe.

Afferam ad hæc illuſtranda duo loca illuſtria ex Celeb. JOH. ALPH. TURRETTINI Scriptis; alterum extat in Cogit. de variis Theol. Cap. §. 80. 81. *Non magis tenebatur Deus homines impeccabiles efficere, quam lapides omnes in animantia, animantia bruta in homines, homines omnes in Angelos mutare. Bonitas Dei ſejungenda non eſt ab ejus Sapientia, cæteris-*

terisque virtutibus, Bonitas, inquis, non patiebatur hominem labilem creari; at ego regero, id voluit Sapientia. Quis ignorat vel optimum virum, si sapientia postulet, certos Bonitatis actus omittere. Uberius vero vir subtilissimus hæc explicat in Dissert. continente Vindicias Providentiæ divinæ, ubi §. XLII. „ Enimvero si Deus ad maxima bona Entibus quibus- „ vis concedenda obligaretur, nulla varietas, nulla mu- „ tatio in orbe esset. Nam ubicunque est varietas, „ ubicunque & mutatio, ibi necesse est alia aliis certo „ quodam modo meliora & præstantiora esse. Dantur „ nimirum varii entium ordines; quædam inanima, „ sensusque ac vitæ expertia, ut ligna & lapides; quæ- „ dam vegetativa, ut arbores & plantæ: quædam sen- „ sitiva, ut Animalia; quædam ratione prædita, ut ho- „ mines; quædam ingenii hominibus superioris, ut „ Angeli &c.; Jam si ad maxima bona singulis tribuen- „ da obligaretur Deus, queri possent lapides, quod vi- „ ta careant; Plantæ, quod non sentiant; Bruta ani- „ mantia, quod ratione destituantur, & omnes quidem „ non minori jure quam homines, qui se peccabiles, „ hoc est, homines non Angelos creatos fuisse quere- „ rentur. Quid, quod gradatim ascendendo, è bello „ illo principio sequeretur, nullam Creaturam nisi in- „ finitam & perfectissimam, adeoque non Creaturam, „ creari à Deo potuisse: Quod absurditatem omnem „ superare nemo non videt. Quocirca cum Deus ni- „ hil cuiquam debeat, sitque Dominus donorum suo- „ rum, neque solum ex Bonitate, sed etiam ex Sapien- „ tia, cæterisque Virtutibus, omnia faciat, utique „ nulla injuria homines adfecit, quod eos homines es- „ se voluerit, non vero Entia quædam hominibus su- „ periora. Satis boni ipsis præstitit. - - Quod si ve- „ ro ipsi divinis illis muneribus male utantur, iterum „ dicimus, ipsorum culpa est, neque quidquam est cur „ de Dei Bonitate & Sanctitate conquerantur. pag. 199

§. CXXVII.

e. Ex quibus omnibus iterum patet, verissima esse, quæ (§. 748. Cap. III.) demonstravimus:

mus; Deum hominem talem potuisse producere qui potuerit abuti libertate sua, & per illum abusum malum morale committere, adeoque labilem: Et (§. 796. l. c.) quod illum Deus talem potuerit condere, cujus perfectio esset limitata & cum potentia abutendi libertate conjuncta, sive mutabiliter bonum.

§. CXXVIII.

Per hactenus demonstrata etiam cadit primum & quartum ex illis argumentis, quæ supra ex acutissimo BÆLIO attulimus; ex Principiis nostris secundum etiam cum tertio facile solvi potest, quæ difficultates in hoc consistunt, quod creatura nondum existens ceu facinoris alicujus commissi consors reputari nequeat, nedum illius caussa puniri, quod tamen nostrum, de peccato Originali ejusque imputatione dogma clare doceat.

§. CXXIX.

At rationaliter si explicetur nostra de Peccato illo originali doctrina, omnis simul dispalescit difficultas. De Peccato nempe hæreditario illo hæc docuimus; statum parentum esse moraliter imperfectum, ex quo moraliter perfectus sequi nequeat, cum in caussato non plus esse queat quam in caussa, unde qualis Parentum status ratione perfectionis aut imperfectionis moralis, talem etiam posterorum futurum (§. 851. Cap. III.); ex quibus concludimus, malum morale hæreditarium esse (§. 852. l. c.), imperfectionem illam per effectum naturalem propagari (§. 853. l. c.), neque infantem moraliter perfectum à parentibus moraliter imperfectis aliter quam

quam per miraculum nasci posse (§. 854. l. c.).

§. CXXX.

Ex malo vero morali pœnam, sive malum physicum ceu effectum naturalem, nullo interveniente miraculo, necessario fluere demonstravimus (§. 650. Cap. III.).

§. CXXXI.

Posteri proin Adami, etsi nondum existentes, omnino rei haberi possunt, quatenus certum est, illos parentibus similes & corruptionis illorum participes, adeoque moraliter imperfectos (γεννήματα ἐχιδνῶν, τέκνα ὀργῆς, *genimina viperarum*, *filios iræ*, Adæ filios secundum similitudinem ejus, vocat S. Scriptura) à primo existentiæ suæ momento futuros, sub pœna proin reputari, vel ideo etiam quia certissimum est, malum physicum sive pœnam cum statu moraliter imperfecto nexu necessario & indivulso connexum esse, ut unum sine altero concipi nequeat, neque parentes peccaminosi sine talibus posteris, nec posteri illi moraliter imperfecti à pœna natura liberi. Si ergo totum genus humanum, tam simultaneum quam successivum simul tanquam unica massa consideretur, non aliter quam moraliter imperfectum, proptereaque pœnæ subjacens æstimari potest, quod plane nihil absurdi rationive contrarii, uti BÆLIUS putat, involvit, sed potius ex ipsis Rationis principiis clare fluit.

Matth. 3, 7 Eph. 2, 3

Falsum oppido est itaque quod BÆLIUS objicit: „*Nullam creaturam, nondum existentem, ream* „*ceu facinoris alicujus commissi participem & con-*

„*sor-*

„ *sortem reputari posse, nedum illius causſa puniri:*
„ *id quod tamen nostrum de imputatione peccati*
„ *Adamici Dogma doceat.* Contra vero ejusmodi
„ imputationem, eamque *immediatam* (siquidem *me-*
„ *diata* nequidem imputationis nomen mereatur) & in
„ *natura*, & in *Jure divino* & *humano*, fundatam, *pra-*
„ *xi* quoque *quotidiana* confirmatam esse probatu faci-
„ le sit. Breviter. Liberi reputantur & sunt pars paren-
„ tum; Quæ sors horum, eadem & est illorum: Cum
„ comunem quandam massam inter se faciunt & præsen-
„ tes & futuri. Hinc Vasallus felonium committens, à
„ Domino & ipse & uxor ejus, etsi gravida ejicitur,
„ punitur: punitur, pœnæ incommoda in utero sen-
„ tiens & porro sensurus embryo, qui actum infideli-
„ tatis proprium hactenus nullum commisit. Eadem
„ sorte involvuntur & reliqui liberi, secundo, tertio,
„ forte decimo demum anno post nascituri, adeoque
„ nondum existentes. Et quis propterea Dominum feu-
„ di injustitiæ vel crudelitatis accusat? Parentibus in-
„ sunt liberi ut stirpibus surculi. (Et vero nonne eti-
„ am, quoties delirant Reges, plectuntur Achivi, lu-
„ unt miseri subditi ob Caput ipsorum repræsentati-
„ vum? cujus actiones propterea habent imputativita-
„ tem in suos subditos. Nonne & Christi obedientia
„ & passio iis, qui ad Populum ejus pertinent, adjudica-
„ tur & imputatur. Nescitne ergo Vir Doctus distin-
„ guere inter personam *privatam* ejusque actus priva-
„ tos, & *publicam* seu repræsentativam, item inter
„ actum proprium *physice*, & morali existimatione, *ap-*
„ *propriatum*. Legat quæ Duumviri Juris GROTIUS
„ & PUFENDORFFIUS habent de imputatione actio-
„ num moralium. Meditetur vero jura Dei, omnibus
„ humanis strictiora.) Monendum hic (ne Autor ali-
quid sibi, quod suum non est, vindicet), ea quæ in
hoc Scholio continentur non Autoris esse verba, sed
unus ex Venerandis Librorum Theologicorum Censo-
ribus ea apponere jussit, ut mitigarentur paulisper ea
quæ in ipso paragrapho dicuntur, ne Formulæ Con-
sensus Helveticæ subcontraria illa à quoquam æstimari
possent. Hisce addere adhuc jubeor, juxta Scholion hoc
ea etiam intelligenda esse quæ Tom. I. Cap. III. §. 855.

856.

856. 857. pag. 236. de hac materia dicuntur; Minime vero Autoris scopus fuit in hac Doctrina vel latum unguem à communi Reformatorum Sententia discedere, sed cum Rationalistis rationaliter agere voluit, omniaque similia, quæ hic vulgo adhiberi solent, evitare, propter magnam quam habent dissimilitudinem. Et id præcipue intendit Autor, ut ostendat, quomodo fieri possit, ut Deus, Adamo peccante, omnes Posteros ejus etiam peccatores & damnabiles judicare & æstimare possit, idque non ex casibus, inter homines, similibus, sed ex ipsa rei natura, ut cognosci possit ex principiis etiam rationis, quo sensu dicatur per unum hominem peccatum in Mundum intrasse, & per peccatum mortem: atque ita ad omnes homines mortem sive damnationem pervasisse, quatenus omnes peccarunt; sive quomodo unius delicto factum sit, ut omnes homines damnarentur. Cum enim Rationalistæ rerum & veritatum nexum perspicere velint, nexum illum ipsis ostendere necessarium duxi, qui inter Adami peccatum & Posterorum ejus damnationem est, qui consistit in arctissima cum eo unione, quia Deus totum Genus humanum cum Adamo ceu unicum aliquod Corpus, sive unicam aliquam massam considerat, quæ corruptionis Adami particeps etiam damnationis ejus particeps esse debet. Quæ imputatio tam immediata est, ut immediatius nihil excogitari possit. Eadem vero imputationis peccati Adamici ratio est, quæ imputationis Justitiæ Christi (hæc afferimus non quod ex hac imputatione vel imputationis modo contra adversarios, qui eam non agnoscunt, argumentari velimus, sed ad rem nostram illustrandam, ut ostendamus à communi Theologorum sententia nos non abire); Si vero quis me interroget, quænam causa vel quisnam modus imputationis Justitiæ Christi sit? nullam aliam immediatam afferre possum causam, quam arctissimam illam unionem, quæ per fidem fit, ut Christus cum omnibus fidelibus ceu unicum aliquod Corpus consideretur, unde ea quæ Capitis sunt etiam non possint non membrorum esse; uti si totum genus humanum cum Adamo ceu totum aliquod Corpus consideratur, fit ut propter arctissimam Unionem ea, quæ Caput fecit, omnia ejus membra fecisse à Deo reputentur.

Et

§. CXXXII.

Et ita Dei cunctarum rerum Moderatoris tam Bonitatem, quam Justitiam, Sanctitatem, Sapientiamque adversus hostium insultus vindicavimus, Adversariosque ex omnibus munimentis suis expulimus.

§. CXXXIII.

Humillimo interea animo volvendum, quam infinita sit differentia inter Dei Intellectum & nostrum intellectum, inter Dei Scientiam & nostram scientiam, inter Dei Opera & nostra opera! Quantum sit illud quod in hoc mortali ævo nescimus, nil nisi punctulum ratione totius Universi esse id quod de rerum nexu in hisce tenebris perspicimus; Nihil, sive arenulæ instar totam nostram terram, totum Genus humanum, non dicam respectu Immensitatis divinæ, sed respectu totius Mundi esse: de nobismetipsis ergo, de nostra cognitione submisse, humillime; de Deo ejusque Attributis Operibusque universis magnificentissime sentiendum & loquendum est.

* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *

* * * \

Deista nimirum vult videri bonus civis, & se obligatum agnoscit ad Juris Naturæ tam moralis quam civilis sive politici observationem, intrinsecam quoque moralitatem actionum, quas Jus Naturæ requirit, agnoscit; Epicuræi vero crasse etiam officium boni civis renuunt, idque nonnisi coacte præstant, & cum ex illorum opinione lex civilis nulla Jure Naturæ fundata esse potest, nulla ejus reverentia tenentur, sed illius transgressionem parum curant, modo pœnam evitare queant; Si vero pœna, qua lex sancitur, tanta non sit, ut illam magni faciant, crimen committere malunt, quam illud sensu obligationis & virtutis civilis amore omittere. *Fit inde*, adnotante Illustri WOLFIO Theol. Nat. Tom. II. §. 717. in Scholio, *ut illi, qui summum bonum in voluptate corporis collocantes intemperanter vivunt & in quævis scelera proni ruunt, nisi quatenus pœnarum metu coërcentur, Epicuræi dicantur.* Defendit equidem Epicurum Gassendus tam in Libris de vita moribusque ejus, quam in Syntagmate Philosophiæ Epicuri, idque maxime agit, ut Epicuri philosophiam restauraret, unde plurimam partem ex ea sustulit, quæ in ea Religioni contraria, & in id incumbit, ut ostendat, philosophum huncce non de corporis voluptate, sed de animi tranquillitate fuisse locutum, dum & ipsemet temperanter vixerit. Cum vero nostrum non sit in Theologia polemica Veterem illum Philosophum refutare, etiam, num Gassendus recte judicaverit, ut disquiramus necessum non est; sed sufficit nobis ostendisse, quænam illorum sint hypotheses atque principia, qui modernis temporibus Epicuræorum nomine vulgo veniunt, unde etiam indicasse sufficit, quid nobis aliisque Epicuræismi vocabulum significet.

* * * *
* * *

Hypothesis Primaria & Errores connexi.

§. III.

ERROR ergo PRIMARIUS in hoc consistit, quod putant, hominem nulla nec naturali sive in hominis natura fundata, nec divina obligatione teneri ad certas actiones faciendas vel omittendas, nec etiam dari moralitatem actionum intrinsecam, sed per se omnes plane indifferentes esse.

Sententiam hanc, voluptatibus carnis acceptissimam, olim jam multis arrisisse legimus: Primum qui id aperte statuit Archelaum fuisse perhibent, Philosophum ex Schola Jonica, de quo DIOG. LAERTIUS Lib. II. Sect. XVI. Ex Cyrenaicis, qui summum bonum in Corporis Voluptatibus collocasse feruntur, hanc opinionem expresse professus est Theodorus Ἄθεος dictus; Teste Autore citato Lib. II. Sect. XCIX. Pyrrhonii vero, qui omnia dubia reddere annitebantur, huic hypothesi quam maxime favebant, unde SEXTUS EMPIRICUS Pyrrhoniar. Hypotyp. Lib. III. Cap. XXIV. id agit ut ostendat, inter Virtutes & Vitia, honestum & turpe nullam esse differentiam vel saltem nequaquam illam definiri posse. Carneadem ex Academicis justitiam impugnasse nos docet LACTANTIUS Institut. divinarum Lib. V. Cap. XVI.

§. IV.

Cum Epicuræi nullam, nec naturalem, nec divinam, obligationem agnoscunt (§. 3,), præter arbitrium proprium nullam actionum suarum regulam agnoscunt, nisi propriam utilitatem, aut legem civilem, quatenus pœna sancita est.

Optime

Optime placitum hocce exprimit GATACKERUS in præloquio M. Aur. Antonino libro de rebus suis &c. præmisso: ubi ita loquitur. „ Recta vero ab eis quæ„ nam, aut quorsum quis expectet? qui amicitiam, fi„ dem, justitiam, Virtutem ullam, nisi proprii vel „ emolumenti vel oblectamenti intuitu, nec colunt, nec „ colendam censeant; cum nihil horum per se bonum, „ suique caussa expetendum existiment, qui honestum „ ipsum inanem sine re subjecta sonum, nec tam soli„ dum quam splendidum nomen pronuntiant; quin „ nec flagitio, facinore, scelere ullo, quod voluptа„ tem conciliet, lucellumve pariat, propter se absti„ nendum statuunt, cum hujusmodi nihil ex se ma„ lum reputent, nisi supplicii, mali alicujus insequu„ turi metu coërceantur; nec à Numine hoc, à quo „ iram vindictamve, ob istiusmodi quicquam vel ex„ pectare vel formidare vanitatis & superstitionis no„ mine, non damnant tantum, verum etiam deridenti; „ sed ab hominum conscientia, qui ab iniqua & scele„ sta perpetrantibus pœnas exigere ac vindictam su„ mere, sive pro auctoritate publica, sive pro viri„ bus privatis valent.

§. V.

Dum negant obligationem divinam in directione actionum suarum, necessario etiam neganda ipsis est illa hominis erga Deum relatio, qua homo obligatur ad actiones suas, non pro arbitrio proprio, sed secundum Voluntatem divinam dirigendas, motivis ab Attributis divinis desumtis; illius vero relationis & obligationis fundamentum est dependentia hominis à Deo (§. 772. cap. III.): Si ergo negatur obligatio, etiam relatio illa sive dependentia hominis à Deo neganda est.

§. VI.

In statu naturali homo duplici modo à Deo dependet, vel ut à Creatore, vel ut à communi

Conservatore & Gubernatore, inde Epicuræi negantes hominis à Deo dependentiam, simul negant, Deum esse omnium rerumCreatorem, Conservatorem & Gubernatorem.

§. VII.

Si vero Deus non est Creator, etiam locum non obtinere potest Creatio.

Leucippus & Democritus, qui in Doctrina de rerum ex nihilo productione cum omnibus fere Gentilibus hallucinarunt, statuerunt Mundum ex fortuito atomorum concursu ita constructum fuisse, ut in illo producendo opera divina nequaquam necessaria fuerit; quam opinionem etiam Epicurus suam fecit, præcipue cum hypothesibus suis optime faveret.

§. VIII.

Et si Deus non est rerum Conservator & Gubernator, etiam non datur Providentia, vel saltem Deus nullam rerum humanarum curam gerit, quæ alia hypothesis Epicuræorum est.

JACOBUS RONDELLUS in tractatu de Vita moribusque Epicuri, asserit, Providentiam ab Epicuro non fuisse negatam, sed eam illius fuisse mentem, quod Deus quidem non omnium rerum curam haberet, cum Mundo physico satis virium ad se sustentandum insit, ex hoc tamen non sequi, Deum plane nihil in hoc Mundo moderari. Sed aliter SENECA qui de Benef. Lib. IV. Cap. IV. ex Mente Epicuri ita loquitur: „ Itaque non „ dat Deus beneficia, sed securus & negligens nostri, „ aversus à Mundo aliud agit, aut (quæ maxima Epi„ curo felicitas videtur) nihil agit, nec magis illum „ beneficia, quam injuriæ tangunt. Et Cap. XIX. Lib. cit. in ipsam hujus Erroris caussam SENECA penetrat, dicens: „ Tu denique, Epicure, Deum „ inermem facis. Omnia illi tela, omnem detraxisti „ potentiam, ne cuiquam metuendus esset, projecisti „ illum

„ illum extra Mundum. Hunc igitur inseptum ingenti „ quodam & inexplicabili muro, divisumque à conta„ ctu & à conspectu mortalium, non habes, quare „ verearis, nulla illi nec tribuendi, nec nocendi ma„ teria est. In medio intervallo hujus & alterius cœ„ li desertus, sine animali sine homine, sine re ruinas „ Mundorum, supra se circaque se cadentium evitat, „ non exaudiens vota nec nostri curiosus. DIOGENES vero LAERTIUS Lib. X. Sect. LXXVII. ita Epicuri opinionem proponit: *ἐ γὰρ συμφωνῶσι πραγματείαι, καὶ φροντίδες καὶ ὀργαί, καὶ χαριτες μακαριότητι, ἀλλ' ἀσθενεία, καὶ φόβω καὶ προσδεησει τῶν πλησιον ταυτα γίνεσθαι.* *Neque enim Beatitati conveniunt negotia & curæ, & iræ, & gratiæ; sed ob infirmitatem, ac timorem, & indigentiam proximorum ista fiunt.*

§. IX.

Sunt ex Epicuræis, qui eo progredi nolunt, ut Dei Providentiam inficientur, sed ipsius Dominium concedunt; aliam vero ineunt viam, qua hypothesi primariæ suæ favere possit, & Numinis metum divinamque obligationem excutere; Illum nimirum considerant ut Dominum indulgentissimum, qui quidem legem præscribendi jus habeat, qui tamen homini præter necessitatem jugum imponere nolit, quique nihil præcipere velit de actionibus per se indifferentibus, cum omnis intrinseca moralitas absit; Bonitati ergo ejus convenire, ut homini jus actiones suas ex proprio arbitrio determinandi permittat.

Ea quæ ex hisce porro fluunt, nempe negatio Religionis tam Naturalis quam Revelatæ, ut addamus necesse non est; hæc enim quivis facile videt; & si hæ Epicuræorum hypotheses impugnatæ sunt, Epicuræi non manent, sed Religionem Naturalem agnoscere tenentur, & saltem Naturalistæ fiunt, quos infra oppugnabimus.

Epicuræismi Cauſſæ.

§. X.

Eædem, quæ Deismi, etiam Epicuræismi cauſſæ ſunt. Et ipſe etiam, quem ſupra allegavimus, SENECA ad fontem hunc penetravit. Is nimirum Epicuræorum eſt animus, ut actiones ſuas pro lubitu atque inſtinctu carnis dirigant, & proprium arbitrium omnium actionum normam conſtituant.

§. XI.

Adeſt vero Conſcientia, quæ quamcunque ſopita, accuſat; adeſt juſtiſſimi Judicis metus, mortis & futuræ pœnæ terror, hæc voluptatem & ſoporem carnalem quammaxime turbant; Si vero peccator aut medium ex hoc miſeriæ barathro evadendi neſcit, aut ſi illius uſus ipſi nimis moleſtus & ingratus videtur, & mavult voluptatibus indulgere, varia excogitat effugia, quibus omnem terrorem ex peccato orientem ex animo excutere & ſecurus vivere queat.

§. XII.

Unde ſibi perſuadet actionum differentiam nullam eſſe, ut una in ſe bona, alia mala dici nequaquam mereatur; omnes leges humanas nil niſi jugum eſſe; nec ad legis obſervationem à Deo quenquam hominum obligatum eſſe, cum Deus aut quid homines faciant plane non curet & ipſi perinde ſit quidquid agant, aut quod ſaltem Dominus indulgentiſſimus ſit, qui nemini, ceu Dominus ſervo, jugum imponere velit.

Hypo-

Hypotheſeos Epicuræorum Refutatio.

Propoſitio I.

§. XIII.

Homo natura non eſt plane exlex, ſed datur differentia actionum intrinſeca & obligatio connata.

§. XIV.

Obligatio connata dicitur, cujus ratio proxima in ipſa hominis Eſſentia & Natura continetur, ſive quæ ex tali obligatione per ſe deſcendit.

§. XV.

Lex eſt norma juxta quam creatura rationalis tenetur determinare actiones liberas.

§. XVI.

Exlex vocatur, qui non obligatus eſt actiones ſuas liberas ſecundum aliam normam determinare, quam ſecundum proprium arbitrium. Sive cui pro omni ratione ſtat propria voluntas.

§. XVII.

Obligatio autem dicitur connexio motivi cum actione.

§. XVIII.

Actiones hominis liberæ vel tendunt ad conſervationem noſtri, & ſtatum Corporis Animæque

noſtræ perfectiorem reddunt, vel tendunt ad proprium interitum, & ſtatum noſtrum tam externum quam internum imperfectiorem reddunt.

§. XIX.

Quodcunque ſtatum noſtrum ſive internum ſive externum perfectiorem reddit, id Bonum appellare ſolemus; quidquid vero illum imperfectiorem reddit, id Malum vocamus.

§. XX.

Cum actiones quædam liberæ tendant ad ſtatum noſtrum meliorem ſive perfectiorem reddendum, aliæ vero illum imperfectiorem reddant (§. 18.), prius vero vocemus Bonum, poſterius Malum (§. 19.): ſequitur actiones liberas vel bonas vel malas eſſe.

§. XXI.

Et quia ex actione libera vel ſic vel aliter determinata vel perfectio vel imperfectio aut Corporis aut Mentis noſtræ neceſſario ſequitur; inde fit, ut actiones per ſe vel bonæ vel malæ ſint.

§. XXII.

Intrinſeca actionum moralitas, ſive intrinſeca honeſtas ac turpitudo in hoc conſiſtit, quod actiones per ſe vel bonæ vel malæ ſint.

§. XXIII.

Quoniam actiones liberæ per ſe aut bonæ aut malæ eſſe poſſunt (§. 21.), in hoc autem conſiſtit intrinſeca actionum moralitas (§. 22.): ſequitur, dari intrinſecam actionum moralitatem, ſive dari actiones intrinſece honeſtas aut turpes; unde falſum eſt, nullam eſſe actionum moralem differentiam. Appe-

§. XXIV.

Appetitus noſter tam rationalis quam ſenſitivus fertur in id quod bonum eſt, aut tale videtur: Averſamur autem quod malum eſt, aut tale videtur.

§. XXV.

In ipſa ergo hominis rerumque natura motiva ſive rationes adſunt, cur aliquid aut averſetur aut appetat. Ut cum actionibus liberis motiva neceſſario connexa ſint.

§. XXVI.

Connexio motivi cum actione vocatur obligatio (§. 17.), in actionibus liberis autem ſemper eſt connexio motivi cum actione (§. 25.): E. in ipſa hominis rerumque natura conſtituta eſt quædam obligatio.

§. XXVII.

Ex quibus patet, per ipſam rerum naturam nos obligari ad actiones per ſe bonas honeſtasque committendas, malas vero ſive turpes omittendas. Hoc eſt, ad faciendum ea quæ ſtatum noſtrum perfectiorem reddunt, ad averſanda ea quæ illum imperfectiorem reddunt.

§. XXVIII.

Obligatio connata eſt, quæ in ipſa hominis Eſſentia fundatur (§. 14.): Obligatio vero ad certas actiones committendas, alias vero omittendas, in ipſa hominis natura fundata eſt (§. 25. 26.): E. datur obligatio connata.

Ita obligatio Conſervationis Corporis ſui eſt obligatio connata, quia ejus ratio in ipſa Eſſentia ac Natura non

non tantum Corporis sed & Animæ continetur, quatenus Corpus & Anima constituunt unam substantiam completam, hominem. Vide Illustr. WOLFII Jus Naturæ (Tom. I. 17. 40.): Hinc ipsi etiam Athei admittere tenentur differentiam inter actiones malas & bonas, quatenus moraliter spectantur: ut suo loco ostendimus; Vide WOLFII Theol. Nat. Tom. II. §. 500.

§. XXIX.

Regula ista, secundum quam tenemur actiones, quæ ad Perfectionem nostram tendunt, committere; ea vero, quæ ad propriam imperfectionem tendunt, omittere, est Lex, ipsa nostra rerumque Natura constituta, quæ propterea vocatur Lex naturalis.

§. XXX.

Qui obligatus est ad actiones per se honestas committendas, per se turpes vero omittendas, exlex dici nequit (§. 16.): Cum vero homo ad hoc obligatus sit (§. 26. 28.), exlex dici nequit, sed ad observationem legis naturalis obligatus est (§. 29.).

Rectissime omnino de motivis cum actionibus malis connexis, hoc est, de obligatione ad actiones turpes omittendas judicat M. ANTONINUS Lib. IX. §. 4. *Qui peccat sibi ipsi peccat: Qui injuste agit, sibi ipsi malum infert, dum seipsum malum efficit.* Homo ergo quivis se intime obligatum sentit ad actiones suas secundum certam regulam determinandas, unde propriæ felicitatis & perfectionis cupidissimus; ea vero omnia aversatur, de quibus revera credit, ea sibi detrimentum allatura esse. Et actionum differentiam esse, inde etiam patet, quod ipsimet, qui mortalium pessimi habentur, subinde non possint non actiones quasdam, quas Virtutes appellamus, quammaxime approbare; undenam hoc est? quam quod ipsimet virtutis præstantiam agnoscere tenentur. Hos describit SENE-

SENECA de Benef. Lib. IV. Cap. XVII. „ Placet, „ inquit, ſuapte Natura, adeoque gratioſa Virtus eſt, „ ut inſitum ſit etiam malis, probare meliora. Quis „ eſt qui non beneficus videri velit? qui non inter „ ſcelera & injurias, opinionem bonitatis affectet? „ qui non ipſis, quæ impotentiſſime fecit, ſpeciem ali- „ quam inducat recti? velit quoque iis beneficium de- „ diſſe, quos læſit? Gratias quoque agi ſibi ab his, „ quos afflixere, patiuntur, bonosque ſe ac liberales fin- „ gunt, quia præſtare non poſſunt. Quod non face- „ rent, niſi illos honeſti & per ſe expetendi amor co- „ geret moribus ſuis opinionem contrariam quærere & „ nequitiam abdere, cujus fructus concupiſcitur, ipſa „ vero odio pudorique eſt: Neque quisquam tantum „ à Naturali Lege deſcivit, & hominem exuit, ut ani- „ mi cauſſa malus ſit. Dic ergo cuilibet ex iſtis, qui „ rapto vivunt, an ad illa, quæ latrociniis & furtis con- „ ſequuntur, malint ratione bona pervenire? Optabit „ ille, cui graſſari & tranſeuntes percutere quæſtus „ eſt, potius illa invenire, quam eripere. Neminem „ reperies, qui non nequitiæ præmiis ſine nequitia frui „ malit. Maximum hoc habemus Naturæ meritum, „ quod virtus in omnium animos lumen ſuum præmit- „ tit: Etiam qui non ſequuntur illam vident. Hacte- nus SENECA.

Propoſitio II.

§. XXXI.

Homo etiam, ad certa officia Proximo ſuo præſtanda, natura obligatus eſt.

§. XXXII.

Hæc propoſitio ſic demonſtratur: homo quilibet, niſi affectus contrarii id impediant, etiam ex eo voluptatem percipit, ſi alii homines felices ſunt:

sunt, & illorum status perfectior fit: si vero ex re aliqua voluptatem percipimus, id etiam eoipso confert ad promotionem Perfectionis status nostri; atqui obligati sumus ad id quod confert ad perfectionem status nostri (§. 27.): E. etiam obligati sumus ad perfectionem alienam promovendam, quatenus per illam etiam status noster perfectior fit.

§. XXXIII.

Actiones liberæ semper consentire debent, alias una impediret quod altera promovet; unde sequitur, quod ad alterius æque ac ad nostram Perfectionem actiones nostras dirigere teneamur; si nimirum ex. gr. quenquam injuste offendimus aut lædimus, id multum ad status nostri imperfectionem contribuere potest, cum vero ad omnia ea evitanda obligati sumus, quæ statum nostrum imperfectiorem reddunt, etiam ad proximi nostri læsionem evitandam obligati sumus. Hoc modo etiam ratione beneficiorum, quæ aliis debemus res, sese habet, & ex collatione eorundem voluptatem percipimus.

§. XXXIV.

Argumentatio hæc eo redit: Directio actionum ad sui Perfectionem subsistere nequit, nisi aliorum perfectio perinde ac nostra promoveatur; ad prius obligati sumus, ergo etiam ad posterius. Unde sequitur, hominem ad certa officia proximo præstanda natura obligatum esse, quod erat in quæstione.

§. XXXV.

Etiam hoc modo demonstrari potest. Assumendo homines omnes natura æquales esse, ut unus

unus aut nulla aut æquali obligatione teneatur erga alterum & viceversa, & inde sic argumentando; Quod jure tibi non vis fieri ab alio, id alteri ne feceris, & quod tibi vis fieri ab altero, id etiam alteri facias; quia is eadem erga te obligatione tenetur, qua tu erga eum, aut scilicet nulla aut æquali. Obligati autem sumus, ut velimus nobis ab aliis nullum malum inferri, bonum contra conferri: obligati enim sumus ad ea, quæ statum nostrum perfectiorem reddunt, quærenda; quæ imperfectiorem reddunt, evitanda (§. 27.): quoniam itaque obligatio hominum est aut nulla aut æqualis erga seinvicem, nosque obligati sumus, ut velimus alterum nobis non male, sed benefacere, hinc in altero obligationem erga nos supponimus, alias jure hoc velle non possemus, quod tamen jure volumus, dum obligati sumus, ut id velimus; E. etiam ad idem erga alterum obligati sumus, obligatio enim est æqualis.

§. XXXVI.

Nullam adesse obligationem dici non potest, cum nos erga alios obligatos sentimus; quoniam ergo obligatio est æqualis, patet alterum etiam ad idem erga nos obligatum esse, ad quod nos erga illum obligatos sentimus. Unde sequitur, nos ad certa officia proximo præstanda natura obligatos esse, obligationemque illam esse mutuam.

Quod si vero aliquid ab altero nobis fieri volumus, necessum est, ut alter nobis ad hoc faciendum obligatus sit, & ut adeo nobis jus competat hoc ab altero poscendi vel petendi, & quodsi tu alteri eadem obligatione teneris, necesse est, ut tu quoque eidem facias idem, & alteri quoque competit jus exigendi vel petendi

tendi ut facias. Vide Illustr. WOLFII Jus Naturæ Tom. I. §. 99. Non possum quin hic apponam verba Celeb. JO. ALPH. TURRETTINI, quæ extant Dissert. I. de Legibus Naturalibus §. XXVI. „ Sunt & in „ hominibus, inquit, adfectus non pauci, qui Officio- „ rum Naturalium rationes supponunt, iisque inædifi- „ cantur. Cur, ex. gr. quosdam amamus, adproba- „ mus, magni facimus, cur alios contra odio habe- „ mus, aversamur, despicimus, nisi quia apud nos sta- „ tuimus, illos quidem id feciſſe quod debuerunt, hos „ quod debuerunt neglexiſſe & violaſſe? Etenim si „ neutris Officia ulla incumbebant, cauſſæ nihil est cur „ bene vel male in eos adfecti simus. Dices, nos eos „ diligere, & in pretio habere, qui nobis favent, eos „ contra odiſſe & aversari, qui aliquid detrimenti no- „ bis adferunt. Sed unde oritur utrumque, nisi quod „ censeamus utrosque, sive ex justitia, sive ex bonita- „ te, sive ex fidelitate, sive ex grato animo, sive ex „ alio quopiam officio, ad nobis favendum, nullum- „ que nobis detrimentum adferendum adstrictos fuiſſe, „ suaque illa officia vel neglexiſſe vel impleviſſe? „ Etenim cur deliro, vel fatuo, nos lædenti non ira- „ scimur, cur eosdem nos juvantes in pretio non ha- „ bemus, nisi quia scimus eos, cum sui compotes non „ sint, iisdem non teneri officiis, quibus ceteri Mor- „ tales tenentur.

pag. 253 f.

Propositio III.

§. XXXVII.

Datur Legis Naturalis obligatio divina.

§. XXXVIII.

Homo Natura ad Legis divinæ observationem obligatus est (§. 805.): Lex autem Naturæ est lex divina (§. 807. Cap. III.), & Deus non potest non velle, ut actiones nostras secundum

dum Naturæ regulam determinemus (§. 808. l. c.), & homo tenetur actiones suas non arbitrio suo, sed secundum Voluntatem Dei determinare (§. 803.) : E. datur Legis Naturalis obligatio divina.

Unde HIEROCL. Comment. in Aur. Carm. Pythag. Λόγῳ δὲ ὀρθῷ πείθεσθαι, καὶ Θεῷ, ταυτόν ἐστι, τὸ γὰρ λογικὸν γένος ταῦτα βέλεται ἃ ὁ θεῖος ὁρίζει νόμος. *Est vero idem, Rationi & Deo, parere: Natura enim, quæ rationis est particeps, ea ipsa vult, quæ divina lex statuit.* Citante Cel. TURRETT. ad §. XXII. Dissert. I. de Leg. Nat. Et CICERO apud LACTANTIUM Divin. Instit. Lib. VI. Cap. VIII. „ Est quidem „ vera lex, inquit, recta Ratio, Naturæ congruens, „ diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet „ ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat : „ quæ tamen neque probos frustra jubet, aut vetat, „ nec improbos jubendo aut vetando monet. Huic „ legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac ali„ quid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero „ aut per Senatum, aut per Populum solvi hac lege „ possumus : Nempe est quærendus explanator, aut in„ terpres ejus alius. Nec erit alia Lex Romæ, alia „ Athenis : Alia nunc, alia posthac ; sed & omnes „ Gentes & omni tempore una Lex & sempiterna & „ immutabilis continebit, unusque erit communis „ quasi Magister & Imperator omnium Deus, ille le„ gis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non „ parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur ; hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cæ„ tera supplicia, quæ putantur, effugerit. Et CICERO de Legibus Lib. II. Cap. IV. inquit. „ Hanc „ video Sapientissimorum fuisse sententiam, Legem „ neque hominum ingeniis excogitatam, nec Scitum „ aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod „ universum Mundum regeret, imperandi prohibendique Sapientia.

Propositio IV.

§. XXXIX.

Homo ad observationem Legis civilis obligatus est.

§. XL.

Lex civilis nullum alium in finem fertur, quam ad promovendum bonum publicum & ad communem securitatem conservandam.

§. XLI.

Quoniam Lex civilis tendit ad bonum publicum, etiam eoipso ad bonum uniuscujusque civis in specie promovendum tendit ; dum civis quilibet in civitate commode vivere, & corpore & re ab aliorum vi atque fraudibus securus esse potest ; hoc vero ad propriam felicitatem & tranquillitatem, promotionemque perfectionis status nostri multum conferre, nemo est qui negare poterit. Homo autem obligatus est, ad facienda ea, quæ promovent Perfectionem propriam (§. 26 - - 28.) : E. etiam ad Legis civilis observationem obligatus est.

Propositio V.

§. XLII.

Nec minus etiam homo ad Religionem Naturalem obligatus est.

Homo

§. XLIII.

Homo obligatus est ad Attributa Dei ejusque Voluntatem, in actionum liberarum suarum determinatione, considerandum ut motiva (§. 770. Cap. III.), in hac obligatione consistit Religio Naturalis (§. 771. l. c.): E. homo ad Religionem Naturalem obligatus est.

Objectionum solutio.

§. XLIV.

OBJECTIO PRIMA à Bonitate divina deducitur, cui Epicuræi contrariari arbitrantur, quod Deus homines obliget ad actiones suas non pro arbitratu proprio determinandas, sed ad quasdam committendas, alias vero omittendas.

§. XLV.

At non perpendunt, totam Legem divinam in ipsa hominis Essentia ita fundatam esse, ut omnes leges, quotquot sint, Bonitatis divinæ signum sint, dum ad promotionem perfectionis humanæ tendunt (§. 808. Cap. III. & Propos. I - - IV.): Imo ipsa Theologia Naturalis ita comparata est, ut illius regulæ & præcepta ad promotionem Perfectionis & felicitatis status hominis (§. 787. Cap. III.) faciant.

§. XLVI.

Alia OBJECTIO inde desumitur, quod eo modo, quo hominum obligationem demonstravimus, omnis obligatio tantum ex nostrummetipsorum amore & propria utilitate derivetur; quod Principium sit longe periculosissimum; hac enim ratione omnia humanæ vitæ officia, sublata

utilitate, evaneſcere, plurimas Virtutes locum habere non poſſe, imo ex hac hypotheſi ſequi, neque Deum à nobis colendum, ſi nec ſperandum nec metuendum ab ipſo aliquid eſſet; mortalium etiam peſſimos dici, qui omnia utilitate metiantur.

§. XLVII.

Varia autem hic obſervanda veniunt α. quidem quod omnino juſtitia ab utilitate nunquam ſit ſeparanda, ut aliquid non ideo ſolum faciendum ſit, quia utile, ſed quia ſimul juſtum eſt, ergo actionum noſtrarum regula non ſola Utilitas ſeparata à Juſtitia eſt, ſiquidem multa nobis aliquo modo utilia eſſe poſſunt, quæ tamen juſta minime ſunt.

§. XLVIII.

β. Quoad Legem ſive Jus, quod vocamus, Naturale, indicavimus, quænam utilitatis quam ab altero expectamus regula ſit (§. 35. 36.), nempe ſenſus obligationis erga illum, id nempe ad quod nos erga illum obligatos ſentimus etiam ab illo poſſumus petere; non ergo ſola in hac obligatione utilitas ſpectatur, ſed id fieri debet ſecundum certam normam, ad quod alterum erga nos obligatum cenſemus, ſcilicet quod nos jure ab alio expectare poſſumus, ut id nobis vel faciat vel non faciat, ad id & nos obligati ſumus; utilitas ergo illa, qua Jus Naturale nititur, ſemper cum Juſto, nempe æqualitate obligationis, conjuncta eſt.

§. XLIX.

γ. Quoad Religionem Naturalem demonſtravimus, obligationem illam in hoc conſiſtere, ut actiones noſtras dirigamus ſecundum Voluntatem Dei,

Dei, motivis ab ejus Attributis desumtis, supponimus ergo Superiorem aliquem, qui imperandi Jus habet, & ad cujus obsequium obstricti sumus, sic etiam obligationem ad Jus Naturæ divinam esse probavimus (§. 38. Propos. III.).

§. L.

8. Summæ Dei tum Bonitati tum Sapientiæ acceptum ferendum est, quod officia nostra erga nosmet ipsos, erga Proximum, erga integram Civitatem, erga Deum ipsum cum propria utilitate ita conjunxerit, ut è re nostra sit, si debita officia præstemus; adeo ut si facimus id quod Jus & Religio à nobis postulat, nostram simul felicitatem promoveamus.

Unde CICERO de fin. bon. & mal. Lib. II. Cap. XXII. *Interest omnium recte facere.* Vide Celeb. TURRET. Dissert. II. de Legibus Nat. §. XXIII. & §. XXV. p. 277 ubi inquit: „Cum Deus ita nos finxerit, ut vividissimo atque insuperabili propriæ conservationis & felicitatis desiderio tangamur, licet utique, imo vero „& laudabile est, rectissima via, puta per Virtutis & „Officiorum praxin, ad Felicitatem contendere.

§. LI.

TERTIA, quam proferunt, OBJECTIO huc tendit, ut Adversarii ostendant, nulla certa justi & injusti, honesti aut turpis dari principia; uni Populo sæpe turpe esse, quod alteri justum habetur; si vero certa darentur principia, ex quibus honestum à turpi tuto secerni posset, Jus Naturæ universale futurum, ut illius Leges eædem essent omnibus; illas autem apud varios Populos esse diversissimas, uti Historiarum tam antiquarum quam modernarum monumenta prodant.

§. LII.

Ad quæ regerimus α. distinguendum esse inter Rationem & ejus usum, inter principia Juris Naturalis Religionisque & accuratam illorum cognitionem ; fieri enim potest ut aliquis facultate ratiocinandi polleat, illam vero nunquam excolat, eodem modo principia Juris & Religionis Naturalis possunt esse clarissima, nihilominus magna hominum pars aut præjudiciis variis tam juventutis quam voluptatis, sive affectibus præpediti ad illa nunquam attendunt, inde tamen minime sequitur ; multi homines imo integri etiam Populi ex ignorantia, aut præjudiciis, aut affectibus agunt, ergo illa Principia nec sunt universalia nec naturalia.

§. LIII.

β. Dici haudquaquam potest, Legem Naturæ non esse universalem & immutabilem ; Jus enim Naturæ æque ac Theologia Naturalis semper in hominis Essentia & ejus erga alios sibi æquales & erga Deum relatione fundatum est ; quamdiu ergo essentia hominis, ejusque relatio erga Deum & proximum, eadem est, etiam Juris & Religionis Naturalis principia manent eadem : Neque aliunde quam ab hominum ignorantia, adfectibus præjudiciisque est, quod illa negligantur & secundum illa nequaquam vivatur : Nihilominus quidquid ex hominis Essentia, ejusque erga Deum & proximum relatione demonstrari potest, semper & ubique verum certumque manet.

§. LIV.

ALIA OBJECTIO multi ponderis non est inde

inde desumta, quod Leges Naturæ nil nisi Juventutis & educationis præjudicia sint.

§. LV.

At quis id opinionem vel præjudicium dixerit, quod legitime ex ejusmodi principiis, quæ nemo inficias ire poterit, demonstrari potest. Unde quæso fit, ut Viri etiam Sapientissimi ad maximum in hoc ævo Sapientiæ culmen progressi tales opiniones nunquam deponant, sed confirment atque demonstrent? rigidissimum etiam hæ Veritates examen sustinent; opiniones vero, præjudicia, & quæ solidis fundamentis non superstructa sunt, facillime destruuntur, neque tam universalis, in iis placitis, quæ meræ opiniones sunt, consensus reperitur.

§. LVI.

OBJICIUNT ALII, uti HOBBESIUS de Cive Cap. XII. & Leviat. Cap. XV. Regulas boni & mali, justi & injusti, honesti & inhonesti, esse Leges Civiles, ideoque quod Legislator præceperit, id pro bono, quod vetuerit, id pro malo habendum esse; is autem Legislator est, qui in Civitate summum habet imperium. Ante imperia, justum & injustum non extitisse, ut quorum Natura ad mandatum sit relativa; actionemque omnem sua Natura esse adiaphoram: Quod justa vel injusta sit, a jure imperantis provenire. Reges igitur, quæ imperant, justa facere imperando; quæ vetant vetando injusta.

§. LVII.

Verum α. Propositionibus antecedentibus intrinsecam actionum differentiam naturalemque

obligationem ad certa erga nos, erga Proximum, erga Societatem, erga Deum officia jam demonſtravimus.

§. LVIII.

β. Diſtinguendum eſt inter illas Leges, quæ in ipſa hominis Eſſentia & naturali relatione fundamentum ſuum habent, & illas quæ per ſe quidem indifferentes, in certis tamen Civitatis alicujus circumſtantiis ut jubeantur neceſſum eſt, ad evitandum malum aliquod illi imminens, & hac ratione id, quod ante mandatum ſummi Imperantis nec juſtum nec injuſtum erat, illius Lege fit juſtum vel injuſtum, officia hæc non in ipſius hominis Eſſentia fundantur, proptereaque illorum obligatio à ſolis circumſtantiis externis & Imperio ſummo dependet.

§. LIX.

γ. Dantur vero talia officia, quæ Princeps vel Magiſtratus mutare nunquam poterit, alias præcipere poſſet ut latrocinia, furta, homicidia, perjuria, proditiones, blasphemiæ aliæque ejusmodi actiones juſtæ eſſent, ut contra Temperantia, æquitas pietasque pro actionibus injuſtis ſceleribusque habeantur.

Recte ratiocinatur de hac re CICERO de Leg. Lib. I. Cap. XV. XVI. ubi inter alia hoc modo: „ Atqui ſi „ Natura confirmatum jus non erit, virtutes omnes „ tollentur. Ubi enim liberalitas, ubi patriæ Caritas, „ ubi pietas, ubi aut benemerendi de altero, aut re„ ferendæ Gratiæ voluntas, poterit exiſtere? Nam hæc „ naſcuntur ex eo, quod Natura propenſi ſumus ad di„ ligendos homines, quod fundamentum juris eſt. Ne„ que ſolum in homines obſequia, ſed etiam in Deos „ cærimoniæ religionesque tollentur, quas non metu, „ ſed

„ sed ea conjunctione, quæ est homini cum eis, con-
„ servandas puto. Quod si populorum jussis, si prin-
„ cipum Decretis, si sententiis Judicum, Jura consti-
„ tuerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus
„ testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis aut sci-
„ tis multitudinis probarentur. Quod si tanta pote-
„ stas est stultorum sententiis atque Jussis, ut eorum
„ suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt,
„ ut quæ mala perniciosaque sunt, habeantur pro bo-
„ nis ac salutaribus? aut cur, cum Lex ex injuria Jus
„ facere possit, bonum non eadem facere possit ex ma-
„ lo? atqui nos legem bonam à mala, nulla alia nisi
„ Naturæ norma dividere possumus. Nec solum jus &
„ injuria natura dijudicantur, sed omnino omnia ho-
„ nesta ac turpia; nam & communis intelligentia no-
„ bis notas res efficit, ut honesta in virtute ponantur,
„ in vitiis turpia. Ea autem in opinione existimare,
„ non in natura posita, dementis est. Hactenus Cicero.

§. LX.

QUIDAM denique nil nisi vi pactorum justum vel injustum fieri DICUNT, omnemque inde obligationem derivant. Uti HOBBESIUS in Leviath. Cap. XV. In hac lege consistit natura Justitiæ. Ubi enim non præcessit Pactum, omnia omnium sunt. Nihil ergo est injustum.

§. LXI.

Respondemus in quibusdam casibus hoc verum esse, ex. gr. si Dominus cum servo pactum init, ut sub certis conditionibus ipsi certa præstet officia sive servitia, justum sit, ut servus sua fideliter præstet, & ut Dominus contra etiam promissis suis stet; injustum foret, si aut servus sua male exequeretur, aut Dominus servo fideli promissam operum compensationem non solveret; absque hoc vero pacto nec servus ad servitia illa præstanda, nec Dominus ad mercedis solutionem obliga-

tus erat. Nihilominus aliquid adsit oportet, quod Pacto robur addit, & per quod uterque ad Pacto satisfaciendum se obligatum sentit, quod Justitiam appellamus.

§. LXII.

Dantur vero etiam talia erga proximum officia, quæ ex Pacto derivari minime possunt, qualia sunt illa, quæ ad Charitatem pertinent, ubi in certis casibus expectamus, ut Proximus nobis ea faciat vel non faciat, ad quæ nos etiam obligatos sentimus, si Proximus noster eodem in casu esset, ex. gr. ut succuramus misero, ut neminem obtrectemus aut bonæ illius famæ noceamus, ut alterius felicitatem quantum per nos licet promoveamus, neque etiam alios sine data caussa lædamus &c. in hujusmodi rebus pactum nullum præcedit, ut obligatio demum ex illo sequatur, sed ante omne Pactum hæc ab omnibus vel justa vel injusta habentur. Officia etiam, quæ Religio Naturalis nobis præscribit, omnibus Pactis anteriora ex ipsa tum hominis essentia, tum erga Deum relatione fluere à nobis jamjam demonstratum est.

§. LXIII.

Ad præcipuas, quæ contra divinam Providentiam moventur, difficultates, jam Capite præcedente respondimus, eamque adversus aliter sentientium hypotheses demonstravimus: restant autem nonnulla de hac materia, tum ad illius confirmationem, tum defensionem adhuc dicenda.

§. LXIV.

Quod ad uberiorem illius confirmationem pertinet, antea à priori à nobis demonstrata fuit divina

divina Providentia. Nunc quædam adhuc à posteriori ex Mundi hujus consideratione desumta afferemus.

§. LXV.

Et quidem *primo* oculi ad Mundi hujus ordinem, illiusque ordinis constantem durationem advertendi sunt ; quam ordinata, quam ornata ibi sunt omnia, quam sapiens omnium rerum varietas ibi deprehenditur.

„ Domum recte ordinatam, Rempublicam bene constitutam, ab aliquo regi quis dubitet ? Quanto minus Domum illam splendidam, pulcherrimam illam Civitatem, quæ Orbis nominatur ? Inquit Theologus Acutiss. JO. ALPH. TURRETT. in Cogit. de variis Theologiæ Cap. §. LXXIV.

§. LXVI.

Cœlum si aspicimus, reperiuntur à nobis Astra, reperiuntur Planetæ ; at quam mirus in illorum dispositione ac Planetarum circumgiratione occurrit ordo, quam artificiosus motus, quanta regularum, quæ ibi observantur, constantia ; & si fortuito hæc eveniant, cujus tamen exemplum aliud dari neutiquam potest, cur non fortuito dudum omnia dilapsa sunt, si non à sapientissima simul & potentissima Mente omnia gubernantur.

§. LXVII.

Et quanta divinæ Providentiæ indicia in hac Terra reperiuntur ; An quæsumus fortuita esse potest tam artificiosa hominis structura, ut omnia ibi sapientissime dispositа, omnia membra concinne ordinata, nihil quod deficiat, nihil etiam quod superfluum sit, ibi reperiatur ; imo omnia

ita

ita fabricata, ut quodcunque membrum usui & fini suo optime accommodatum sit.

§. LXVIII.

Tantus semper creaturarum in hoc Terrarum orbe, tam rationalium, quam animalium numerus existit, quantum Terra & sustentare potest; nunquam ille nimis accrescit, nunquam nimis decrescit; tantam exhibet hoc habitaculum nostrum alimentorum copiam, quanta ad vitam tot creaturarum conservandam requiritur; dici non potest, quidquam, ex frumento, aut alio cibo, ad vitam tum hominum tum animalium conservandam, necessarium, unquam perire, quasi nimia foret illius abundantia; nec contra dici potest, universalem unquam illius extitisse penuriam, ut aut hominum aut animalium genus fame enecatum fuerit: sed maxima ejus deprehenditur proportio, fortuito hæc per tot annorum millenia ita accidisse quis dixerit? In domo bene ordinata tam accuratam demensi administrationem prudenti Patrifamilias quis non adscripserit?

§. LXIX.

Quam eximia inter Corpus humanum & hanc Terram existit proportio? quam accurata proportio inter Corpora Animalium & Hominis, inter Animalium & illorum usum, inter Animalium Corpora & hanc Terram reperitur; si duplo vel quadruplo majora essent Corpora humana, quantæ Domus, quanta Vestimenta, quanta jumenta, quam magna cibi & pabuli copia requireretur. Si minora operibus peragendis non sufficerent.

Quam

§. LXX.

Quam apta usibus humanis sunt omnia; quæ homo & ad vitæ necessitatem & utilitatem & jucunditatem desiderare potest, omnia reperiuntur, & quidem sapientissime ita ordinata, ut non sine hominis industria ac labore comparari queant.

§. LXXI.

Quanta omnium rerum in hac terra varietas; quanta vultuum humanorum diversitas, quæ quanti usus sit & quam sapienter instituta, nemo est qui ignoret; quam diversa est terræ hujus superficies, quod quantum ad hominis usum & delectationem faciat, nemini non constat; quanta Animalium non tantum generum sed & specierum diversitas; quam diversi terræ hujus fructus, quam diversæ Plantæ, quam diversi varii generis cibi; quæ omnia constantissime in rerum natura obtinent, & ut terra hæc idoneum homini sit habitaculum, ita diriguntur, ut homo commodissime in illa vivere possit.

§. LXXII.

Quam sapiens est ingeniorum humanorum diversitas, ut omnibus scientiis, omnibus artibus, omnibus servitiis adaptata quasi inveniantur ingenia, ut nulla scientia, nulla ars inveniatur, quæ non à tanto hominum numero excolatur, quantum ad humani generis & societatis perfectionem necessum est. Quam sapiens bonorum temporalium sive divitiarum distributio, ita comparata, ut diversi illius dentur gradus, quo unus alteri lubentius inserviat.

An

§. LXXIII.

An cæcæ necessitati, an fortuito casui hæc omnia adscribenda? An unquam casus aliquis fortuitus in hac terra quidquam tam artificiosi effecit? ubinam quæso maxime ornatum & ordinatum Palatium, ubinam artificiosa illa machina aut horologium, ubinam Oratio aut Poëma illud, quod fortuito casu enatum est?

§. LXXIV.

Et si unquam artificiosi quidquam fortuito casu enatum esset, cur tam raro contingunt, cur non infinitis vicibus absque ulla confusione aut errore recurrunt, uti ea quæ in hoc Mundo iterum iterumque absque ulla ordinis cessatione eveniunt.

§ 23

Optime CICERO de divinat: Lib. I. Cap. XIII. „Casu inquis. Itane vero? Quidquam potest casu esse „factum, quod omnes habet in se numeros veritatis? „Quatuor tali jacti, casu venereum efficiunt. Num „etiam centum venereos, si quadringentos talos jeceris, casu futuros putas? Adsperſa temere pigmenta „in tabula, oris lineamenta effingere possunt; Num „etiam veneris Coæ pulchritudinem effingi posse adsperſione fortuita putas? Sus rostro si humi A litteram impresserit, num propterea suspicari poteris, „Andromacham Ennii ab ea posse describi? - - - - „Sic enim se profecto res habet, ut nunquam perfecte veritatem casus imitetur.

§. LXXV.

Adtendendum porro ad ea Providentiæ divinæ signa, quæ non tantum Historiarum monumenta narrant, sed quæ quotidianis etiam exemplis constant, si modo quis animum advertere velit, ubi singularia deprehendimus Dei judicia, quæ

quæ casui fortuito adscribi minime possunt, ut sunt, scelerum secretissima & maxima cum cautione admissorum detectio, & pœna de iis sumta; hominum sceleratissimorum haud infrequens miserrimus exitus, Populorum criminibus maxime deditorum pernicies, mirabiliaque de iis sumta supplicia & hujuscemodi plura.

§. LXXVI.

Tantus porro hominum improborum, injustorum & sceleratorum numerus in humana Societate reperitur, tantus affectuum impetus, injustitiæ atque vindictæ desiderium, ut mirum sit, quomodo vastissima etiam Imperia in obsequio contineri queant, ut pro unius hominis arbitrio in illo omnia gerantur; imo maximus & constans in illo observetur ordo. Inquis, vi contineri improbos & suppliciorum metu à maximis criminibus coërceri! at quænam comminatio sufficiens esset ad refrænanda crimina secretissima, quæ nulla unquam humana sagacitas detegere posset? quibusnam quæso minis perjuria cohiberi possunt, dum nullum ad illa detegenda supereſt remedium? quis furtis & homicidiis clandestinis frænum injiceret? quis adeoque, quantacunque vi & potestate præditus, humanam Societatem conservare, quibus vinculis homines continere posset, nisi Summi Justissimique Numinis, nisi Providentiæ metus esset. Metum hunc, quo homines in officio continentur, quo humana Societas atque ordo conservatur, nonnisi inventum hominum politicorum, nil nisi fraudem & chimæram esse, quis dixerit? idem enim dixerit, humani Generis conservationem mero figmento niti.

Ad

§. LXXVII.

Ad plurimas easque momentosissimas, quæ contra divinam omnium rerum Gubernationem moventur OBJECTIONES capite præcedente jamjam respondimus, supersunt nonnulla minoris momenti, quæ antiquis maxime temporibus ab Epicuro ejusque assectis prolata fuere. Dum a. Majestate divina indignum esse putarunt, ut rerum minimarum etiam & vilissimarum curam gereret, uti si Potentissimus Rex quidam rerum etiam minutissimarum, quæ in Regno suo accidunt, rationem habere vellet, ad easque sese demitteret.

§. LXXVIII.

Adsunt vero sufficientissimæ rationes, cur hoc fieri debeat, tam ratione Dei, quam respectu Creaturarum. Respectu Dei, illius Majestas ita concipienda est, ut Deus omnium rerum, omnis Essentiæ & Existentiæ, omnis Ordinis & Nexus rerum Autor, omnia maxima & minima unico intuitu ab omni æternitate cognoscat & unico actu sibi repræsentet, ut unico simul operationis actu omnia conservat & moderatur, ut oculos Omniscientiæ illius nihil fugiat, & Omni-Operationem ejus ne minimum quidem in rebus accidens subterfugiat. Quo quid infinito Dei Intellectu, illimitataque Omnipotentia dignius dici queat, non video. Ignorantiæ contra humanæ & defectui virium adscribendum, quod Rex eventus tantum quosdam in Regno suo cognoscere, quod minimam solum partem nutu suo administrare potest.

§. LXXIX.

Creaturas quod spectat, ea est illarum natura

ra ut minores non minus ac majores conservatione & gubernatione opus habeant, aliâs res minimæ prærogativum quoddam possiderent, quod maximis non competeret, dum independentes essent. Ex rebus minimis porro res maximæ compositæ sunt, si ergo res maximæ conservandæ & gubernandæ sunt, minimæ, ex quibus componuntur, non minus hac divina ope indigent; unde si divina Majestate non indignum est, ut rerum maximarum curam habeat, etiam indignum esse nequit, ut partium ex quibus illæ componuntur curam gerat. Eventus denique minimos quod attinet, nemini non per experientiam constat, ex minimis etiam eventibus maximas in Mundo oriri mutationes; si ergo divina Majestate indignum censeri nequit, ut maximos in hoc Mundo eventus dirigat, ipsum etiam non dedecet, ut eos gubernet, qui quidem in hominum oculis parvi videntur, qui tamen maximorum rationem sufficientem in se continent. In nexu etiam rerum tam arcte omnia inter se cohærent & connexa sunt, ut integrum rerum nexum & seriem moderari non possit, qui non etiam minimas ejus partes moderatur. Cui ergo rerum maximarum in hoc Mundo cura competit, ei etiam eoipso rerum minimarum moderamen adscribendum est.

§. LXXX.

Eodem redit illa OBJECTIO, quod concipi minime possit, quomodo Deus tot rebus simul adtendere, tot negotia simul curare, minima etiam in toto hoc, quamcunque late pateat, Universo dirigere possit.

§. LXXXI.

Qui ita exigue de Deo sentiunt, non infinitum Dei Intellectum, nec illimitatam ejus Potentiam noscunt, nec sciunt quid Spiritus absolute Perfectissimus sit : unde prius ex Theologia Naturali erudiendi sunt, quid Ens Perfectissimum involvat, quam intelligere possunt, quomodo omnia hæc Deo adscribantur.

§. LXXXII.

Non majoris ponderis illa DIFFICULTAS est, quæ à turbatione & Felicitatis & Beatitatis Summi Numinis desumitur, quod nimirum Deus & Felicissimus & Beatissimus gradu absolute summo esse nequeat, si non tranquillus omnisque Curæ expers sit.

Hinc LUCRET. Lib. I. canit.

Omnis enim Divum per se Natura necesse 'st
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus sejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens Opibus, nihil indiga nostri
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

§. LXXXIII.

Iterum ex falso de Deo hæc oriuntur conceptu, dum existimant, Deum cum labore agere, curisque, humanis similibus, tangi debere, adfectibusque turbari ; quæ autem ex Principiis Theologiæ Naturalis solvi facillime possunt.

CAP.

* * * \

illa Religionis Naturalis systemata, quæ inter Christianos componuntur, longe summis Dei Perfectionibus digniora sint ac decentiora, iis quæ sapientissimi etiam Gentilium de divina Natura protulerunt? aliunde hoc esse non potest, quam quod veritates, illæ etiam, quæ principiis Rationis nituntur, ope luminis Revelationis clarius videntur & accuratius cognoscuntur, quam à luce hac destituti possemus: Unde eo magis beneficium nobis à Deo exhibitum agnoscendum est.

§. II.

Ethnicismi variæ dantur species, neque aliter esse potest, ubi crassissima regnat ignorantia, nec an aliquid vel verum vel falsum sit, ex certissimis vel Rationis vel Revelationis principiis dijudicari potest.

§. III.

Vulgo in *subtilem* & *crassum* dividitur; per *subtilem* ea intelligitur Dei notitia & is Deum colendi modus, quem Gentilium Philosophi sapientiores professi sunt, qui talia proferebant, quæ rectæ Rationi satis sunt consentanea, & ex quibus systema aliquod Theologiæ Naturalis confici potest.

Id præcipue egit TOB. PFANNERUS in Systemate Theologiæ Gentilis purioris, ubi per cuncta capita ostendere nititur, quam prope Gentilium Sapientiores ad veritatem accesserint. Id vero observandum, quod Sapientissimi etiam Gentilium nil nisi conjecturas & dubia de Deo rebusque divinis protulerint, ut in re certissima incerti semper fuerint; ignorabant quæ scire maxime intererat, dubitabant de rebus summi momenti. Ita CICERO doctrinam de divina Existentia ejusque Natura dubiam proponit, dum Lib. I. de Nat. Deorum dicit: *Cum multæ res in Philosophia nequaquam satis adhuc explicatæ sunt, tum perdifficilis,*

ficilis, Brute, quod tu minime ignoras, & perobscura quæstio est, de Natura Deorum. Deorum etiam Existentiam nonnisi verisimilem statuit; an Mundus ab æterno extiterit, an vero creatus fuerit, an detur Providentia, summa semper Philosophorum dissensione certatum esse; Unde laudat CICERO l. c. illud SIMONIDIS, ex quo cum quæsiviſſet Hiero Tyrannus, quid, aut qualis sit Deus? deliberandi causſa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit. Cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiratusque Hiero quæreret, cur ita faceret? Quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. In doctrina etiam de Animæ immortalitate, sine qua tamen vix officiorum Religionis vera dantur incitamenta, anxii hærebant: Unde SOCRATES, Ethnicorum sapientiorum princeps, in Apologia sua dubium se hærere haud obscure innuit, dicens: Magna me spes tenet, bene mihi evenire, quod mittar ad Mortem: Necesse est enim duorum alterum esse, aut, ut sensum omnem Mors auferat, aut in alium quendam locum Morte migretur; & Apologiam suam hisce tandem verbis concludit: Tempus est jam hinc abire; me, ut moriar; vos ut vitam agatis: Utrum autem sit melius, Dii immortales sciunt, hominum quidem scire arbitror neminem. Vide Apol. SOCRAT. apud PLAT. & CIC. Quæst. Tusc. Lib. I. CICERO l. c. inquit, expone igitur mihi, nisi molestum est, primum animos, si potes, remanere post mortem, tum si id minus obtinebis, (est enim arduum) docebis, carere omni malo mortem; Et se delectari, inquit, id ita esse, scil. quod anima immortalis sit, deinde etiamsi non sit, tamen sibi persuaderi velle. SENECA permulta egregia de hac materia præcipue in Epistolis suis disserit, veritatis tamen convictus minime erat, unde Epist. LXIV. Et fortasse (si modo sapientum vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus periisse, præmissus est. Et Epist. CII. Juvabat de æternitate animorum quærere, imo mehercle credere. Credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis, quam probantium. Dabam me spei tantæ.

§. IV.

Paganismus crassior consistit in turpissima foedissimaque Idololatria, quæ plebeiorum præcipue est, & omnium fere animos inter Gentiles, qui Philosophi non sunt, occupat.

§. V.

Idolum nempe dicitur Ens, quod fingitur esse Deus, cum tamen non sit.

Vide Illustr. WOLFII Theol. Nat. Tom. II. §. 653, dum nimirum Ethnici verum Deum non agnoscunt, illi idola sua substituunt.

§. VI.

Idololatria ergo est ille cultus, quo loco veri Dei aliquid colitur, quod Deus non est.

Error Primarius
&
Cum illo connexi.

§. VII.

HYPOTHESIS Ethnicismi primaria in hoc consistit, quod ex veri Dei ignorantia ei Idola sua substituunt, mundique existentiam & regimen à pluribus ejusmodi fictitiis Diis dependens faciunt.

§. VIII.

Quales, quinam & quot sint illi Dii definiri minime potest, tanta enim Religionis omnium Ethnicorum inde ab antiquissimis temporibus est diversitas, ut, qui illorum de Diis doctrinam ad certum aliquod Systema redigere vellet

let, vel illorum omnium sententias in certas classes colligere, id quod impossibile est conaretnr.

§. IX.

Postquam enim semel à simplici veritate discreditur, neque opiniones amplius ex certis indubitatisque principiis dijudicantur, propter diversa hominum ingenia, intellectusque variis affectibus & desideriis carnalibus obfuscati cœcitatem in labirinthum infinitorum fere Errorum pedetentim provenitur, ut quisque Legislator, quisque Sacerdos, Populus, vel singuli denique homines id fingant, quod præjudiciis & rei suæ convenientissimum judicant.

§. X.

Tot inde Gentilium opiniones de Deo eumque colendi modo, quot per tria & quod excurrit millennia inter illos extiterunt diversæ Gentes, Philosophi, Legislatores, Sacerdotes, Familiæ vel denique homines.

Præcipuas tantum de Diis Opiniones hic brevissime percurremus. Præstantissimi scilicet illorum Philosophi non alios Deos quam ipsum Mundum diversasque ejus partes agnoverunt. Aliis supremus Deus erat Anima Mundi per totum Universum ceu materia aliqua subtilis diffusa, vel ignea quædam substantia πνεῦμα πυροειδὲς καὶ τεχνοειδὲς, ut DIOGENES LAERTIUS in Zenone narrat. Nonnulli omnia per Emanationem quandam ex prima aliqua substantia effluxisse arbitrabantur, atque Deorum Genus in certas dividebant classes, ut quo propius in generationis suæ ordine à prima sua Origine distarent, eo Perfectiores; quo magis vero per diversos Emanationum gradus ab Ente primo remoti essent, eo imperfectiores etiam fierent. Eorum aliqui, qui Deum ceu subtilem aliquem ignem per Mundum diffusum concipiebant, rem ita sibi ima-

ginabantur, ac si Deus præsentiam suam maxime per Solem humano Generi manifestaret, forsan non quod ab initio putarent, Solem ipsum summum Numen esse, sed Dei quasi habitaculum illum existere, ut benignissimus Deus munificentiæ suæ testimonia inde ederet; eo vero, plebeji præcipue, successu temporis delapsi sunt, ut ipsum Solem ceu Numen Optimum Maximum colerent, cumque illud non semper præsens intuerentur, sed quotidie sese per aliquod tempus absconderet, quædam illius monumenta erigebant: Verisimile enim statuas Solis inde Originem suam traxisse, quibus à stupidis hominibus honor divinus exhibitus fuit; quantum ex historiarum monumentis constat, hæc antiquissima Idololatriæ species fuit. Huic deinde addebant Lunam reliquaque Sidera cœlestia, nihil enim, postquam mentem à rebus invisibilibus & immaterialibus abstraxissent, invenerunt, cui divinitatis notio majori jure competeret; & in hac sua opinione confirmati sunt, dum ab una parte considerarent maxima commoda, quæ inde ad nos redundarent; ab altera vero parte mirificum illum ac constantissimum motum ac ordinem quem observant sidera illa. Hinc DIODORUS SICULUS Bibl. Lib. I. hoc diserte asserit dicens: Τὸς δὲ ἓν κατ' Αἴγυπτον ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν γενομένους ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντας, καὶ θαυμάσαντας ὑπολαβεῖν εἶναι δύο Θεὸς ἀιδίους τε καὶ πρώτους, τόν τε ἥλιον καὶ σελήνην, ὧν τὸν μὲν Ὀσίριν, τὴν δὲ Ἶσιν ὀνομάσαι. *Homines scilicet antiquissimos Ægypti incolas Mundum supra se & Universi Naturam contemplantes, neque absque stupore admiratos, existimasse, duos esse Deos æternos & primos, Solem & Lunam, quorum illum Osirim, hanc Isin appellarint.* Et PLOTINUS Ennead. II. Lib. IX. inquit: Ἄστρα τὰ ἐν ταῖς ὑποκάτω σφαίραις, τάτε ἐν τῷ ἀνωτάτω διά τι ἐ θεοὶ ἐν τάξει φερόμενα καὶ κόσμῳ περιόντα. *Stellæ vero quæ inferioribus insunt sphæris, & quæ in suprema micant, cur Dii non sint, cogitari non potest, quippe cum ordine perferantur, ornatuque concurrant.*

Non

Non potuerunt tamen Sapientiores ex illis concipere, quod Numina illa Intellectu rerumque cognitione carerent, neque etiam Plebs adeo stupida erat, ut omnem Diis, quos colebant, intelligentiam denegaret; Unde ea, quæ apud plurimos Orientis Populos, obtinebat opinio, aut quod ipsamet astra essent Entia spiritualia & incorruptibilia, aut quod saltem ejusmodi animabus prædita essent: sic deinceps ARISTOTELES etiam Sphæris cœlestibus Intelligentias adjunxit. Solis, Lunæ astrorumque cultum antiquissimis jam temporibus, imo ante Mosen obtinuisse, haud obscure patet ex effato aliquo Jobi Cap. XXXI. vers. 26. 27. dum dicit: *Si vidi Solem, quando splendebat, & Lunam honorifice incedentem, & seduxit sese in abscondito Cor meum, & osculatum est manum meam os meum, etiam hoc fuisset iniquitas judicata, quia abnegassem Deum desuper.* Quibus verbis Jobus innuere vult, se Idololatriæ, qua alii Solem Lunamque colerent, nequaquam fuisse reum: Non vero uno tempore, sed per varios gradus, ad ultimum stultitiæ genus homines progressi sunt.

Hactenus de eo Idololatriæ genere disseruimus, quo Creaturæ maxime illustres & in Cœlo conspicuæ coluntur, nunc de altero Idololatrici cultus genere adhuc quædam, dicenda sunt, quo res sublunares, eæ præcipue à quibus homines aut commodum accipiunt, aut quas habent cur metuant, Numinis loco habentur. Terra nimirum, ignis, oceanus & aër ab Ethnicis in Deorum suorum numerum relata fuerunt, & nomina Deorum illis indita sunt; Quæ superstitio inde Originem suam traxisse videtur, quod Gentiles τὸ πᾶν, totum hoc Universum loco Dei habuerint, & omnes res creatas tot totius Divinitatis partes esse existimarent, illisque singulis divina nomina imposuerunt. Simulachrorum cultum quod attinet, ejus origo haudquaquam inde petenda videtur, quod homines ex nimia superstitione imagines pro ipsis Diis habuerint; sed illas potius considerabant ceu Numinis signa, easque eum in finem fabricabant, ut Deum oculis quasi præsentem & visibilem colere possent, illumque ibi magis

gis quam alibi adesse opinabantur; Hoc ex Israëlitarum exemplo elucet, qui Gentilium Idololatriæ maxime erant dediti & insatiabile quasi Idola fabricandi desiderium habebant; tam stupidi autem non erant, ut simulachrum ex auro vel argento fabricatum ipsum Deum esse opinarentur, sed invisibilis Dei visibile quoddam signum habere volebant. Aut vero Ethnici opinabantur ipsum Mundum esse Numen, aut illud esse Animam Mundi per totum Universum diffusum, vel denique varias substantias spirituales per Emanationem ex primaria aliqua substantia productas fuisse; Qui primam fovebant opinionem, dum singulas Universi partes ceu tot Divinitatis particulas considerabant, etiam variarum partium, ex quibus Divinitatem compositam credebant, simulachra fabricarunt, quæ tanquam divinitatis signa & partes ceu ipsum Deum colebant. Qui vero Deum ceu Ens aliquod spirituale & hujus Universi Animam concipiebant, propter varia quæ ipsi tribuenda erant Attributa vel perfectiones, etiam sub variis figuris Symbolicis, ipsum repræsentabant, ut tot divinitatis visibilibus signis; unde tantus successu temporis Deorum numerus, magis ac magis invalescente ignorantia, ortum suum traxit, ut quot sunt Dei perfectiones aut beneficia, tot etiam Dii crediti fuerint. Si denique, qui varias substantias intelligentes per Emanationem ex Deo ortum suum habuisse censebant, eo prolapsi sunt, ut crederent, substantiarum illarum, quæ omnes magis aut minus divinæ Essentiæ participes essent, varios dari ordines sive classes, unde illis non tantum nativitatem adscribebant, sed diversam etiam dignitatem ac honorem tribuebant; inde Theogonia illa ortum suum habuit, & distinctio inter diversos Deorum ordines, munera atque officia; hosque cum etiam præsentes sibi sistere oculisque subjicere vellent & hoc modo colere, sub variis etiam imaginibus eos repræsentabant, pro diversis vero hominum ingeniis, variis etiam sub speciebus Numina illa figurata fuere.

Datur aliud adhuc Idololatriæ & Simulachrorum genus, hominum nempe, qui religioso cultu affecti fuere. Extitere nempe omni tempore, qui ob præclare facta, aut ingentia quædam beneficia Generi humano collata, singu-

singularem sibi famam conciliarunt, quæ ad seram etiam posteritatem propagata fuit: immo successu temporis fabulis magis ac magis involuta in immensum quasi crevit, ut divini quid ejusmodi celebratis hominibus adscriptum fuerit. Facile hoc modo homines ad Superstitionem maxime proni in hanc perduci potuere sententiam, inclytos ejusmodi homines à cœlo descendisse & Deos fuisse, ut vero illorum memoriam conservarent, illosque veneratione divina etiam posteri prosequerentur, imagines illorum faciebant, honoremque divinum ob beneficia ab iis accepta tribuebant; itaque Deorum numerus non parum auctus fuit. Est aliud adhuc superstitionis & Idololatriæ genus, quod ab hominum meticulositate imprimis originem suam ducit, definiente enim THEOPHRASTO de Characteribus morum Cap. XVI. ab initio: Superstitio est nimis meticulosus erga Numen adfectus. Ἀμελεῖ, inquit, ἡ δεισιδαιμονία δοξειν εἶναι δειλία πρὸς τὸ δαιμόνιον. *Superstitionem sane definire possumus, meticulosum erga Numen adfectum.* Adnotante CASAUBONO ad hunc locum nonnulli superstitionem ita definiunt: δεισιδαιμονία ἐστι φοβος θεῶν καὶ δαιμονων; sed THEOPHRASTUS, addit CASAUB. voce δαιμονων, & Deos, & Dæmones complexus est, & quidquid divinitatis esse particeps malesana putavit antiquitas. Ad vocem δειλίαν observat, metum alium esse ab eo qui pios decet. Scite enim Varronem apud Augustinum dicere, Deum à religioso vereri, à superstitioso timeri. Ut ad propositum nunc redeam, propter conscientiam malorum factorum, illiusque dictamen de malorum vindice, ultionem peccatorum Diis bonis & immediate ex substantia primaria ortum trahentibus adscribere nolebant, sed Genios sive Dæmones inferioris ordinis fingebant, quibus mali vindicta competeret, quique, dum etiam ex divina Natura originem haberent, hominique nocere possent, quoque cultu religioso afficiendi sint: ad quod haudddubie etiam Sacerdotum fraudes suum contulerunt; unde Dæmonum cultus, quos sub hircorum vel satyrorum figuris repræsentare solebant, derivandus videtur. Ex hisce nunc omnibus facile intelligere licet, qua ratione tam ingens apud Gentiles Deorum numerus oriri potuerit.

Et

Et quæ de Ethnicismo antiquiori protulimus, ad hodiernum omnia fere applicari possunt, colunt nimirum moderni etiam Gentiles invisibiles quasdam potestates & intelligentias, colunt homines in Deorum numerum relatos, colunt tum Divinitatis tum etiam hominum Deificatorum imagines, colunt ipsos denique cacodæmones; neque melius quid à Populo sperari potest, qui à veritate immensum quantum remotus, nec ad principia Rationis adtendit, nec Revelationis principia habet, crassissimis ignorantiæ tenebris plane obrutus est. Ad certum vero aliquod systema ut hodiernorum Gentilium de Deo Doctrina referatur, impossibile est, siquidem Idololatriæ illorum tanta est diversitas, quanta antiquissimis etiam temporibus fuit.

§. XI.

Quoad dependentiam hujus Mundi à Deo, ratione existentiæ, pauciſſimi ex Gentilibus fuerunt, qui eam agnoscerent, dum enim modum concipere non poterant, quomodo ex nihilo aliquid produci posset, rem ipsam plurimi negabant, nimis enim animo ipsis impressum erat illud principium, quod ex nihilo nihil fiat: unde vel statuebant, materiam ab æterno extitisse & ex illa à Principio aliquo bono Mundum hunc formatum fuisse; aut etiam quoad formam, perpetua rerum revolutione systema hoc Universi esse æternum, vel fortuito atomorum concursu hanc rerum Ordinem & Nexum ortum esse.

§. XII.

Ratione Providentiæ non eadem omnibus sententia erat, sed vel eam plane negabant, uti Epicuræi, vel Mundi hujus regimen saltem ex parte Providentiæ divinæ subtrahebant, vel à pluribus Diis, quorum quisque officio suo fungeretur, dependentem faciebant rerum ordinem atque eventum. Aliter

§. XIII.

Aliter enim fieri non potest quam ut is, qui falsum de Deo variisque ejus Attributis habet conceptum, etiam circa divina Opera hallucinetur, neque sciat, quid per Deum possibile vel non possibile sit, vel quid à se per se existere & subsistere possit vel non possit.

§. XIV.

Cum Gentiles hunc Mundum à pluribus Diis dependentem statuunt, Deo cuilibet simul realitates limitatas tribuunt; quoniam enim eventus particulares, à singulis Diis proveniunt & diriguntur, tunc singulis Diis tales realitates tribuendæ sunt, quales effectibus hisce producendis sufficiunt, realitates vero illæ eoipso sunt limitatæ, quo eventus tantum quidam ab ipsis dependent; neque ad alios producendos sese extendunt.

§. XV.

Eoipso autem quo Mundi administrationem à pluribus Diis dependentem faciunt, irreligionarii non sunt, nam cum se à Diis dependentes agnoscunt, eoipso se obligatos sentiunt ad certas actiones illorum gratia edendas, & Deos per eas colendos, cum vero in obligatione illa consistat Religio (§. 771. Cap. III.), Ethnici sine Religione non sunt.

Patet hoc etiam à posteriori exemplo non tantum Ægyptiorum, Romanorum, Græcorum, sed modernorum etiam Gentilium, quorum Religio licet sit Idololatrica, & verum Deum pro objecto non habeat, nullam tamen Religionem & nullum cultum ipsis esse, dici non potest. P. 836

Religio

§. XVI.

Religio Naturalis consistit in Obligatione ad actiones suas secundum Voluntatem Dei dirigendas, motivis ab Attributis ejus in Creatione & Providentia manifestis, desumtis, (§. 771. l. c.); hinc Religio Naturalis supponit veram Dei Cognitionem; quoniam vero Gentiles verum Deum non agnoscunt, neque ergo illius Gloriam manifestare, aut Motiva actionum suarum ab Attributis divinis aut ejus Voluntate desumere possunt, etiam nec veram Religionem Naturalem exercere possunt.

§. XVII.

In Religione Revelata Motiva actionum desumuntur ab iis Dei Attributis, quæ in Opere Salvationis sive Redemtionis manifestantur, quoniam vero Revelatione hac carent, etiam Religionis Revelatæ officia exercere nequeunt.

§. XVIII.

Et quia ipsis Revelatio deest, ratione status hominis Peccatoris, Numinisque irati placationem magnopere cœcutiunt.

Gentiles equidem, uti vidimus, Numina agnoscebant, imo cultum ipsis deberi sentiebant; plurima scilicet illorum pars, (Epicuræi enim & qui ad id genus pertinent excipiendi sunt, licet etiam Epicurum Deum coluisse nonnulli existiment) Numen etiam aliquod malorum vindicem statuebant & statuunt adhucdum, ut nemini petulanter impio, injusto aut intemperanti esse liceat, nisi promeritam vindictam certo exspectare velit; factum hinc, ut ii præcipue, qui animæ immortalitatem vel felicem aut infelicem post hanc vitam statum credebant, vel saltem de hac re dubii erant, variis modis Numen placare & ad beatitudinem istam pervenire studerent; Quoniam vero certa de expiationis

tionis ratione ipsis deerant principia, hinc pro diversis ingeniis etiam ad varios Deos placandi modos prolapsi sunt; Non jam dicam de iis, qui vitiorum sordibus immersi, ut secure viam suam peccaminosam transigere possent, omnem divinitatis metum ex animo extirpare quærebant, quales omnibus temporibus extiterunt; hi ex Principiis contra Atheos & Epicuræos demonstratis refutandi: sed de his nobis hic sermo est, qui metu Numinis & Conscientiæ dictamine adducti, Religionem professi & in hoc incubuerunt, ut Numen iratum placare & crimina sua expiare possent. *Prima* Gentilium Deos suos colendi & placandi ratio consistit in variis Cærimoniis ac ritibus, lustrationibus & præcipue sacrificiis, quorum inter Gentiles usus longe frequentissimus est, omni enim tempore sanguinis effusioni & pecudis mactationi vis quædam expiatoria inter Gentiles tributa fuit, si vero malis quibusdam universalibus grassantibus sacrificia pecuaria insufficientia credebant, ad ipsam hominum mactationem prolabebantur, tum forsan quia per traditionem ejusmodi quid audiverant, tum quia menti ipsorum inscriptum erat, se propter crimina sua omnes mortis reos factos esse. Cognoverunt igitur peccatorum expiatione opus esse, sed veram illius rationem plane ignorabant. Causa vero cur cærimoniæ istæ & præcipue sacrificia per tot sæculorum cursum fuerint conservata, præcepta vero moralia tantopere fuerint corrupta, hæc esse videtur, quod Sacrificia & Cærimoniæ ceu res externæ & visibiles, quibus homines maxime delectantur, sub sensus & imaginationem cadunt, ideo facile à stupidissimis etiam in memoria retinentur & propterea conservantur, quæ vero per sensus non percipiuntur, & ubi facultate ratiocinandi & judicandi opus est, ibi facilius apud homines imperitos, qui cogitationes suas à rebus sensualibus abstrahere nequeunt, Errores subrepere possunt, hinc præcepta Moralia inter eos homines, qui clarissimo Revelationis lumine non collustrantur, facile corruptionem subeunt.

Fuerunt tamen omni tempore sapientiores, qui facile viderunt, Ritibus illis externis, Cærimoniis, lustrationibus, sacrificiis & toti apparatui illi vim expiatoriam ineſſe

meſſe minime poſſe, imo externum ejusmodi cultum nec hominem meliorem facere, nec ad Dei Gloriam tendere poſſe, Gentilium ſapientiſſimi facile intelligebant; Hinc meliorem ingreſſi viam, quæ *ſecunda* Ethnicorum Deum colendi & placandi ratio eſt, virtuti ſtudebant, hoc eſt, eo annitebantur, ut animum ad rigidam Juris Naturalis obſervationem componerent, Temperantiam, vitæ innocentiam, integritatemque, erga alios Juſtitiam ſectabantur, quod probandum eſſet, ſi virtus hæc non tantum fuiſſet apparens & in externis ſolum conſtitiſſet officiis, quæ vix Juri Naturæ nedum Theologiæ Naturali ſatisfaciebant; ex quibus ergo nulla coram Deo juſtitia jure ſperari poterat, erant vero qui haud difficulter perſpiciebant, quod, licet Virtutis ſtudium ab hominibus cunctis requiratur, cum lex divina ſit, illud tamen ceu admodum mancum inſufficiens ſit ad Numen placandum; & quia homo omni tempore ad Virtutis officia obligatur, Juris Naturæ obſervatio anteactam illius transgreſſionem expiare minime poteſt; Hinc *tertio* illi qui præ reliquis ſapiebant, ad peccatorum dolorem ſive pœnitentiam & preces confugiebant, quibus vim maximam tribuebant, ſed quia hæc non vero nitebantur fundamento, neque etiam ex debitis principiis fiebant, Religionem Rationalem efficere non potuerant. Ex iis, quæ hactenus diximus, tota Gentilium Religio atque cultus explicari poteſt.

§. XIX.

Ex hactenus allatis patet, omnem Gentilium cognitionem nec non Religionem & cultum divinum mere Idololatricum eſſe.

Ethnicismi Occaſio & Cauſſæ.

§. XX.

Ignorantiæ veritatum cœleſtium, ceu Idololatriæ Matri, OCCASIONEM dedit Populorum

rum disperſio, quæ initium habuit poſt Turris Babylonicæ exſtructionem fruſtra molitam; quæ disperſio in cauſſa fuit *primo* ut pedetentim maxima linguarum oriretur diverſitas, *ſecundo* ut Doctrina ſalutaris per Sanctos Patriarchas non tam commode, ut antea factum fuit, ad omnes propagari potuerit.

§. XXI.

Et cum veroſimiliter pauciſſimi ex Patribusfamilias ea, quæ à primis poſt diluvium Patriarchis audiverant, ſcriptis mandaverunt, facile, inter eos inprimis, qui ex Canaanis familia erant, antiqua oralis traditio corrumpi variisque erroribus contaminari obſcurarique potuit.

§. XXII.

Fiebat inde ut, cum vitiis dediti nec Rationem inſitam excolerent, nec curarent, ut veritates cœleſtes intaminatæ conſervarentur, pro Verbo divino animi ſui placita ac cupiditates, ut vitæ cultusque divini regulam, ſequerentur; unde non potuerunt non ad ultimum tandem ſtultitiæ gradum pervenire.

§. XXIII.

Ita mirum non eſt, ſi hominibus ſibi ipſis relictis, deperdita virtute & pietate, vera Dei cognitio paulatim extinguebatur, ut dubiis, erroribus, nec finis nec modus eſſet, ut indies gangræna hæc longius latiusque ſerpſerit.

§. XXIV.

Vulgus pro innata ſibi ruditate, in omne genus ſuperſtitionum; Viri vero acutius cernentes

ac ineptiarum vulgi pertæsi, sed Revelationis lumine non amplius colluſtrati, in alterum extremum, Atheismum nempe, labebantur; sicque omnes veri & æqui reliquiæ inter homines extinctæ & sepultæ tandem manebant.

Vide Celeb. JOH. ALPH. TURRETTINI Dissert. de Revelationis Necessitate II. §. XII.

§. XXV.

Idololatriæ CAUSSÆ in intimis α. humani cordis receſſibus quærendæ; ubi enim tantus est corruptionis gradus, ubi tanta adfectuum vis, ubi tot vitiorum illecebræ & virtutum difficultates, ubi contra deest immediata Dei vox per Legatos loquens, impellens, instigans, trahens, tonans, ibi homines cordis pravitate à Deo ejusque notitia facile avertuntur, & ratiocinationum inanium specie à rebus spiritualibus ad visibiles, ad sensuales seducuntur & decipiuntur.

§. XXVI.

β. Ea omnium hominum est indoles, ut proni sint Natura ad seipsos resque creatas & in sensus incurrentes, commodisque suis inservientes, magis quam Deum invisibilem amandas; quæ subtilior Idololatria est, omnis crassioris fons & scaturigo, quod Moses asserit dicens: *Cave, ne te cor tuum decipiat, & avertat te ad Deos alienos.* Deut. XI. 16.

Vide Celeb. BUDDÆI Hist. Eccl. Vet. Test. Part. I. Sect. II. §. XII. in Not.

§. XXVII.

Ita γ. initium factum fuit ab ea Idololatriæ specie

ſpecie, quæ ſecundum corruptæ rationis διαλογισμὸς non omni Veritatis ſpecie deſtituebatur, quæ, magis ac magis obſcurata Dei notitia, ad ultimum tandem inſaniæ gradum proceſſit.

Hypotheſeos Gentilis Refutatio.

Propoſitio I.

§. XXVIII.

Deus nonniſi unicus exiſtit.

§. XXIX.

Hæc propoſitio demonſtrata fuit (Cap. III. §. 663. 664.).

Propoſitio II.

§. XXX.

Realitates divinæ non poſſunt eſſe limitatæ.

§. XXXI.

Ens Perfectiſſimum poſſidet omnes Perfectiones adeoque Realitates compoſſibiles (§. 542. Cap. III.), & quidem Gradu abſolute ſummo (l. c.), Deus autem eſt Ens Perfectiſſimum & illimitatum (§. 544. l. c.); adeoque Realitates ejus limitibus carent.

Qui ergo Ethnicum falſitatis hypotheſeos ſuæ convince-

re vult, illi ante omnia id agendum, ut veram ei Dei notitiam ingerat, qualis ex ipsis Rationis principiis hauriri potest.

Propositio III.

§. XXXII.

Impossibile est, ut Mundus quoad actum & gubernationem à pluribus Diis dependeat.

§. XXXIII.

Ex principiis Ontologicis constat, Mundum hunc nonnisi Ens unicum esse, cum omnia tam simultanea quam successiva in eo inter se connexa sunt (Illustr. WOLFII Cosm. §. 55.), & ipsa Elementa & substantiæ simplices inter se connexa sunt (§. 182. 204. l. c.), & ab illorum nexu nexus rerum materialium pendet (l. c. §. 205.), imo mutationes elementorum omnium inter se connexæ sunt (l. c. 210.); Quoniam itaque in hoc Mundi systemate talia omnium rerum atque eventuum connexio est, totus Mundus unicum tantum Ens constituit; & propter eventuum connexionem qualibet illius pars abstracte à reliquis regi nequit, alias partes ejus non essent connexæ; patet quaslibet partes in toto aliquo Systemate, ubi omnia ad seinvicem Relationem habent, & ubi pars & eventus unus in alterum influit & alterum producit, ab uno tantum Ente gubernari posse, alias non omnia conspirare possent ad effectum aliquem producendum, sed sæpe totus rerum nexus turbaretur, unde impossibile est, ut Mundus hic à pluribus Diis dependeat.

Et

§. XXXIV.

Et quia Deus unicus tantum est (Propos. I.), Creatio & Conservatio etiam nonnisi ab uno Ente dependet, ut non sit nisi unus Mundi Creator, Conservator, & Gubernator (Sect. VII. Cap. III.) propterea impossibilis est hujus Mundi à pluribus dependentia.

Propositio IV.

§. XXXV.

Gentilismus nullo nititur fundamento.

§. XXXVI.

Cum enim Gentilium hypothesis primaria, nec respectu Dei, qui unus tantum est (Prop. I.), cujus Realitates non possunt esse limitatæ (Prop. II.), nec per Mundi hujus constitutionem possibilis est (Prop. III.): Sequitur illam fundamento carere.

De
Falsis, & optima Infideles ac Incredulos convertendi Methodo.

§. XXXVII.

Gentibus de Deo Ente Perfectissimo gradu absolute summo, de Religione Rationali, tam Naturali pura, quam Revelata, parum & nihil constat, neque propter magnam Religionis Idololatricæ

tricæ diversitatem Systema adcuratum illius tradi potest; neque ideo Argumenta, quæ tam ad Religionem suam defendendam, quam ad aliorum refutandam proferant, adferri possunt; ubi enim omnia ignorantia & dubitatione nituntur, ibi magnæ contra aliorum dogmata difficultates moveri nequeunt.

§. XXXVIII.

Id autem hic agemus, ut ostendamus, quænam falsa & quænam vera infideles & incredulos convertendi methodus sit; per Incredulos nimirum in genere intelliguntur omnes illi, qui Religionem revelatam veram inficiantur, quales sunt ii, qui nullam plane Religionem admittunt, ut Athei, Deistæ, Epicuræi; vel qui quidem Religionem profitentur, sed nec Religionem Naturalem puram, nec Revelatam agnoscunt: vel qui Religionem Naturalem veram concedunt, omnem vero Revelatam negant, vel qui denique etiam Revelatam concedunt, sed vere divinam pro genuina agnoscere nolunt.

§. XXXIX.

Ad alios ad veram Religionem convertendos, quantum in nobis est & per circumstantias nostras licet, nos obligat, tam Jus Naturæ, quam Religio Naturalis & Revelatio.

§. XL.

Jus Naturæ, dum vi illius tenemur non nostram tantum, sed & proximi Perfectionem, tam corporalem quam spiritualem, promovere.

§. XLI.

Religio Naturalis, qua obligamur ad omnia ea

ea præstanda, quæ ad divinæ Gloriæ manifestationem tendunt, quo plures autem verum Deum agnoscunt, eo magis etiam Deus glorificatur, unde & alii tam ad Gloriæ divinæ cognitionem quam celebrationem à nobis adducendi sunt.

§. XLII.

Religio denique Revelata idem præscribit, idque expressis verbis mandat. Epist. Jac. V. 19. 20. 1. Tim. II. 1. 4.

§. XLIII.

Non una vero ab omnibus in hoc negotio adhibetur via, unde Methodus falsa à genuina probe distinguenda est.

§. XLIV.

Ji, quos Latitudinarios vel Indifferentistas nominare solemus, longe facillimam proferunt methodum, quæ ita comparata est, ut in qualibet Religione omnia sarta tectaque manere queant, omniaque ea Adversariis concedantur, aut saltem non producantur & reticeantur, quæ Religionis Revelatæ Essentiam constituunt, ut in meris Religionis Naturalis principiis subsistatur & acquiescatur: ea vero Religionis Revelatæ dogmata, quæ illam à Religione Naturali distinguunt, & sine quibus Revelatione ne quidem opus fuisset, aut prætergrediuntur, aut non aliter admittunt quam quatenus cum ipsis Religionis Naturalis principiis eadem sunt: adeoque veram Revelationis rationem & illius dogmatum naturam ac Essentiam tollunt.

§. XLV.

Eam viam maxime Sociniani ingrediuntur,

qui, ut suo loco videbimus, Christianismum in merum Naturalismum convertunt, & dogmata Religioni Revelatæ maxime Essentialia ita pervertunt, ut nil in ipsis contineatur, quod non ex ipsius Rationis principiis constare potest, articulosque Religionis Peccatoris fundamentales ad tales redigunt, qui ab omnibus Existentiam & Providentiam divinam admittentibus, etiam Revelatione sepositа, agnoscuntur & facile concedunturtur; at hac ratione omnis Revelationis tam necessitas quam etiam veritas plane evertitur: ut hæc pro genuina Incredulos ad fidem Christianam convertendi methodo agnosci nequaquam possit.

§. XLVI.

Quoniam methodus hæcce, qua vera dogmatum revelatorum ratio plane pervertitur, & nonnisi id, quod ex sola Ratione notum esse potest, quatenus scilicet illa Revelationis luce aliquo modo auxilium accepit, ut veritates naturales distinctius percipere possit, incredulis convertendis proponitur, in Libello ab Anonymo edito & idiomate Gallico conscripto in compendio exhibetur, ea quæ ibi dicuntur, quatenus methodum hanc spectant, hic breviter examinabimus, reliqua quæ in Libello hoc contra sanctiora Religionis Nostræ dogmata moventur, ad caput de Socinianismo, quo pertinent, remittimus.

Titulum huncce Tractatus hic nunc secunda vice duplo auctior editus præ se fert: *Lettres sur la Religion essentielle à l'homme distinguée de ce qui n'en est que l'accessoire*; à variis Viris Celeberrimis ac Doctissimis ille refutatus fuit, nunc solum ad manus mihi sunt Dissert. Theologi Tigurinorum Solidissimi, Celeberrimi

berrimi JOH. JAC. ZIMMERMANNI, de Recentiorum quorundam eruditorum præpostéris adversus incredulos disputandi methodis, & Doctissimi FRANC. de ROCHES Pastoris Ecclesiæ Genevensis, Defense du Christianisme ou preservatif contre un ouvrage intitulé Lettres &c. Cum hypotheses Autoris Epistolarum illarum Gallicarum, quantum ego sepositis præjudiciis perspicio, ad Socinianismum proxime accedant, huicque sectæ arma ministrent, præcipuas illius, contra mysteria præcipue & veram satisfactionis Christi rationem ac necessitatem, objectiones, de Sociniana hæresi agentes, refutabimus.

§. XLVII.

Is nempe Autoris hujus Anonymi finis est, ut ostendat, qua ratione Increduli, per quos Deistas & Naturalistas præcipue intelligere videtur, ad Religionem Christianam optime adduci & de illius veritate convinci queant.

Hunc illius scopum esse, jam in tractatu præcedente indicavit, cui titulus est, *Le Sisteme des Anciens & des Modernes sur l'etat des Ames separées des corps* en XIV. Lettres, ubi in appendice *Lettre Relative au sujet* pag. m. 297. dicit: *Ou je serai trompé dans mes conjectures, ou l'honnête homme de Deiste, brouillé depuis longtems avec l'Ecriture, reviendra de ses préventions par la lecture de ces Lettres; Il trouvera ici un sisteme de Religion, parfaitement conforme aux Idées qu'il a de la souveraine Equité.* Et Introduction à L'ouvrage de la Rel. Essent. ab initio: „ Jamais on n'a attaqué l'Incredulité plus fortement, qu'on l'a fait de nos jours; „ & voit-on que pour cela le nombre des Incredules „ diminue? Il semble plutot que c'est tout l'oppose; „ que plus ils voient que l'on forge, que l'on prepare des armes pour les combattre, plus ils font d'efforts pour se mettre en défense. Et paucis paginis „ interjectis dicit: Il n'y a donc pas dequoi s'etonner, „ si

„ſi les preuves qui conſiſtent en faits, font peu d'im-
„preſſion ſur les Eſprits de notre ſiécle. Par rapport
„à la Religion ſur tout, ils ont pris une autre tour-
„nure: & ſi l'on veut avoir chez eux quelque entrée,
„il faut les ſuppoſer tels qu'ils ſont, les prendre par ou
„ils ſont prenables. Je pancherois fort à croire, que
„ſi la Religion peut leur être preſentée d'une manié-
„re qui la leur rende reſpectable, ce ne ſera pas en
„l'appuyant ſur des preuves de nature etrangére: ce
„ne ſera jamais que par une Autorité priſe d'elle mê-
„me, independante de toute autre, & qui par cet en-
„droit n'ait rien d'equivoque.

§. XLVIII.

Ea vero Revelationis veritatem aliis commendandi & convincendi ratio ipſi displicet, qua multi utuntur, argumenta ex certitudine hiſtorica deſumendo & ad Miracula provocando, maxime enim incredulis ea eſſe ſuſpecta, quæ non tantum remotiſſimis abhinc retro ſæculis fuerint geſta, ſed quæ, etſi noſtris temporibus fierent, vix fidem invenirent, dum res longe difficillima ſit, Miracula vera à falſis & ab iis quæ mira tantum & portenta dicuntur, & ex cauſſis naturalibus fiunt, diſtinguere, & quod valde dubium ſit, num teſtes Miraculorum, quæ Chriſtus patravit, adeo fide digni ſint, ut decipi nullo modo potuerint.

„Telle eſt, dit-il, la Diſpoſition des hommes de notre
„tems, de ceux qui paſſent pour être les plus ſenſés.
„Pour ce qui eſt de la Multitude, elle ſera toujours
„aveuglement credule, elle n'a pas beſoin de preu-
„ves. Mais puis qu'il eſt queſtion ici de Gens deli-
„cats ſur cet article, de gens qui veulent tout
„aprofondir par eux-mêmes, ce ſeroit ſe moquer
„que de pretendre leur faire paſſer pour bonnes des
„Preuves priſes de Faits arrivés il-y-a 16. à 17. Siè-
„cles

„ cles ; tandis - qu'ils ne les tiendroient pas pour va-
„ lables, quand même elles auroient lieu de nos jours.
Introd. à l'Ouvrage in notis.

§. XLIX.

Cum porro is veræ Religionis finis sit, ut homines meliores reddantur (Lett. XV.), illaque non tam eruditorum quam vulgi sit, & per consequens omnes articuli ad illius Essentiam pertinentes ita comparati esse debeant, ut à quovis intelligi queant, etiam stupidissimo ; inde res obscuras in S. Litteris contentas ad ipsam Religionis Essentiam minime pertinere, sed accessorii quid tantum esse ; Res obscuras autem esse Mysteria ; ex quo sequitur illa ad Religionis Essentiam neutiquam pertinere, proptereaque in Incredulorum confutatione & informatione de Mysteriis & Dogmatibus theoreticis plane nullam mentionem faciendam esse.

Autor nempe ea, quæ in Sacra Scriptura continentur, in quatuor dividit classes, Lettre aux Editeurs coll. cum iis quæ dicit Epist. VIII. pag. Edit. pr. 70. dicens : „ Faisons quelque distinction entre les Choses que la „ Revelation ecrite renferme 1.) l'Historique, ou des „ Relations de faits. 2.) Des Verités claires & indu- „ bitables, aux quelles le Sens-Commun rend temoi- „ gnage. 3.) Des choses Accessoires entremelées d' „ obscurité, & dont le but n'est pas evident. 4.) „ Des choses entierement obscures, qui paroissent „ même contradictoires : C'est ce qu'on apelle des „ Mystéres. *De Mysteriis dicit Lett. XIII. pag. Edit. pr. 128. Quod sint, quelque chose de caché*, d'inpenetra- „ ble, de fort audessus de l'intelligence Humaine, „ quelque chose de non révélé, & que Dieu reserve „ par devers soi. On m'accordera une chose, c'est „ que tout ce qu'il est essentiel à l'homme de savoir, „ doit être, ou evident par soi même, ou clairement „ révélé. L'un ne differe guere de l'autre, si ce n'est „ pas

„ pas une même chose. En effet, ce qui est evident, „ n'a pas besoin d'être révélé, il l'est deja, quoique „ ce qu'on nomme Revelation ecrite ne l'articule pas. „ Tout-au-contraire, ce que cette même Revelation „ ecrite articule des Mysteres, ne leur ôtant point ce „ qu'ils ont de caché, d'impenetrable, il est naturel „ d'en conclure que les Mysteres ne sont pas révélés. „ *Et pag. 132 ab initio inquit*, ce que je sai, c'est que „ la Religion essentielle à l'homme doit être à la por- „ tée des Idiots. Et ce que je sai bien encore, c'est „ que le Docteur de l'Evangile l'a presentée ou annon- „ cée à des Idiots, qu'il l'a mise par consequent à leur „ portée. Ex quibus omnibus concludit, Mysteria sci- tu necessaria non esse, neque ad Religionis Essentiam pertinere. Neque, si hoc agnoscereturn, tanta inter Doctos futura bella, neque tantum sectarum numerum.

§. L.

Aliam propterea ad homines Incredulos ad veritatem adducendos viam ingrediendam censet, neglectis nimirum miraculis, quæ ineptissimarum etiam Religionum defensores jactent, & Mysteriis, ad Religionem nequaquam pertinentibus, unum hoc ab Incredulis petendum esse ut concedant, Doctrinam scilicet Evangelicam, per quam veritates pure morales & practicas intelligit, ita comparatam esse, ut nulla falsitatis criteria in se habeat, sed quod huc tendat, ut homines, si præcepta illius observent, probos ac felices reddat.

§. LI.

Et fieri aliter non posse, quam ut, si ipsimet Increduli præceptorum Evangelicorum examen instituant, facile deprehendant illa præstantissima esse & ad veram hominis utilitatem & felicitatem quam maxime tendere.

Et

§. LII.

Et si nativa hæc Religionis Christianæ facies Incredulis ostendatur, illos non posse non in assensum trahi.

§. LIII.

Quæstionem vero illam, An Sacra Scriptura sit divina Inspiratione scripta? Hic agitandam non esse censet, dum hoc nihil ad rem faciat, sed sufficiat, quod contrarium haud facile probari queat, & quod Incredulus agnoscere teneatur, præcepta Evangelii omnibus & singulis hominibus esse utilissima, neque extra Christianam ullam dari Religionem, quæ homines magis ad Virtutem impellat, unde concedendum simul sit, hominis maxime interesse, ut præcepta hæc serventur.

„ Vous me soutenez, que l'on ne peut pas prouver que „ l'Evangile soit divin, ou du moins qu'il soit écrit „ par inspiration divine, aussi ne veux-je pas l'entre„ prendre. Laissons, si vous voulez, la chose indé„ cise, accordez moi seulement, qu'il n'est pas aisé „ de prouver le contraire.

„ C'est pour le présent tout ce que je veux.

„ Vous avez déja reconnu que l'Evangile va au Bien „ des hommes, tant de chacun en particulier, que de „ la Societé en General: vous reconnoissez par conse„ quent, que l'etablissement en est bon, avantageux „ en toute maniére: cela est sans replique. Je vous „ demanderai encore, connoissez vous quelque autre „ sorte d'Etablissement, quelque espece de Doctrine, „ qui tende à rendre les hommes plus Gens-de-bien, „ plus capables de remplir les devoirs de la Societé? „ Vous me repondrez sans doute, que non.

„ Vous voila donc persuadé, que le plus grand inte„ rêt de l'homme l'engage à suivre les Maximes de l' „ Evangile. Je n'en demande pas davantage.

Hæc

§. LIV.

Hæc est Autoris Anonymi de Incredulis ad Sanctissimam Christi & Apostolorum doctrinam revocandis & de illa convincendis sententia; superest nunc, ut disquiramus, num Methodus hæc nova ita comparata sit, ut illa Increduli ad Religionem Christianam amplectendam & ejus Originem divinam agnoscendam adduci possint.

§. LV.

Omnia ea, quæ Doctissimus Autor affert, rejicienda non esse censeo. α. recte enim judicat dum dicit Argumenta historica & à Miraculis desumta, iis præcipue qui propriis etiam oculis diffidant, afferenda non esse, dum Sacra Scriptura ipsa sua Essentia atque Natura sese ceu divinam commendet, & ipsum illius argumentum testetur, illam omni acceptione dignam esse.

Hæc ipsa est caussa cur supra Capite III. S. Scripturæ divinitatem adstruens nullo historico usus sim argumento, neque hoc ut facerem necessarium esse putavi, sed veram Revelationis divinam Originem ex ipsa illa, quam continet, Doctrina demonstravi; ubi res ipsa loquitur, ubi res ipsa evidentia sua sese commendat, ibi aliorum testimonio non indigemus. Maxime propterea adprobo quæ dicuntur Introd. à l'Ouvrage. *La difference est grande en effet, entre acquiescer à la Verité par le poids que l'Evidence lui donne, ou donner son acquiescement au temoignage que d'autres lui rendent.* Rem exemplo illustrat, à Massa aliqua aurea maximi pretii desumta, ubi quæritur, num illa revera aurea sit, an vero externam tantum ejus, quod esse debet, speciem habeat & fraus subsit? Tanti vero momenti est res hæc, ut omnis & maxima mea felicitas inde dependeat, si aurea illa sit, infelix contra sim, si neutiquam talis. Adsunt testimonia vetustissima

ſtiſſima illorum hominum, qui præſentes erant, cum aurea maſſa hæc antiquiſſimis retro ſæculis funderetur & igne exploraretur, teſtantur Viri fide ſatis digni, lapide lydio illam examinatam fuiſſe & à nemine non auream agnitam fuiſſe; ſed ad quid hæc teſtimonia? maſſa illa adhuc dum adeſt, illius Eſſentia etiam nunc examinari poteſt, num revera aurea ſit nec ne? nullis ad hoc Documentis hiſtoricis, quorum fide dubitari poteſt, opus erit dum res præſens ipſa loquatur, & adeo evidens ſit, ut ſola Veritatis evidentiâ ſe ſatis omnium hominum conſcientiæ comendare poſſit. Veritas inſitis ſuis characteribus talem ſe eſſe demonſtrat. *Cela ſuppoſé*, dit l'Auteur, *ne ſera-ce pas aller au plus ſur que de renvoyer les hommes à cette épreuve, s'il arrive ſur tout que l'on ait à faire à ces Gens peu credules, qui veulent voir les choſes de leurs propres yeux?*

§. LVI.

β. Concedimus porro, incredulitatem modernorum temporum tantam eſſe, & tam altas in hominum animis radices habere, ut miracula etiam in illorum præſentia geſta ad illos convincendos vix ſufficerent, dum ſexcenta adhuc effugia quærerent; nihil novi hoc eſt, Chriſtus enim id ipſum jam ante ſeptendecim Sæcula dixit, Dives enim petebat, ut Abraham ad incredulos fratres ſuos convertendos Miraculum faceret, & ex mortuis quemquam reſuſcitaret, qui ipſos à periculo præmoneret; ſciebat enim Dives, quod miraculo inſigni aliquo opus eſſet, ſi Fratres ſui ad meliorem mentem redire deberent, at reſpondet Chriſtus ſub perſona Abrahami: *Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent.* Luc. XVI. v. ult.

γ. Hic

§. LVII.

γ. Hic etiam mihi ſtat animus, in Incredulorum confutatione non ſtatim à Myſteriis inchoandum eſſe, omnes phraſes obſcuras plane omittendas, omnesque ſcholaſticorum tricas in tota diſputatione caute evitandas eſſe.

§. LVIII.

δ. *Ea quæ in hoc §. fuere contenta, ut deleam juſſerunt Venerabiles Librorum Theologicorum Cenſores.*

§. LIX.

ε. Et hoc concedo, totam Religionem practicam eſſe (Cap. IV. §. 1821.), ideo omnes Articulos ad illius Eſſentiam pertinentes practicos eſſe (l. c. §. 1836.): Propterea id quod mere theoreticum eſt, neque ullum ad Pietatem uſum habet, abſolute ad Religionem neceſſarium & fundamentale non eſſe (l. c. §. 1837.).

§. LX.

In ſequentibus vero quam maxime diſſentio ab erudito Autore α. quod Myſteriorum cognitionem plane nullius uſus in Religione revelata exiſtimat, ideoque ea plane reticenda perhibet.

§. LXI.

β. Quod Doctrinam de Myſteriis theoreticam plane eſſe, neque in praxin quam maxime influere opinatur.

§. LXII.

γ. Quod perinde eſſe cenſet, num aliquis divinam S. Scripturæ inſpirationem agnoſcat nec ne? & ſufficere ait, ut aliquis convictus ſit, præceptorum Evangelicorum ſervationem hominem felicem reddere. δ. Quod

§. LXIII.

δ. Quod Articulos practicos in Evangelio mandatos, absque mysteriorum notitia, intelligi posse putat.

§. LXIV.

ε. Quod id in Mysteriis obscurum opinatur, quod cognitu absolute necessarium est.

§. LXV.

ϛ. Quod fidei notitiam sive definitionem insufficientem tradit.

§. LXVI.

ζ. Displicet denique, quod ea, quæ Autor ad Religionis Essentiam sufficere dicit, veram Religionis Revelatæ Essentiam non attineant, neque adeo quemquam Christianum facere possint.

§. LXVII.

η. Nec non quod, cum Christus & Apostoli planissimam ad Incredulos convertendos viam, optimamque & hominis Naturæ maxime convenientem methodum, præscripserint, & exemplo suo in Incredulorum ac Infidelium conversione præiverint, idque felicissimo cum successu, Autor tamen ab hac Methodo discedat & sapientissimo Magistro sapientior esse velit.

§. LXVIII.

Hoc unum vero, antequam hæc confutem, fundamenti loco assumo, scilicet Autorem divinam Revelationem agnoscere, non tantum enim eam nullibi in tractatu suo inficiatur, sed eoipso quod methodum convertendi Incredulos tradit, Revelationem agnoscit, hanc enim nisi agnosceret, Religio Naturalis sufficeret, neque adeo In-

credulorum ad Præcepta Evangelica converſione opus eſſet.

§. LXIX.

PRIMUM nunc quod attinet, dum Autor putat Myſteriorum cognitionem ad Religionis Chriſtianæ Eſſentiam non pertinere, illaque propterea ceu inutilia reticenda eſſe, apertam contradictionem involvit.

§. LXX.

Contradictio nimirum in hoc conſiſtit, quod ab una parte Revelatio Incredulorumque ad ejus fidem converſio conceditur & neceſſaria exiſtimatur, ab altera vero parte id, quod revelatum eſt, & Revelationis totam ſummam efficit, ſcilicet Myſteria cognitu neceſſaria non eſſe ſtatuitur. Idem eſt ac ſi quis diceret, Neceſſarium mihi eſt ut ſciam quod revelatur, ut vero Revelatum ſciam neceſſum non eſt.

§. LXXI.

Hoc ut clarius exponam, ante omnia indicandum quid ſit Myſterium, ex eo enim quod Autor non adtenderit quid vocabulum Myſterii ſignificet, factum fuit, ut ſibimet ipſi contradixerit, dum Myſterii nullam aliam dari poſſe definitionem putat, quam quod ſit Res obſcura & inintelligibilis, ſive inpenetrabilis.

Vide Epiſt. XIII. pag. 128. Edit. Pr. & pag. 133.

§. LXXII.

Myſterium in Religione tale dogma appellamus, quod immediata Revelatione divina patefieri debet, & ex principiis Rationis cognoſci & demonſtrari nequit, ſed ſupra Rationem eſt.

Hanc

Hanc definitionem dedimus (Cap. III. §. 928.), neque à communi hujus vocabuli usu secessimus, in communi enim Sermone id Mysterium appellamus, quod nobis ab aliis revelatum est, & quod absque illorum revelatione cognoscere non possumus; ita dantur Mysteria in rebus physicis, quæ vero, dum sint res Naturales, quæque adeo ex principiis naturalibus detegi ab acutis Mathematicis & Philosophis possunt, ut cognoscantur divina revelatione non indigent. Hæc etiam Mysteriorum definitio eadem est, qua omnes Nostri Theologi utuntur. Dogmata hæc Nomen Mysterii etiam post Revelationem factam retinent, tum quia in se & sua Natura talia sunt, ut absque patefactione nunquam cognita fuissent, tum quia non plus de illis dogmatibus manifestatum est, quam ad finem obtinendum sufficit, & multa in iis continentur, quæ nondum distincte cognoscimus, licet pars alicujus Dogmatis, quæ scitu necessaria est, clare revelata sit.

§. LXXIII.

Liquet ex definitione, quod quicquid notum fit per divinam Revelationem, & ex Rationis principiis non constat, Mysterium sit, alias non posset dici Revelatio.

§. LXXIV.

β. Quod Revelatio non possit concipi sine Mysteriis, & quod Mysteria primum sint quod de Revelatione concipitur, nulla enim Revelatio sine Mysteriis concipi potest, adeoque ejus summam atque Essentiam constituunt.

Notandum hic, quod distinguendum sit inter ea quæ *inspiratione immediata* Spiritus sancti scripta sunt in Sacris Litteris, & ea quæ solummodo per *directionem* Spiritus Sancti Litteris consignata sunt; ad priorem classem pertinent omnia Salutis Mysteria, sive omnia ea quæ Medium illud Liberationis respiciunt, ex Rationis Principiis incognoscibilia, quæque adeo Revelatione opus habent; ad alteram Classem ea spectant, quæ aut ex

Religione Naturali jamjam sunt cognita, sed ad homini officium suum inculcandum & Medii Liberationis Revelationis Necessitatem demonstrandam faciunt; aut quæ sunt historica, quæ ad Illustrationem certitudinemque Dogmatum Revelatorum pertinent, & varios Revelationis gradus, Salutis dispensationes, variosque Civitatem Dei gubernandi modos indicant; quæ omnia ad ulteriorem Mysteriorum explicationem scitu necessaria sunt.

§. LXXV.

γ. Quod Mysteria constituant Revelationis divinæ criterium; ut adeo absurde agant, qui Revelationem concedunt, sed Mysteria negant, aut Revelationis veritatem ideo negant, quia continet Mysteria.

§. LXXVI.

Quænam Revelationis summa ac Essentia sit, adeoque etiam Religionis Revelatæ, patet ex ejus fine, qui hic est, ut homini peccatori ostendatur Medium consequendæ Salutis & in divinam gratiam redeundi (Cap. III. §. 973. 977.): Medium autem illud est, quod Jesus Christus sit unica ac perfectissima caussa Salutis per veram fidem amplectenda (Cap. III. §. 1004.): Hoc Dogma autem est *Mysterium* illud *Pietatis manifeste magnum* ὁμολογουμένως μέγα. 1. Tim. III. 16. adeoque Mysterium illud maximum Revelationis summam ac Essentiam constituit.

§. LXXVII.

Religionis Revelatæ Essentia in hoc consistit, ut homo Dogma hoc, quod Apostolus Mysterium manifeste magnum appellat, vera fide amplectatur (Cap. III. §. 1063.): propterea Mysterii maximi cognitio ad ipsam Religionis Peccatoris Essentiam pertinet: E. Autor Anonymus, ex falso

falso de Mysteriis conceptu, magnopere fallitur, dum putat, Mysteriorum cognitionem inutilem neque illam ad ipsam Religionis Essentiam pertinere.

§. LXXVIII.

Manet igitur inconcussum hoc Principium, ubi Revelatio est, ibi etiam sunt Mysteria, dum unum involvit alterum.

§. LXXIX.

Ast, inquit Anonymus, quidquid Revelatum est, clare Revelatum esse debet, nam vox ipsa id promittit, cum vero Mysteria sint res obscuræ & inpenetrabiles, inde concludere licet Mysteria non esse res revelatas, dum contradictionem involvit revelatum esse & obscurum esse.

§. LXXX.

Observandum ad hoc, α. quod falsa sit Autoris quam de Mysteriis dat Definitio, dum illa simpliciter *Res obscuras* appellat, cum vocabulum hoc significet Dogma aliquod de quo solum per divinam Revelationem constare potest, nullam igitur de vera hujus vocabuli significatione notionem Anonymus habuit, quod aliis etiam sæpe accidere solet.

§. LXXXI.

β. Ipsemet Anonymus, nisi contradictoria dicere velit, negare non potest, quod ubi est Revelatio ibi sint Mysteria; nam revelatur id quod antea ignotum & quod nonnisi per divinam Revelationem notum fieri potuit (§. 71.): illud autem vocatur Mysterium: si ergo nulla adsunt Mysteria, etiam Revelatio nulla esse potest.

§. LXXXII.

γ. Non adtendit Autor Epistolarum, quod in Dogmate aliquo multa clara esse possint, licet quædam in eodem Dogmate maneant obscura; ex parte quædam revelata esse possunt, ut quantum ad finem requiritur satis clara sint; alia vero, quæ ut distincte cognoscamus necesse non est, in eadem re obscura manent; sæpe nobis sufficit ut sciamus rem aliquam existere, licet omnis illius modus nobis non constet; minime ergo contradictionem involvit aliquid revelatum esse & tamen idem intellectui nostro, quoad partem, obscurum manere; dum omnia quæcunque aut scimus aut credimus ex parte tantum cognoscimus; sufficit Deum tantum de re aliqua manifestasse, quantum nobis sufficit, neque Deus majorem à nobis cognitionem requirit, quam per Revelationis claritatem possibilis est, neque distinctam alicujus rei notionem à nobis postulat, si claram tantum nobis dedit, neque adæquatam ubi inadæquata sufficit, neque completam ubi incompletam tantum habere Intellectui nostro licet.

§. LXXXIII.

Vult Autor, ut Mysteria ita revelata sint, ut etiam, quoad illorum modum distinctam & adæquatam notionem habere queamus; si partem illorum cognoscere nobis sufficit, cur omnia de re illa distincte & adæquate scire volumus? cur major & distinctior hæc cognitio esse debet illa, quam de plurimis rebus physicis habemus? quot non in rerum Natura res existunt, quas quidem existere novimus, at modum illarum plane ignoramus? quis, quæso sanæ mentis homo propterea

rem

rem illam existere negaverit, quia non omnia de illa distincte, & adæquate cognoscit.

Noscimus ex ipsis Rationis principiis Deum existere, illum Mundi hujus Autorem esse & Gubernatorem, scimus infinitas ipsi competere Perfectiones, idque clare scimus, distincte scimus. Notum nobis est, Mundum existere, multa in illo occurrunt quorum distinctam notionem habemus, saltem de hoc non dubitamus quod existat. Noscimus nosmetipsos existere, nos cogitare, cum Animæ actionibus actiones Corporis & cum Corporis actionibus certas animæ actiones conjunctas esse, constat nobis, nos à Deo dependentes esse, neque quidquam ex his Anonymus negabit: Neque negare poterit, multa in Divinitatis toto complexu comprehendi, quæ ignoramus aut obscure tantum cognoscimus, adæquate enim Deum cognoscere, Intellectui finito non licet, pauciſſima ideo tantum de eo cognoscimus. In toto hoc Universo res fere innumeræ sunt, quas aut plane ignoramus, aut obscure novimus, multarum rerum existentiam quidem compertam habemus, at existentiæ & Essentiæ illarum modus plane nos latet. Si in nosmetipsos descendimus, quantum est quod ignoramus, sive Corpus sive Animam sive utriusque agendi modum spectemus: Et quis est qui modum dependentiæ creaturæ rationalis à Deo distincte & adæquate explicare possit? An propterea res ipsa neganda? An Deus ideo non existit, quia multa in ejus cognitione Intellectui finito obscura manent? An Mundi existentia neganda, quia minimam tantum ejus partem cognoscimus? An nec Corpus nec Animam habemus, quia multa ibi deprehenduntur quæ explicare non valemus? An non dependemus à Deo, quia quomodo id fieri possit, & in singulis actionibus fiat, nec distincte concipimus nec adtendimus? Cur ergo plus de Mysteriis quam de rebus per Rationis principia notis scire volumus? Undenam est quod putamus, ea tanta cum evidentia revelata esse debere, ut nihil obscuri in illis Intellectui finito remaneat, ut omnia distincte & adæquate de iis noscamus? An non sufficit tam claram de iis notionem habere quam de rebus natura notis habemus? Si sufficit, ut simpliciter sciamus

Mysteria existere & ad Salutem & felicitatem consequendam majori cognitione opus non est, ad quid juvaret ut illorum notio tam distincta sit, ut nihil obscuri in illis nobis supersit ? An ideo eorum veritas neganda quia ex parte tantum ea cognoscimus ; nempe tantum quantum Deo placuit & Saluti nostræ sufficit ?

§. LXXXIV.

Sed, dicet Anonymus, tamen Deum oracula sua clarius exprimere & clariorem de Mysteriis notitiam dare potuisse, si ea aut divinæ originis, aut earum cognitio ad consequendam Salutem absolute necessaria esset ; hoc enim modo Deus multis disceptationibus, multis hæresibus præcavere potuisset.

§. LXXXV.

Non majori autem Jure id peti potest, quam aut ut Deus nobis de omnibus rebus clariorem cognitionem det, ut omnia distincte & adæquate cognoscamus, aut, quod idem est, ut nobis Intellectum perfectiorem det, ut nos non homines sed Angelos faciat, & si Angeli fuerimus, ut Intellectum nostrum infinitum faciat, qui solus omnia distincte & adæquate percipit, ut non amplius Entia limitata, hoc est Creaturæ, sed illimitata simus. Homo sua sorte nunquam contentus, sed plus esse vult quam ipsi competit, plura cognoscere vult quam per Intellectum finitum licet ; Aut Deum accusat, quod ipsi non plura revelaverit, aut quia aliquid non adæquate percipit, ipsam rei Veritatem negat.

§. LXXXVI.

Verum equidem est, Deum, si plura de Mysteriis revelasset, multis Sectis præcavere potuisse ;

se; At quæritur num major revelatio per illius Sapientiam fieri potuerit? Aut an clarior necessaria fuerit? Sapientia divina fini ultimo Creaturarum consequendo utitur Mediis convenientissimis, & quæ sufficiunt: omnia, ceu Sapientissimus, facit via brevissima; neque plura aut majora adhibet media quam opus est; Sequitur inde, quod Sapientiæ divinæ plane conforme sit, si tantum de Mysteriis nobis patefacit, quantum ad felicitatem nostram consequendam sat est.

§. LXXXVII.

Ad SECUNDAM nunc thesin procedimus, quod scilicet Dogmata Mysterioſa non mere theoretica sint, sed ad praxin quam maxime utilia, neque adeo ex Articulorum ad Religionis Essentiam pertinentium numero eliminanda sint.

§. LXXXVIII.

Recte eruditus Anonymus facit, quod Articulos tantum practicos ad Religionem Essentialem pertinere tantopere urget; in hoc autem errat, quod Mysteria ex illorum numero plane excludit.

§. LXXXIX.

Apostolus dicit, quando totam Religionis Christianæ doctrinam in summa exhibere vult, esse MANIFESTE MAGNUM PIETATIS MYSTERIUM, quod Deus manifestatus sit in Carne. 1. Tim. III. 16. In hoc enim Mysterio totius Doctrinæ Christianæ cardo versatur (Cap. III. §. 1004. 1063.): Si vero illud Mysterium, quod totius Revelationis summam in se continet, est Mysterium PIETATIS, videre non possum, quomodo ab eo qui Revelationem agnoscit negari

queat, illud tale esse, & in Praxin sive Pietatem influere.

§. XC.

Articulus maxime Practicus & qui totam Religionis summam complectitur, hic est : *Credens in Filium, habet vitam æternam : at qui non credit Filio, non videbit vitam.* Joh. III. 36. Paulus & Silas Præceptorum Evangelicorum summam hisce complexi sunt verbis : *Crede in Dominum Jesum Christum, & servaberis tu & domus tua.* Act. XVI. 31. *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum & credideris in corde tuo, quod Deus illum suscitavit à mortuis salvaberis.* Rom. X. 9.

§. XCI.

Ex hisce liquet, Articulum Religionis maxime practicum (§. 90.) esse eundem illum, quem Apostolus vocat Mysterium Pietatis manifeste magnum (§. 89.), falsissimum ideo esse, quod Mysteria sint Articuli mere theoretici ad Religionis Essentiam nihil facientes.

§. XCII.

TERTIUM est, quod nova Methodus Incredulis liberum relinquit, num S. Scripturam divinæ Originis & Inspirationis credant vel non credant?

§. XCIII.

Sed cum Revelationis finis is sit, ut homini Medium ostendatur, quo Peccator factus ex statu moraliter imperfecto iterum liberari, & cum propria Salute ad Dei Glorificationem vivere possit, nos ad aliud quid obtinendum Revelatione non indigemus, & hoc est illud, quod Revelationem

nem neceſſariam reddit; tantum ergo hominis intereſt ut ſciat, num hæc ipſa Dei Voluntas ſit nec ne, quantum illius intereſt ut ad verum ſolatium perveniat; nam de futura Salute conſequenda certus nunquam eſſe poteſt, niſi ſciat Medium illud ab ipſo Deo non tantum adprobatum, ſed & ordinatum eſſe.

§. XCIV.

Dubius etiam erit, num Medio hoc uti velit nec ne? Dum incertus, num illud Deo acceptum & propterea validum ſit, num uſum aliquem, ratione alterius Vitæ, ex eo habiturus ſit, an vero incaſſum laboret. At quantum accedit incitamentum, ſi perſuadeatur ipſiſſimam hanc Dei Voluntatem ac Præceptum eſſe, ut nemo illud ſequens fine ſuo excidere aut ſpe inani decipi queat.

§. XCV.

Talis etiam Deum colendi modus ipſi ne gratus quidem eſſe poteſt, ſi homo dubio animo facit num quid divinæ Voluntati conforme ſit; quidquid enim non ex fide, & certa perſuaſione quod acceptum ſit Deo, fit, peccatum eſt; neque homo Peccator habet ubi tuto pedem figere poſſit.

§. XCVI.

QUARTUM quod improbamus eſt, quod Eruditus Anonymus Articulorum Practicorum neceſſitatem ita urget, ut ſupponat illos absque Myſteriorum notitia intelligi poſſe.

§. XCVII.

Uti Articuli Theoretici, ita etiam Practici, ſunt vel mixti, quos tam Religio Naturalis quam Revelata præſcribit, vel puri, quos ſola Revelatio jubet.

bet. Prioris generis sunt, ut Deum Creatorem & Conservatorem, ut & Proximum nostrum amemus, ut pie, juste & sobrie vivamus. Posterioris generis, ut sincere in Christum ceu unicam & perfectissimam Salutis Caussam, sine quo nulla datur salus, credamus, ut ipsum ceu Salvatorem benignissimum diligamus, nam *qui Dominum Jesum non diligit sit Anathema.* 1. Cor. XVI.

§. XCVIII.

Facile autem mihi Doct. Autor concedet, quod si de Incredulorum ad Fidem Revelatam suscipiendam conversione agitur, sermo non sit de iis Articulis, quos etiam Religio Naturalis nos docet & ad illorum observationem obligat; nam vel Increduli eos etiam sepositа Revelatione admittunt, vel sin minus, ex Rationis principiis de iis convinci possunt. Agitur ergo hic de Articulis puris, de quorum Veritate Increduli ex Revelatione convincendi sunt.

§. XCIX.

Summa autem horum Articulorum respicit Jesum Christum & officia ipsi præstanda (§. 90. 97.), qui describitur ut Θεανθρωπος Deus manifestatus in carne, sed ipsum hoc est Mysterium illud Revelationis manifeste magnum (§. 89.): E. cognitio Articulorum Religionis revelatæ Practicorum involvit notitiam Mysterii maximi, nempe quod Deus se cum humana Natura personaliter univerit, qui ceu Salvator Perfectissimus amplectendus atque colendus sit.

§. C.

QUINTUM est, quod obscurum in Mysteriis

riis Autor putat id, quod cognitu neceſſarium eſt. Ubique enim Autor urget Myſteria eſſe *des choſes obſcures*, res obſcuras, Articulos vero *Religionis Eſſentialis* debere eſſe evidentiſſimos, ut à quovis intelligi poſſint.

§. CI.

Jam ad Articulum primum oſtendimus, rei alicujus veritatem evidentem eſſe poſſe, licet multa in re & præcipue ejus modo obſcura ſuperſint; Intellectum noſtrum finitum eſſe, ut de omnibus rebus diſtinctam ac adæquatam Ideam habere nequeamus; in rebus phyſicis idem accidere, ut rei exiſtentiam quidem ſciamus, modum vero ignoremus: Satis eſſe ſi tantum de re aliqua nobis conſtet, quantum Saluti noſtræ ſufficit.

§. CII.

Id vero, quod nobis de Myſteriis cognitu neceſſe eſt, etiam ſatis clare revelatum eſt, nempe Myſteria exiſtere; illorum quæ in S. Scriptura continentur maximum eſſe, quod per Miraculum illibata Virgo Puerum Peccato originali non infectum genuerit, quod Divina Natura cum ejus humana Natura tam arcte ſe univerit, ut unicam tantum perſonam conſtituant, uti ex. gr. Corpus & Anima noſtra, diverſæ licet Naturæ, propter arctam unionem unam tantum perſonam efficiunt; hanc divinæ & humanæ Naturæ in una Perſona unionem ideo factam eſſe, ut Perſona illa muneri obeundo apta ſit; Quod in divina Eſſentia tres ſint ſubſiſtentiæ, quod una ὑπόςασις vocetur Pater, quia per illum etiam ſecunda Subſiſtentia exiſtit, quæ ὑπόςασις, dum per primam ſubſiſtit, vocatur Filius; tertiam vero Subſiſtentiam in divinitate

ab

ab operationibus suis vocari Spiritum Sanctum; has vero tres Subsistentias in Divinitate non diversam constituere Essentiam; Tres illas Subsistentias ejusdem Essentiæ esse coæternas. Hæc omnia satis clara sunt, omnis obscuritas inde venit, quod homines plus scire cupiunt, quam Deus voluit ut sciant, & plus quam necessarium est ut sciant.

§. CIII.

Id de quo maxime clamant Adversarii, & quod maxime obscuritatis accusant, est S. Sanctæ Trinitatis Mysterium. An vero plura scire cupiunt quam sufficit? An volunt ἐμβαλεύειν εἰς ἃ μὴ ἑοράκαμεν? An totum Divinitatis complexum comprehendere volunt? An nesciunt id per Intellectum finitum impossibile esse? An nesciunt in illa etiam Dei cognitione, quam ex lumine Rationis habemus, infinita Intellectui nostro remanere Mysteria, multa obscura, quæ Philosophorum etiam sapientissimus & acutissimus explicare minime potest? Quis enim omnia Dei Attributa, quis illorum modum & ad seinvicem Relationem & omnia quæcunque in Dei Essentia sunt clara facere & distincte exponere poterit?

§. CIV.

Quo ergo Jure Increduli à nobis petere possunt, ut clarior sit illa Dei cognitio, qua Deum ut Triunum cognoscimus, ea qua eum ceu Ens perfectissimum & unicum cognoscimus? Illa quam ex Rationis principiis de Deo habemus Notitia Religioni Naturali sufficit, amplius quid cognitioni illi de Deo per Revelationem additur, quod fini Religionis revelatæ obtinendo sufficit. Si in eo Deum cognoscendi modo quædam obscura ma-

manent, in altero quem ex Ratione habemus idem fit; Dum omnia quæ in Deo sunt intelligere Intellectui arctis limitibus circumscripto non licet, & si liceret, ut plura sciat non opus est.

§. CV.

SEXTUM quod ad novam hanc Incredulos convertendi methodum pertinet est, quod talem Fidei definitionem dat, quæ Revelationis scopo neutiquam conformis est; neque tamen Anonymus aliam dare potuit, dum Mysteria omnia, quæ, per demonstrata, Revelationis Essentiam & summam constituunt ex Religione sua eliminata vult & Christianismum in merum Naturalismum convertit, nam si Mysteria absunt, etiam nulla Revelatio est.

§. CVI.

Ita nempe Fidem describit, quod sit persuasio evidens de Numinis Existentia, ejusque Attributis.

Qu'est ce donc que la Foi ? Ne seroit-ce point essentiellement une *Notion certaine*, une *Perception evidente* sur la *Divinité* & sur ses *Attributs Essentiels* ? Lettre XVI. Edit. pr. pag. 147.

§. CVII.

Fides sumitur vel pro objecto ejus, vel pro actione hominis circa illud objectum. Sive sensu priori, sive posteriori Anonymi definitio sumatur, manca est, & quidem tam in Theologia Naturali, quam Revelata.

§. CVIII.

Si Fides pro actione sumatur, in Theologia Naturali proprie locum non habet, sed ibi est Scientia; Fides nititur Autoritate & infallibilitate

tate loquentis sive testantis; Scientia vero nititur demonstratione ex Principiis Rationis. Sed Scientiæ Fidem si substituamus, ut certam hominis actionem circa dogmata cognita significet, Anonymi definitio insufficiens est; nam Religio Naturalis nos non tantum obligat ad evidentem Dei & Attributorum ejus cognitionem, quod solius Intellectus nostri est, sed ad certa officia præstanda (§. 771. Cap. III.), quæ cognitio illa involvit. Fides enim homines salutis participes facere debet, ad quod mera cognitio non sufficit: E. Si fides hoc sensu sumatur, Anonymi definitio manca est.

§. CIX.

Si autem in Theologia Naturali sumatur pro Cognitionis nostræ objecto, Definitio itidem manca est; nam solius Dei & Attributorum ejus evidens Notitia sibi non sufficit, sed dantur alii Articuli tam theoretici quam practici, qui scitu maxime necessarii sunt (§. 1864. - 1873. Cap. III.).

§. CX.

At hic non agitur de Religione Naturali, sed de revelata Incredulorumque ad illam conversione. Ibi fides significat vel cognitionis nostræ objectum, vel nostram actionem aliquam circa objectum illud.

§. CXI.

Si priori, uti videtur, se usu Autor intelligat, definitio ejus manca est. Revelatione opus fuit (§. 939. 961. 973. Cap. III.) quia quædam homini absolute necessaria ex principiis Rationis erui nequaquam potuerunt; E. Revelatio longe plura complecti debet, quam Religio Naturalis, cujus

cujus Articuli ex solis Rationis principiis demonstrari possunt.

§. CXII.

Finis Revelationis est, ut homini Peccatori Deo dignissimum Medium ostendatur, quomodo ex statu moraliter imperfecto liberari & cum propria Salute ad Dei Gloriam esse queat (Cap. III. Sect. XII.), hæc doctrina propterea Revelationis utramque facit paginam (Cap. III. §. 1004.).

§. CXIII.

Præcipua ideo Revelata Veritas hæc est: Jesum Christum esse unicum ac perfectissimum illud Salutis Medium, à quo Peccator salvandus totus dependet (§. 1054. 1055. Cap. III.).

§. CXIV.

Hinc facile patet, in Religione revelata primarium Dogma, adeoque principale fidei objectum hoc esse: Jesus Christus ceu unica ac perfectissima Salutis causa ab homine Peccatore agnoscendus & recipiendus, Deusque propterea à toto homine glorificandus est. (Cap. IV. §. 1877.): Ut & Articuli immediate cum hoc connexi (§. 1881 - 1896. l. c.).

§. CXV.

Hoc quod dicimus S. Scriptura ubique clamat: Qui credit in Filium habet vitam æternam. Si credideris in Dominum Jesum Christum servaberis. Nec est in ullo alio salus, nec ullum aliud Nomen est sub cœlo hominibus datum, per quod servari possimus.

§. CXVI.

Dogma hoc ita comparatum est, ut nullo

modo ex evidentissima Naturæ divinæ, Attributorumque ejus Essentialium cognitione, adhibita omni diligentia, erui queat.

§. CXVII.

Liquet ex his in Anonymi definitione Fidei, plane nihil ejus contineri, quod continere debet, illamque ergo non tantum mancam, sed nullam esse.

Ipsimet illi qui Articulorum fundamentalium numerum in Religione Christiana ad unicum restringunt, uti acutissimus LOCKIUS, confitentur, Articulum de Jesu Christo Salvatore servandum esse, si enim simplici Dei & Attributorum ejus cognitioni nihil addimus, non est quo Revelatam Religionem à Naturali distinguamus.

§. CXVIII.

Quoniam itaque nihil ejus, quod Religionem Revelatam à Naturali distinguit, in definitione docti Anonymi continetur, in Naturalismo subsistit, neque aliam à Naturalistis fidem petit, quam vi Religionis Naturalis habent, nempe Deum existere & infinitas possidere Perfectiones.

§. CXIX.

Alterum vero, per Fidem, si Autor intelligat; scilicet hominis circa objectum illud cognitum actionem atque officium, ita comparata est Fides ista, ut homini Peccatori insufficiens sit; simpliciter enim persuasum esse, Deum existere & infinita ipsi competere Attributa, hactenus homini nullam Vitæ æternæ spem facere potest; nec Religio revelata, si hoc sufficeret, quidquam prodesset; nec Autoris labor in novæ Incredulos convertendi methodi elaboratione quenquam Generi humano usum afferre posset, dum Incredulorum

lorum pertinaciſſimi Naturaliſtæ Religionis Naturalis Principia admittentes, etiam poſthabita ad Religionem Revelatam converſione, evidentem de Numinis exiſtentia ejusque Attributis perſuaſionem habere poſſint.

§. CXX.

At, inquit Autor, definitionem ſuam cum Apoſtoli Pauli optime convenire dicentis : *Sine Fide impoſſibile eſſe Deo beneplacere : Credere enim oportet accedentem ad Deum, quod ſit & quod quærentibus ipſum Remunerator eſt.* Heb. XI. 6.

§. CXXI.

Reſpondemus, Apoſtolum in hoc verſu non magis ac in omnibus ſequentibus hujus Capitis fidei definitionem dare ; hanc enim jam verſu primo dederat, fidem ſubjective conſiderans. In ſequentibus fidei vim atque effectum variis exemplis explicat, verſu quinto Enochi exemplo id oſtendit, qui per fidem vivus translatus eſt à Deo ; ratio eſt quia ambulavit coram Deo ; Εὐαρεςῆσαι enim hic ſignificat *ambulare cum Deo ;* reſpicitur nimirum, uti ex verſu antecedente patet, ad teſtimonium Gen. V. 24. ambulare enim cum Deo LXX. Interpretes ſæpe vertunt εὐαρεςεῖν τῷ θεῷ. Nunc Apoſtolus probat, quod ad hoc fide opus ſit ; ex quibus liquet, ſcopum illius non eſſe fidei definitionem dare, ſed eas fidei proprietates ſolum oſtendere, quas τὸ accedere ad Deum neceſſario involvit : nempe α. quod Deus exiſtat, ſcilicet talis qualis eſſe debet, ut homo peccator ad ipſum accedere audeat ; ſcil. non iratus ſed placatus. β. Quod remunerator ſit quærentibus ipſum, ſci-

re autem, quod & qua ratione remunerator esse queat, solius fidei est.

§. CXXII.

Apostolum vero hic non tantum evidentem Existentiæ divinæ & Attributorum ejus persuasionem intelligere, facile patet ex illo fidei effectu, quem allegat versu 4. de differentia inter Caini & Abelis sacrificium, quorum unum Deo gratum, alterum ingratum fuit: An vero probabile est, evidentem tantum Existentiæ divinæ & Attributorum ejus persuasionem, omnem inter duorum Fratrum Sacrificia constituisse differentiam? Ane probabile est, Cainum de Dei Existentia ejusque Attributis non persuasum fuisse? Si non credidit Deum infinitis Attributis præditum existere, quare ipsi Sacrificium obtulit & per id cultum exhibuit? Oportet ergo aliud quid præter evidentem Dei notitiam, ad fidem requiratur. Unde patet hoc argumentum ad Autoris definitionem probandam plane nihil facere.

§. CXXIII.

Magnopere autem metuit Doctus Anonymus in sequentibus, ne rejecta ejus definitione omnis in fide evidentia excludatur, & nil nisi cœcus hominis assensus postuletur.

§. CXXIV.

Fallitur vero, dum evidens objecti persuasio à nullo Theologorum Protestantium unquam à fide exclusa fuerit; contradicerent alias verbis Apostoli Heb. XI. 1. ubi Ἔλεγχον postulat, quod vocabulum tum certam demonstrationem, tum animi convictionem per talem Veritatis demonstratio-

ſtrationem ſignificat. Unde omnino ſequitur, in fide eſſe debere certam animi convictionem propter evidentem Veritatis demonſtrationem.

Vide hoc dictum Pauli explicantem HERM. WITSIUM Oecon. Fœd. Lib. III. Cap. 7. §. 13. 14.

§. CXXV.

Non igitur hoc diſputatur, an ad fidem evidens objecti illius perſuaſio neceſſaria ſit? ſed de objecto fidei, quodnam proprie ſit; non minus evidens ſcilicet poteſt illa perſuaſio eſſe, quod Jeſus Chriſtus verus & æternus Deus cum humana Natura unitus per obedientiam & mortem ſuam omnibus credentibus factus ſit unica & perfectiſſima Salutis cauſſa; quam illa, quod Deus infinitis Attributis gaudens exiſtat: prius etiam poſterioris perſuaſionem involvit & ſupponit.

§. CXXVI.

SEPTIMO liquet ex iis quæ hactenus probavimus, vera eſſe (§. 66.) à nobis aſſerta, ſcilicet Autorem in Methodo nova ſua ea omittere, quæ Religionis revelatæ Eſſentiam conſtituunt, neque quemquam hoc modo Chriſtianum fieri, ſed in mera Religione Naturali ſubſiſti, nec adeo finem Methodi novæ hujus obtineri poſſe.

§. CXXVII.

OCTAVUM denique hoc eſt, quod eruditus Anonymus à Chriſti & Apoſtolorum Methodo plane diſcedat, dum in præceptis quibusdam moralibus Myſteria nihil attinentibus ſubſiſtat.

§. CXXVIII.

Ea nimirum ipſis fuit conſuetudo, ut homi-

nes incredulos ante omnia convincerent PECCATI; hominem scilicet quemlibet, sive sit Judæus sive Ethnicus, sub peccato esse demonstrabant, propter peccatum mortis reum factum, impotentem insuper, ut desint vires ex tanto malo emergendi.

Omnino hauddubie necessarium est, ut in homine ad id commovendo, ut Medium Liberationis in Verbo divino revelatum sincera fide amplectatur, desiderium illius ante omnia accendatur; hoc vero desiderium aliter oriri non potest, quam si propriam indigentiam ac miseriam sentiat: Neque aliter sive Atheus sit, sive Deista, sive Epicuræus, sive Ethnicus, sive Naturalista, sive Judæus, sive Muhammedanus de Revelationis Necessitate & Veritate convinci potest, nisi prius desideret eam talem esse; sine hoc mille adsunt carnis murmurationes ac effugia, quæ, licet demonstratio evidentissima sit, convictioni semper obsunt.

§. CXXIX.

Alterum de quo Incredulos convertendos convincebant est JUSTITIA, & quidem non propria, sed Christi Justitia, uti præcipue Paulus id in Epistolis suis variis & validis Argumentis ubique inculcat; ad hoc vero intelligendum, sine ulla controversia explicandum erat Mysterium illud manifeste magnum, Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu, visus est Angelis, prædicatus est in Gentibus, creditus est in Mundo, receptus est in Gloria. Nihilominus Doctus Anonymus in nova Methodo sua docet & sæpissime clamat, Mysteria res obscuras esse ad Religionis Essentiam propterea non pertinentes, adeoque plane reticenda esse.

TER-

§. CXXX.

Tertium est, quod hominibus Pietatem & Virtutes Christianas quam maxime inculcabant, officiaque Gratitudinis erga Deum præscribebant; hic nunc obtinent Præcepta Evangelica, quæ Autor abstracte à Mysteriis considerata ad fidem Christianam efficiendam sufficere putat; sed sunt inquam *Præcepta Evangelica* quæ officiis à Religione Naturali præscriptis aliquid superaddunt, neque in iis solis subsistunt; *Evangelica* quæ *Evangelium solum* præscribit neque alibi inveniuntur; *Evangelica*, quidem quæ tamen Naturalia non excludunt, sed supponunt.

§. CXXXI.

Quoniam hæc methodus & hominis & rei ipsius Naturæ convenientissima & ipsa sapientissimi Magistri Discipulorum Methodus fuit, qua maximo cum successu usi sunt, licet sit antiquissima, illam tamen Methodo illi, quæ novitate sua sese commendat, non possumus non præferre.

§. CXXXII.

Anonymus vult omnia Mysteria, adeoque etiam Crucem Christi, in Incredulorum conversione reticendam esse; longe aliter sentit Paulus, qui majorem Incredulorum numerum ad Evangelium suscipiendum convertit, omnibus aliis qui aliam sequuntur methodum: dum dicit de se reliquisque Apostolis: *Nos autem prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: Ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei Virtutem & Dei Sapientiam.* 1. Cor. I. 23. 24.

§. CXXXIII.

Et infra l. c. Cap. II. Vers. 1 - 4. *Et ego veniens ad vos, Fratres, veni non in sublimitate Sermonis aut Sapientiæ, annuntians vobis testimonium Dei. Non enim judicavi scire aliquid in vobis, si non Jesum Christum & hunc crucifixum. . . . Et sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & Virtutis.* Et Versu 7. *Loquimur Sapientiam Dei in Mysterio occultatam, quam prædestinavit Deus ante Secula in Gloriam nostram.*

* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *

CAP

* * * \

§. IV.

Naturalismus Theologicus est, qui quidem Revelationis Veritatem agnoscit, sed Necessitatem negat, ideoque ea quæ Ratio de Deo rebusque divinis dictitat, ad salutem consequendam sufficere contendit.

Considerant nempe Naturalistæ ad hanc classem pertinentes, Revelationem solummodo ceu aliquam Religionis Naturalis explicationem, quæ absolute necessaria non sit, omniaque in illa contenta ad Rationis principia exigunt. Ad hos pertinent Sociniani, de quibus Cap. XII. agemus, qui Naturalismum Theologicum profitentur, dum nihil aliud quam quod Ratio dictitat admittendum esse censent, & hac ratione Christianismum in merum Naturalismum convertunt. His addendi Indifferentistæ, qui Religionem suam circumstantiis & Rationi Status accommodant & communem aliquam Religionem stabilire satagunt: de quibus Cap. XIII.

§. V.

Antiscripturarius dicitur, qui negat S. S. continere divinam Revelationem: Unde patet, Naturalistam, qui simpliciter omnem Religionem Revelatam rejicit, & nullam dari Revelationem divinam, quæ sit vera, contendit, esse Antiscripturarium: Eum vero, qui revelatam Religionem quidem homini non absolute necessariam, sed tamen utilem esse concedit, & S. S. divinitatem admittit, Antiscripturarium non esse.

* * * *
* * *

Hypo-

Hypotheſis primaria & Errores connexi.

§. VI.

ERROR PRIMARIUS NATURALISMI PHILOSOPHICI eſt, quod nulla præter Naturalem Religio admittitur, adeoque ea, quæ Ratio de Deo, rebusque divinis dictitat, ad hominis Salutem & veram felicitatem ſufficere contenditur.

Inter illos, qui Naturalismum Philoſophicum defenderunt, noſtris temporibus quam maxime eminent, duo celebres Angli TINDALIUS & ante eum ANTONIUS COLLINUS, prior in tractatu cui titulum inſcripſit. *Chriſtianity as old as the Creation:* Lond. 1730. primum editus, nunc in Linguam etiam Germ. translatus, ſub hoc titulo: *Beweiſs, daſs das Chriſtenthum ſo alt als die Welt ſey, nebſt Herren Jacob Foſters Wiederlegung: Frankfurt und Leipzig.* 1741. Summa hujus Libri huc tendit, ut oſtendat, nullam Revelationem externam, quidquam addere poſſe ad patefactionem Religionis Naturalis, neque ipſi quidquam demere; & veram Religionem, quocunque demum modo illa revelata ſit, ſive externe ſive interne, ſemper eandem eſſe. Dicit inter alia Cap. VI. pag. 98. Edit. Germ. „ Eben dieſes iſt es, vvas ich „ verlange, und vveiters nichts: nemlich man ſoll mir „ eingeſtehen, daſs es eine natürliche und vernünfti„ ge Religion gibt, vvelche einem jeden unter uns bey „ der erſten Schöpfung in das Herz geſchrieben vvor„ den, und vvornach jedermann von der Wahrheit ei„ ner jeden eingeführten Religion urtheilen muſs. „ Und vvenn dieſelbe in einem einzigen Stüke von „ der natürlichen und vernünftigen Religion abvvei„ chet, auch nur in dem allergeringſten Umſtand: ſo „ iſt

„ist dieses allein ein genugsamer Grund, vvodurch al-
„les andere, vvas man zur Vertheidigung derselben
„beybringen kan, ganz und gar unkræftig gemachet
„vvird. Wenn nun dieses vvahr ist, müssen denn
„nicht die natürliche Religion und die äussere Offen-
„bahrung, vvie zvvey Kerbhœlzer, ganz genau auf
„einander passen, so dass kein anderer Unterscheid
„zvvischen ihnen bleibet, als die Art und Weise, vvie
„sie bekannt gemacht vvorden: *Paucis interjectis ad-*
„*dit*: Gründen sie sich nicht auf die unendliche Weis-
„heit und Gütigkeit Gottes, vvenn sie sagen, dass die
„Christliche Religion das allervollkommenste Gesetz
„sey, vvelches vveder kœnne aufgehoben noch verän-
„dert vverden, oder auch Zusætze litte? Und müssen
„sie nicht zugeben, dass das Gesetz der Natur eben
„so ein vollkommenes Gesetz ist? Sie müsten denn
„sagen: Gott vvære seiner Weisheit und Gütigkeit
„nach nicht eher zur Vollkommenheit gelanget, als
„vor ungefehr siebenzehenhundert Jahren. *Addit*,
„vvenn sie einvvenden vvollen, die Christliche Reli-
„gion litte dessvvegen keine Zusætze, vveil der Wille
„Gottes unveræn derlich, und seine Gesetze viel zu
„vollkommen vværen, als dass sie derselben sollten
„nœthig haben: so ist dieses ein Grund, vvelcher von
„sich selbst über einen hauffen fallet, im fall das Chri-
„stenthum eine neue Religion ist. Denn sie müssen
„alsdann gestehen, dass Gott von der Zeit an, als
„dieselbe entstanden, veræn derlich sey: ingleichen,
„dass die allervollkommensten Gesetze, vvelche eine
„unendliche Weisheit gestifftet, solche Zusætze be-
„kommen hætten, dass eine neue Religion daraus vvor-
„den vvære. Ex dictis & totius Libri contextu appa-
ret, Autori minime injuriam fieri, si Naturalistis Philo-
sophicis accenseatur.

Eruditissimi Viri ANTONII COLLINI librum quod attinet, quem edidit sub titulo: *Discourse of Free-Thinking*, is Gallico Idiomate donatus cum inscriptione: *Discours sur la liberté de penser & de raisonner sur les matieres les plus importantes, écrit à l'occasion*

casion de l'accroissement d'une Nouvelle Secte D'Esprit forts, ou de Gens qui pensent librement. Legenda sunt quæ habet Reverendiss. PFAFFIUS Dissert. I. de Præjudiciis Theologicis pag. 85. Not. 1. In Diario Litterario, Journal literaire de l'an 1713. de Juillet & Août p. 473. hoc judicium fertur. „ L'Au„ teur a sçu tellement varier sa matière, & y fait en„ trer tant de choses importantes & curieuses, que „ son discours se fait lire avec attention. Jamais livre „ n'a contenu tant de choses extraordinaires & hardies „ par rapport a la Religion: mais elles ne sont pas de „ l'Auteur, ce sont des Citations des Auteurs les plus „ savans, les plus graves, & les plus respectés, qu'il „ fait venir à son sujet, ou pour illustrer ce qu'il avan„ ce, ou pour servir d'exemple, ou bien pour dire „ des choses qu'il n'a pas trouvé à propos de dire lui„ même. On assure même qu'on ne peut pas trouver „ que l'Auteur y ait avancé une seule proposition he„ terodoxe. Mais on diroit qu'il a lu & examiné tous „ les livres écrits par nos Auteurs Ecclesiastiques, pour „ en tirer tout ce qu'ils ont dit de plus fort contre la „ Religion; comme s'il avoit fait, son livre exprés „ pour faire depit au Clergé. Et s'il a eu ce dessein, „ on peut assurer qu'il y a bien reussi. Omnino ex ista passione animi, ut Clerus ad iram concitetur, insignem animi delectationem quæsiviss videtur; neque Ingenium sarcasticum occultavit; huc enim præcipue omnia quæ profert tendunt, ut ostendat omnes Clericos sive Ecclesiasticos esse Impostores & deceptores, qui in Religione mala fide agant, in hoc præcipue quod alios libertate cogitandi & judicandi privare conentur; In quo tamen bonus Vir fallitur, dum in Religione Nostra, quam nomine generali Protestantem appellant, hæc cogitandi libertas, si sincero Veritatis studio superstructa sit, nemini denegatur; pro iis quæ in Ecclesia Romana fiunt nos non respondemus. Quanti Religionem Revelatam faciat, ostendunt illius verba quibus Sectionem II. claudit, ubi ex principiis positis ita tandem infert. „ Car, après nous être convain„ cus de la diversité presque infinie des Opinions qui „ regnent parmi les Prêtres, non seulement de Sectes

„ disse-

„ diferentes, mais encore entre ceux de la même Reli-
„ gion ; après nous être convaincus que les Prêtres
„ reconnoissent, que ces mêmes Points de Doctrine,
„ qu'ils ont solemnellement juré de prêcher, se con-
„ trediſent, qu'ils sont contraires à la Raison, &
„ qu'un grand nombre d'abus, de défauts & d'Erreurs
„ se sont glissées dans l'Eglise : Après avoir connu
„ qu'ils se declarent eux-mêmes contre la Verité &
„ qu'ils ne font pas difficulté de blamer ceux qui sont
„ assez sinceres pour la dire : Après avoir vû de
„ quelle maniere ils s'y prénent pour taxer d'incredu-
„ lité & d'Heréſie des gens, qui pour avoir du bon
„ sens n'en ont pas moins de Christianisme : après les
„ preuves qu'ils nous donnent de l'incertitude du
„ Texte de l'Ecriture, les idées impies, dont ils rem-
„ plissent l'imagination des hommes, en publiant les
„ argumens des infidéles & faisant revivre l'ancien
„ Systeme de l'Atheisme, enfin les fraudes dont ils se
„ sont rendus coupables dans la publication de leurs
„ livres ; Après, dis-je, toutes ces fausses démarches
„ du Clergé, n'avons nous pas tous les sujets du mon-
„ de de conclure, qu'il ne nous reste aucun moien de
„ nous former une juste idée de la Divinité ; que
„ nous ne pouvons plus nous regler sur l'Ecriture que
„ nous avons aujourd'hui, qu'il n'y a point de fond à fai-
„ re sur le texte Grec du nouveau Testament dont on se
„ sert communement, & qu'il est impossibile de met-
„ tre nos Esprits en repos dans l'embaras, & les préju-
„ gez que les Prêtres nous suscitent, contre toutes
„ ces Véritez ; qu'en renoncant absolument à suivre
„ leurs pensées & en faisant un libre usage des notres.

§. VII.

Dum Naturaliſtæ ſolam Religionem Naturalem admittunt (§. 6.), neque aliam veram aut neceſſariam exiſtiment; patet quod ipſis omnis Revelatio ſuſpecta ſit: Unde non poſſunt non ipſam Religionem Chriſtianam, quatenus divina Revelatione nititur, rejicere.

Prop-

Propterea TINDALUS Lib. cit. Cap. XII. pag. 334. Revelationis veritatem etiam hoc sub prætextu rejicit, quod si illa concedatur inde sequatur: „ Daſs Gott „ das evvige und allgemeine Geſetz der Natur ver„ beſſert, ſo daſs er einige Regeln demſelben beyge„ füget hætte, vvelche nicht auf dem Grund der Din„ ge beruheten; und dieſe hætte derſelbe nach einer „ partheyiſchen Gütigkeit nur einigen mitgetheilet, „ den groeſten Theil aber in ihrem vorigen finſtern und „ erbærmlichen Zuſtande verharren laſſen; Iſt es nicht „ die Schuldigkeit derjenigen, vvelche eine aüſſere „ Offenbahrung für die Seligkeit der Menſchen ſo ſehr „ noethig erachten, zu zeigen, vvie dieſes mit dem „ Begriff der allgemeinen Gütigkeit Gottes beſtehen „ koenne, daſs er dieſelbe nicht allen ſeinen Kindern „ bekannt gemacht hat, da ſie doch ſolcher durch„ gehends alle noethig hatten? *Et quibusdam interjectis pergit:* „ Wenn aber Gott als Monarch der Welt „ handelt: ſo ſind ſeine Geſetze auf gleiche Weiſe „ für alle diejenigen beſtimmt, vvelche unter ſeiner „ Regierung ſtehen; das iſt für alle Menſchen; Und „ folglich vvas alle auf gleiche Weiſe angehet, das „ müſſen auch alle auf gleiche Weiſe erkennen koen„ nen. Da auch die Allgemeinheit eines Geſetzes das „ einzige Kennzeichen iſt, daſs daſſelbe von dem all„ gemeinen Monarchen der Menſchen herkommt: vvie „ koennen vvir nun verſichert ſeyn, daſs dasjenige, „ vvelchem dies Kennzeichen mangelt, von demſelben „ herkomme? *Caput XIII. Ita incipit:* Entvveder „ die Religion gehet den groeſten Theil der Menſchen „ nichts an, als vvelcher ganz und gar ungeſchickt „ iſt ein Urtheil von derſelben zu fællen: oder ſie muſs „ ſolche innere Merckmahle von ihrer Wahrheit bey „ ſich führen, vvelche Leute von der geringſten Fæ„ higkeit im Stande ſind zu entdecken: oder aber, „ der unendlichen Manigfaltigkeit der Religionen un„ geachtet, ſind alle diejenigen, vvelche die Grund„ ſprachen nicht verſtehen, vvorinnen ihre aufbehal„ tene Religionen verfaſſet ſind, das iſt alle Menſchen, „ ſehr vvenige ausgenommen, an allen Orten gehal„ ten, ihren Glauben ihren Geiſtlichen aufzuopffern, „ und an ſolche Leute zu glauben, deren Eigennuz es

„ erfor-

„ erfordert, ſie zu betriegen; vvelche auch ſelten „ ermangelt haben ſolches zu thun, ſo oft ſie gute „ Gelegenheit dazu hatten. Kan vvohl das gemeine „ Volck, vvenn daſſelbe nach ſeiner Vernunft unge„ ſchickt iſt, das Wahre von dem Falſchen zu unter„ ſcheiden, für die Wahrheit ſeiner Religion etvvas „ vveiteres vorvvenden, als daſs ſie glaubten, dieſes „ ſey die vvahre Religion: vveil ihre Geiſtlichen, „ vvelche dazu gedungen ſind, dieſelbe zu vertheidigen, ihnen ſagten, daſs ſolche bereits vor uralten „ Zeiten gevviſſen Perſonen vvære geoffenbahret vvor„ den, vvelche, vvie ſie auf ihr Prieſterliches Wort „ verſicherten, viel zu klug gevveſen vværen, als daſs „ ſie ſich hætten ſollen betriegen laſſen, und viel zu „ ehrlich, als daſs ſie andere hætten betriegen ſol„ len &c.

COLLINUS verba Archiepiſcopi TILLOTSONII, ſenſu ab Autoris mente forſan alieno, ſua facit, ad ſuam de Revelatione ſententiam exprimendam, quando fere ſub finem tractatus ſui de Libertate cogitandi pag. 255. ita loquitur. „ Que l'Idée, que cet illuſtre Prélat avoit „ du Chriſtianisme, étoit differente de celle qu'on ta„ che de nous en donner dans les ſimboles, les Cerémonies, & les Formulaires particuliers du Gouver„ nement Eccleſiaſtique! & cependant que cette Idée „ eſt grande, qu'elle eſt Majeſtueuſe, qu'elle eſt Chre„ ſtienne! voici comme il s'exprime; *Tous les de„ voirs de la Religion Chretienne par rapport à „ Dieu ne ſont, que ce que la lumiére naturelle „ nous enſeigne, à la reſerve des deux Sacremens, „ & de la priére faite au nom & par la media„ tion de JESUS-Chriſt.* Il obſerve même, avec „ raiſon, que ces choſes, qui ne nous engagent qu'„ autant qu'elles ſont poſitivement commandées de „ Dieu, ſont de moindre importance, qu'aucun de „ ces devoirs de Religion qui naturellement tendent „ au bonheur de la Societé civile, Dans ſon vol. de 6. Sermons &c. pag. 73. *Car*, dit-il, *je me croi „ obligé d'agir en Conſcience, & de remontrer ſin„ cére-*

„cérement aux Meres, que c'eſt un devoir natu-
„rel d'avoir ſoin de leurs Enfans; Or puisque
„cela eſt ainſi, nourir leurs Enfans, eſt une ob-
„ligation plus indiſpenſable qu'aucun précepte po-
„ſitif qu'il y ait dans la Religion toute Revelée
„qu'elle ſoit. De plus, comme il reconnoit
„que toutes les Sectes ſont communément empor-
„tées de fureur pour les choſes où il y a le moins
„de ſujet; auſſi toutes les fois que la croïan-
„ce fondée ſur la Revelation, eſt accompag-
„née d'emportement, il ne ſe fait point un
„ſcrupule de dire; Qu'il vaudroit mieux qu'il
„n'y eut point de Religion revelée, mais que la
„Nature humaine fut abandonnée à la conduite de
„ſes propres lumiéres & de ſes inclinations beau-
„coup plus moderées, plus compatibles, plus ten-
„dantes à la paix & au bonheur de la Societé, que
„d'être conduite par une Religion, qui inſpire aux
„hommes une fureur ſi barbare.

§. VIII.

Negata Revelationis veritate, neceſſario etiam S. Scripturæ Auctoritas & Divinitas neganda eſt.

TINDALIUS Sententiam ſuam de hac re fere ab initio Cap. IX. pag. 176. ita exprimit: „Um ſo viel
„die göttliche Weisheit die menſchliche übertrift;
„um ſo viel müſſen auch die göttliche Geſetze die
„menſchlichen ſo vvohl an Klarheit und Deutlich-
„keit, als an den übrigen Vollkommenheiten über-
„treffen. Was unordentlich und vervvirrt iſt, das
„kan nimmermehr von der klaren Quelle aller Er-
„kænntniſs herkommen: und vvas dunkel iſt, kan
„von dem Vater des unerſchœpflichen Lichtes un-
„mœglich ſeinen Urſprung haben, ſo ferne ſie nun
„glauben, daſs die göttlichen Geſetze einem gevviſ-

„ sen Theil der Menschen undeutlich sind : so ferne
„ schmælern sie die Vollkommenheit dieser Gesetze, so
„ vvohl als die Weisheit und Gütigkeit des gœttli-
„ chen Gesetzgebers, denn da derselbe der Schœpfer
„ von dem Verstande derjenigen ist, vvelchen er seine
„ Gesetze vorschreibet, so hat er auch nothvvendig
„ eines für das andere einrichten müssen. Allein
„ kœnnen vvir vvohl sagen, dass die unendliche Weis-
„ heit mit dem menschlichen Geschlechte durch alle
„ Zeiten hindurch deutlich rede, ohne zugleich anzu-
„ nehmen, dass seine Gebotte sich über die Grenzen
„ der sittlichen Dinge nicht erstrecken; und dass er
„ dieselben zugleich verbinde, in allen andern Din-
„ gen, vvelche ihrer Natur nach verænderlich und bloss
„ als Mittel anzusehen sind, so zu handeln, vvie sie es
„ zur Erreichung dieser Absichten für dienlich erach-
„ ten ? Wenn man ausserт diesem eine andere Mey-
„ nung annimmt : so haben alsdenn die menschliche
„ Gesetze vor den gœttlichen einen grossen Vorzug.
„ Denn die menschlichen Gesetze vverden in einer
„ Sprache bekannt gemacht, vvelche die Unterthanen
„ verstehen : sie vverden in einer leichten verstændli-
„ chen Schreibart vorgetragen, ohne alle allegorische,
„ verblümte, vergrœssernde Ausdrücke, oder andere
„ gezvvungene Redensarten. Und vvenn mit der Zeit
„ sich einige Unbequemlichkeit dabey æussert, oder
„ eine unversehene Schvvirrigkeit entstehet, vvelche
„ einer Erlæuterung nœthig hat, so ist der Gesetzgeber
„ hiezu gleich bey der Hand. .. Allein das mensch-
„ liche Geschlecht kan nicht ervvarten, dass der gœtt-
„ liche Gesetzgeber von Zeit zu Zeit seine Gesetze
„ ændern, und diese Aenderungen allen Vœlkern in
„ ihrer eigenen Sprache bekannt machen vverde &c.

Capite XIII. Autor omnibus viribus id agit, ut probet S. Scripturæ Obscuritatem invincibilem esse : unde non tantum à Deo omnis Lucis Autore ortum trahere nequeat, sed hinc fieri ut homini nulla alia actionum suarum regula supersit quam Leges & Religio Naturalis. Ostendere etiam conatur, illorum quoque hominum, quorum Pietas in S. Litteris maxime celebratur, fidem tantam non esse, ut habeamus cur illo-

illorum testimoniis indubitatam fidem adhibeamus, cum & ipsi tum nefandis flagitiis & criminibus, tum maximis infirmitatibus dediti & subjecti fuerint; ut non magis certum sit, illos non deceptos fuisse, quam certum esse possit, ipsos alios non decipere voluisse; quod exemplo Abrahami, Davidis, Salomonis, Apostolorum probare satagit. Porro quod res Deo plane indignæ in S. Oraculis contineantur, dum illa superstitioni faveant, sacrificia hominum approbent; Deum, absit blasphemia dicto, ut mendacem, ut jurantem & pejerantem describant; dum S. Scriptura multa contineat quæ Legibus Naturalibus è diametro sint opposita, & hujusmodi innumera alia.

COLLINUS autem, non propriis quidem verbis, sed mutuo sumtis, Autoritatem, Divinitatem & Genuinum S. Scripturæ sensum tam dubium reddere conatur, ut Incredulo videri possit, non ibi inveniri ubi tuto pedem figere queamus. Primo enim pag. 89 - - 93. verbis TAYLORII Dans ses Ouvrages Polemiques pag. 905. en Anglois, aliisque locis ejusdem operis ostendere satagit, infinitum Locorum S. Scripturæ numerum esse, quæ nulla humana sagacitate intelligi possint. Quod sensus S. Scripturæ etiam in rebus maximi momenti maximisque Mysteriis adeo dubius sit, „ qu'on n'a pas aucune marque certaine pour decou- „ vrir si le sens doit être pris à la Lettre ou figuré- „ ment. Qu'on lit certains passages de l'Ecriture qui „ renferment de si grands Mystéres, qu'il n'y a que „ des personnes trés saintes & trés spirituelles qui puis- „ sent en avoir l'Intelligence; *Quod explicatio ejusdem „ loci tam varia esse possit*: qu'il y a de quoi divertir „ sa pensée en voyant à combien de desseins diferens „ on peut faire servir un même passage. Quod Nexus ita comparatus sit, ut nec ibi invenias quo certum dicti alicujus sensum determinare possis &c. pag. 127. ex MILII Proleg. pag. 23. citat, quod temporibus Apostolicis nec Epistolarum nec Evangeliorum collectio facta fuerit, dum jam tum de nonnullorum Autoritate disputatum fuerit; & verba Celebris BEVERIDGE apud ENTII Bibl. Sanctam pag. 576. allegat, dicentis: Inter omnes vetustiores rerum Ecclesiasti-

carum Scriptores vix duos in eodem numero librorum canonicorum consentientes reperies. Pergit pag. 129. & alius Autoris verba adducit dicens: „ C'est dans „ cette vue (*in eo nimirum nunc est ut ostendat,* „ *libros N. Test. non tantum dubii Canonis esse, sed* „ *etiam in se corruptos*) que Mr. GREGORII du „ College de Christ à Oxfort, remarque, *Preface de* „ *ses Oeuvres Posthumes, qu'il n'y a point d'Auteur* „ *quelque Profane qu'il soit, qui cæteris paribus,* „ *ait autant soufert des injures du tems que le Nouveau Testament.* Allegat deinde MILLII labores in collectione omnium variantium Lectionum, quæ in N. Test. deprehenduntur, ad numerum triginta millium excurrentium, & verba Doctoris WHITBII in Examine variantium Lectionum MILLII pag. 3. 4. allegat dicentis: „ Variantium Lectionum immensa „ moles multorum animos suspensos reddet, iisque „ suspiciones haud parvas injiciet, parum quid certi ex „ Libris in omni commate, imo in omni fere comma- „ tis parte variantibus expectari posse. . . . Id insu- „ per causæ nostræ haud parum officere existumo, „ quod corruptelas interpolationesque haud paucas ab „ ipsis Ecclesiæ incunabulis, ævoque pæne Apostolico „ S. Scripturis accidisse fidenter MILLIUS pronunciet. Addit deinceps COLLINUS ad Corruptionem Evangeliorum universalem tuendam; „ Pour mieux apuïer „ cette opinion le Docteur Mills a decouvert un pas- „ sage, dont fort peu de personnes avoient été in- „ formez avant lui, & qui avoit même échapé au „ Pére Simon dans les recherches exactes qu'il a fai- „ tes, avec tant de peine, afin de prouver l'incertitu- „ de du Texte de L'Ecriture; ce passage qui fait men- „ tion d'une altération générale du Texte des quatre „ Evangiles, faite dés le sixieme siecle, se trouve dans „ le Chronicon de Victor de Tmuis, Evêque d'Afri- „ que, qui fleurissoit dans ce tems là, le Chronicon „ n'a été imprimé qu'a Ingolstadt l'an 1600. par Ca- „ nisius, & par Joseph Scaliger dans son Edition du „ Chronicon d'Eusebe. Or ce passage est conçû en

„ ces

„ces termes, *Messalâ Consule*, *Anastasio Impera-*
„*tore jubente*, *Sancta Evangelia*, *tanquam ab*
„*Idiotis Evangelistis compositа*, *reprehenduntur*
„*& emendantur*. Ce Docteur ajoute que S. Isi-
„dore, Evêque de Sevilles raporte le même fait dans
„son Chronicon. Hic vero non subsistit Eruditus COLLINUS, sed etiam Librorum V.T. dignitatem subruere conatur, & quidem suspectum facere contendit Prophetarum maximum Mosen, ex nonnullis Josephi Historiographi dictis, ex. gr. quod de transmigratione per mare rubrum dicat: „(Joseph traduit par d'An-
„dilly Tom. I. pag. 118.) *que ce Passage des Israë-*
„*lites au travers de la Mer Rouge n'eut rien de*
„*plus extraordinaire que celui des Macedoniens par*
„*la Mer de Pamphilie sous la conduite d'Alexan-*
„*dre le Grand*, & dans lequel, si on en croit Ale-
„xandre même, il n'y eut rien moins que du mira-
„cle. Lors que cet Historien juif raporte l'aparition
„miraculeuse de Dieu sur la Montagne de Sinai, ce
„n'est qu'en ajoutant, (ed. par d'Andilly Tom. III.
„pag. 134.) je laisse à ceux qui liront ceci à en juger
„comme ils voudront. Divinam vero Mosis missionem etiam suspectam reddere conatur COLLINUS dum pag. 235. 236. hæc addit. „Je pourrois ex-
„traire ici une infinité d'Endroits du même ordre que
„ceux-ci, mais de peur d'être trop long, je finirai
„par le plus remarquable qui se rencontre dans tous
„les ouvrages qui nous restent de cet Ecrivain, &
„que je tire de son second Livre contre Apion, ou il
„dit que Moïse jugea bien par sa justice & par sa piété
„qu'il avoit Dieu même pour son Guide, & que
„quand il se fut une fois fortement persuadé de ce-
„la, il fit bien d'en persuader de même le Peuple;
„semblable en cela aux Grecs qui s'imaginoient avoir
„reçu leur Loix d'Apollon, soit qu'en effet ils eussent
„cette croyance, soit qu'ils ne l'eussent pas, & qu'ils
„crussent que c'étoit le meilleur expédient pour le
„faire recevoir aux Peuples.

COLLINUS dum pag. 218, dicit : „ De ces Illustres „ Payens passons à des hommes éclairés d'une Sainte „ Revelation. Le premier qui s'offre à ma pensée est „ Salomon, que nos Saintes Ecritures qualifient le „ plus sage de tous les hommes. Quelques uns des „ écrits de ce Roi font partie de ces Saintes Ecritures, „ & il y en a qui nous donnent de si grandes preuves „ de la liberté avec laquelle ce plus sage de tous les „ hommes pensoit, que s'il vivoit aujourd'hui, il ne „ passeroit pas moins que pour un Athée, à moins „ qu'il ne gagnât les bonnes graces des Prêtres par sa „ generosité à leur batir des Eglises.

Comparat deinde ea quæ Salomon dicit Eccles. Cap. I. vers. 4 - - 9. cum versibus MANILII de æternitate Mundi ;

Idem semper erit, quoniam semper fuit idem:
Non alium videre Patres, aliumve nepotes
Aspicient.

Regemque hunc Animæ Immortalitatem negasse opinatur COLLINUS ex Eccles. Cap. III. 18 - - 21. Cap. VII. 14. IX. 5. & 10.

Quænam de Prophetis Autori nostro opinio sit prodit pag. 224. seq. dicens : „ Je trouve, après Salomon, „ une succession, pour ainsi dire non interrompue, „ de Gens qui faisoient une profession ouverte de pen„ ser librement, ce sont les Prophetes ; Il y avoit „ parmi les Juifs peu de personnes mieux instruites „ qu'eux, ils étoient élevez dans des especes d'Aca„ démies qu'on nommoit les Ecoles des Prophétes ; „ c'etoit là qu'ils aprenoient à prophetiser, ou plu„ tôt ils y aprénoient à jouer des instrumens & à „ boire, deux qualitez qu'ils regardoient comme „ très - propres pour obtenir l'Esprit prophétique. „ DODWELL de Jure Laic. pag. 359. Nous les en„ tendons dans leurs écrits se dechainer continuelle„ ment contre la Religion établie parmi les Israëli„ tes, avec autant de Liberté que s'ils la regardoient „ comme un tissu d'Impostures, quoique les Peuples

„ la

„la respectassent comme instituée de Dieu même ; En „un mot, les Prophetes ont plus decrié & les Prê„tres & les autres Prophétes tout inspirez qu'ils éto„ient, que n'a fait l'Auteur des Droits de l'Eglise à „l'egard des Prêtres & des Prophétes de nôtre Israël „qui sont sans Inspiration. Mais venons à la preuve „de ces deux sujets sur lesquels les Prophétes ont usé „d'une entiére Liberté-de-penser. Voici les termes „dont ils se sont servis par raport à la Religion éta„blie. Post hæc Autor allegat verba Esajæ Cap. I. vers. 11-14. Jerem. Cap. VI. 29. Ils font, dicit Autor de Prophetis, même dire à Dieu sans aucun detour. Jerem. Cap. VII. 22. Ezech. XX. 25. Amos. V. 21-23.

§. IX.

Negata Revelatione necessario etiam dogmata illi essentialia, hoc est, Mysteria neganda sunt; unde Naturalistæ Religionem omnis Mysterii expertem volunt.

COLLINUS, quid de Mysteriis teneat, verbis Socratis indicat ex Xenophonte : „Revenons, *dicit Autor*, „à Socrate, il étoit si éloigné de faire consister aucu„ne partie de la Religion soit dans des Speculations, „soit dans des Mistéres, qu'il prouve demonstrative„ment que *ceux-là meritent de passer pour insen„sés qui se donnent tant de peine pour pénétrer „dans les Mistéres celestes* ; & il demande à ces „curieux, *s'ils sont parvenus à une parfaite con„noissance des choses humaines puis qu'ils veulent „aprofondir dans les secrèts du Ciel, ou s'ils se „croïent sages de negliger ce qui les touche de plus „près pour s'appliquer à ce qui passe leurs lumiéres.* Undenam vero Mysteria in Religione Christiana contenta ortum suum trahant, pag. 186. hisce verbis indicat : „En un mot, il se trouve tant d'endroits dans „ses Ouvrages (de Platon) conformes aux véritez „Evangeliques, que Celse, le Grand Adversaire du „Christianisme, accuse notre Seigneur Jesus-Christ

„ d'avoir emprunté sa Doctrine de ce Sage Payen. Il „ est vrai qu'Origene, en le réfutant, dit que *Celse* „ *mérite qu'on se moque de lui, lors qu'il assure* „ *que Jesus-Christ avoit lû Platon, puis*, dit „ il, *qu'il etoit né & avoit eté parmi les Juifs,* „ *& qui tant s'en faut qu'il eût apris les Lettres* „ *Grecques que, selon le témoignage des Ecritures,* „ *il n'avoit pas même été instruit dans l'Hébreu.* „ Mais bien loin, pergit COLLINUS, qu'Origene „ desavouât la conformité qu'il y a entre le Christia- „ nisme & le Platonisme, une Grande Partie de son „ Ouvrage contre Celse, ne roule que sur cette con- „ formité. Amelius qui étoit un Payen platonicien, „ qui fleurissoit dans le troisiéme siécle porta le même „ jugement lors qu'à la seule lecture des premiers ver- „ sets de l'Evangile de S. Jean il s'écria. *Par Jupi-* „ *ter! ce barbare est du sentiment de nôtre Maitre* „ *Platon.* On peut ajouter que le grand raport qui „ se trouve entre le Platonisme & le Christianisme a „ été cause que plusieurs Platoniciens se sont fait Chre- „ stiens, & que plusieurs des premiers Chrêtiens se sont „ atachez aux sentimens de Platon; & c'est pour cet- „ te raison, que diverses opinions de ce Philosophe „ ont été regardées dans la suite comme Articles fon- „ damentaux de la foi Chrêtienne, & qu'elles ont ser- „ vi de base à plusieurs Ecrits, que des Chrêtiens zé- „ lez ont forgez sous le nom de Platon, & qui etoient „ cependant beaucoup plus conformes aux verités de „ leur Sainte Religion.

§. X.

Negatis Mysteriis in Genere etiam specialia sive singularia dogmata Mysteriosa admitti à Naturalistis nequeunt; unde rident primo ea quæ de S. S. Trinitate in Religione Christiana docentur.

COLLINUS pag. 93. seq. ut ostendat illa debili niti funda-

fundamento & adeo obscura atque dubia esse, ut nullus fere Theologorum in hac re cum altero conveniat, dissensum varium disputationesque de hoc Mysterio ostendit, quando ita incipit: „ Le premier de ces différens regarde la Sainte Trinité, qui est le point le „ plus fondamental de toute la doctrine Chrêtienne: „ cependant tout necessaire qu'il soit de le bien entendre, en combien de manières les Prêtres ne „ l'expliquent-ils pas par des conséquences tirées de „ l'Ecriture? *Citat deinde ea Theologorum dicta „ quæ ipsi ridicula visa fuere, & si ita se habent „ revera talia sunt, nonnulla adducam;* ex „ ATHANASIO Edit. Par. Vol. II. p. 160. Qui dit, „ que les Personnes de la Trinité ne sont qu'un Dieu, „ comme Pierre, Paul & Timothée ne sont qu'un „ homme. Le Dr. SOUTH dans ses Animadvers. sur „ la Trinité prend les Personnes pour des modes & „ des manières eternelles qui sont propres à l'Existence divine. Et selon cette hipothese il soutient que „ toute la divinité s'est incarnée en Jesus-Christ, „ mais non pas entierement. Le Dr. WALLIS dans „ ses Lettres sur la Trinité considére ces mêmes personnes comme des Relations extrinseques d'une même substance par raport au Genre humain, entant „ qu'elle en est le Créateur, le Redemteur, le Sanctificateur; à peu près comme le Roi Guillaume étoit „ Roi d'Angleterre, de France & d'Irlande. Ce même Theologien ajoute que les Trois Personnes sont „ un Dieu, comme la Longeur, la Largeur & la Profondeur font un Cube, ou comme trois pieces de „ quatre Sols en font une de Douze. Plura his non addam.

§. XI.

Non magis eandem ob caussam ipsis placet Mysterium illud manifeste magnum Incarnationis Christi, quod hauddubie omnem humanam Rationem superat.

Sæpe citatus Autor in suo tractatu de libertate cogitandi pag. 115. more solito non propriis verbis cogi-

tata sua de hac re exprimit, unde citat verba Doctoris SOUTH dans ses Sermons, Tom. III. pag. 366. 367. „ Considerer la divinité, qui est présente en „ tous lieux, revetue de Chair, c'est comme si nous „ nous imaginions tout le Monde entier, non seulement representé, mais encore contenu dans un de „ nos petits Globes artificiels : ou le Corps du Soleil „ envelopé dans une nuë de l'étendue de la main. Impossibilités qui paroissent surprénantes ! & qui cependant sont moindres, en comparaison de la premiere, que le plus petit des Etres crées à l'Egard „ de plus grand, entre lesquels il y a une disparité incomprehensible. Car de penser que Dieu se soit „ transformé & qu'il ait pû disposer tellement de sa „ Gloire, que de la renfermer & la comprendre sous „ une forme Humaine, pour converser avec les hommes ; c'est ce que le plus vaste Genie, n'auroit pû „ concevoir possible à Dieu, s'il ne l'avoit executé „ effectivement. Hisce addit COLLINUS : Il encherit encore par dessus cela, lorsque, s'expliquant sur „ ce qu'il croit de la personne de Jesus-Christ, il parle en ces termes l. c. pag. 316. *Si on l'adoroit pas „ comme un Mistére, on la rejetteroit comme une „ contradiction.*

„ Hisce Autor noster adjungit : Le Docteur Henry „ More est animé du même Esprit, lorsque, dans „ son Mistére de la Pieté, il employe les expressions „ suivantes, *Qu'a peine trouvera-t-on aujourd'hui „ aucune Eglise dans la Chrêtienneté* (ce qu'il entend dans la page suivante, de toute Eglise visible „ qui soit sous les Cieux) *qui n'oblige les Hommes „ à croire*, non seulement des choses qui sont evidemment fausses ; mais même qui paroitront à tout „ esprit libre de prejugez, renfermer des contradictions & des impossibilitez manifestes ; & cela avec „ autant de gravité, d'autorité & d'empressement que „ si elle proposoit les saints Oracles de Dieu.

Cum

§. XII.

Cum Miracula faciant tum ad confirmandam Revelationis veritatem, tum ad divinam illorum missionem probandam, qui Veritatem cœlestem illam acceperant, mirum nequaquam est, quod ii, qui Revelationis veritatem, etiam Miraculorum veritatem negant.

Fit propterea ut Naturalistæ aut plane inficientur, ea quæ de rebus miraculosis in S. Litteris narrantur, revera fuisse gesta, aut si veritatem rei non negant, ea per effectus naturales explicant, qui quoniam plebi ignoti fuerint, facta illa pro miraculis habuerint; vel denique asserunt illa meras fuisse præstigias & imposturas; Quænam de hac re TINDALII mens fuerit patet ex Lib. cit. Cap. XII. pag. 327. ubi ita: „ In der „ That kan auch eine blinde Untervverfung der vvahren Religion so vvenig einigen Werth beylegen, dass „ sie vielmehr alle Religionen in ein Gleichgevvicht „ setzet. Denn vvenn man von einer Religion nicht „ nach ihren inneren Merckmahlen urtheilen soll; so „ ist nichts übrig, als die Wunder, vvodurch man „ dieselbe vertheidigen kan: Und die Wunder, sie „ mœgen vvahr oder falsch seyn, vvenn man sie einmahl glaubet (und vvo glaubet man dieselbe nicht?) „ haben durchgehends einerley Wirckung. Ja, da „ die Wunder durch bœse so vvohl als gute Wesen „ kœnnen verrichtet vverden: so kœnnen bey der „ schlimsten Religion sich die meisten Wunder befinden, als vvelche derselben am meisten nœthig hat. „ Es vvar bey den griechischen Weltvveisen ein Sprichvvort: Θαυματα μωροις; *Wunder gehören für die „ Thoren, und Gründe für die Weisen.* Die „ Bœotier vvaren bekannt, vvegen ihrer Dummheit, „ und auch zugleich vvegen der grossen Mænge ihrer Orakel. Und vvenn man sich nicht vveiter, „ als in der Christenheit umsiehet: so vvird man „ vvahrnemmen, dass Glaube und tægliche Wunder „ einander die Hand bieten, und dass für die Leicht-

„ glau-

„ glaubigkeit des Volcks nichts zu ungereimt ist.
„ Wenn man auch die Nachrichten des Hochgelehr-
„ ten Huets für vvahr annimmt: so sind in der Bibel
„ keine Wunder enthalten; hingegen sind in den heid-
„ nischen Geschichten eine Menge von dieser Art an-
„ zutreffen. Et Cap. XIII. pag. 419. Wenn vvir vvei-
„ ter in das Neue Testament gehen, so ist aus dem
„ klar, vvas unser Heiland zu denjenigen saget, vvel-
„ che in seinem Namen gevveissaget, Teufel ausge-
„ trieben, und viele Wunderthaten gethan hatten;
„ nemlich, vveichet von mir ihr Ausüber der Bos-
„ heit, Matth. VII. 22. 23. dass vveder Weissagun-
„ gen noch Wunder eine durchgængige Versicherung
„ sind, vvorauf sich die Menschen verlassen kœnnen.

§. XIII.

Quoniam Prophetiæ habendæ sunt pro divinis Oraculis sive Revelationibus, eæque etiam ad Verbi divini Originem divinam adstruendam ceu argumenta adhibentur, negata Revelatione Prophetiarum veritas eoipso negatur.

Aut enim Naturalistæ Prophetarum effata, si illa vera esse concedunt, considerant tanquam dicta ambigua, allegorica, quæ variis modis explicari, & variis casibus applicari possint, vel eas demum post res factas litteris consignatas contendunt, vel nunquam impletas fuisse asserunt.

TINDALIUS Cap. XIII. pag. 440. seqq. Sanctissimos Prophetas ceu Imperatores acriter taxat dicens: „ Wenn die Schrift nicht voraus sezte, dass die Ver-
„ nunft geschickt sey, auch Leute von der geringsten
„ Væhigkeit zu lehren, dass Gott vveder selbst betro-
„ gen vverden, noch uns betriegen kœnne: so vvur-
„ de der Prophet Jeremias gevviss nicht gesagt ha-
„ ben. Jer. XX. 7. *O Herr! du hast mich betro-*
„ *gen, und ich bin betrogen worden.* Und vers.
„ 18. Cap. XV. *Wilst du gœnzlich gegen mich*
„ *verhalten wie ein Lügner.* Und bey einem an-

dern

„ dern Propheten, Ezech. XII. 22. 28. saget der HErr: „ *Die Tage sind verlängert worden, und die Ge-* „ *sichte insgesamt treffen nicht ein.* Und Cap. XIV. Ezech. vers. 9. *Wenn ein Prophet &c,* „ Wenn nun der Prophet betrogen wird, muss denn „ nicht das Volck, welches sich auf einen solchen „ Propheten verlasset, eben so wohl betrogen wer- „ den? Saget nicht der Prophet Jeremias: *Ach* „ *HErr Gott, du hast wahrhaftig dieses Volck* „ *gewaltig betrogen.* Jer. IV. 10. Und bey Esaja „ heisset es auf gleiche Weise: *O HErr! du hast* „ *uns in Irrthum geführt.* Jer. LXIII. 17. Varia TINDALIUS deinceps allegat exempla, quæ spectant Prophetias, quæ secundum illius opinionem non fuerunt impletæ, ut Jer. XXXIV. 5. de morte Zedeckiæ Collat. cum Cap. LII. 10. 11. de Sepultura Joachimi Jer. XXII. 19. Responsio prophetissæ Huldæ Regi Josiæ data 2. Chron. XXXIV. 28. coll. cum XXXV. 23. addit his „ Der Prophet lässet dem Koenig Benhadad „ in Sirien sagen, als ihn derselbe wegen seiner Ge- „ nesung um Nachricht fragen liess: Er werde ganz „ gewiss wieder gesund werden, und dennoch saget „ derselbe zu gleicher Zeit zu Hasael, welcher ihm „ nach der Krone und nach dem Leben strebete (und „ welcher bereits vorhero von Elia zum Koenig in Si- „ rien war gesalbet worden): Er werde unfehlbar „ sterben. Und dieses schien um so vielmehr eine „ grosse Undanckbarkeit von dem Propheten zu seyn, „ weil derselbe eine Ladung Gut von vierzig Ca- „ meelen aus Damascus bekommen hatte, dem Koe- „ nige die Wahrheit zu sagen. 2. Reg. VIII. 7-10. „ 1. Reg. XIX. 15. 2. Reg. VIII. 8. 9. Doch ich habe „ nicht nöthig einzele Weissager anzuführen, wel- „ che andere betrogen haben, oder selbst sind betro- „ gen worden: Da die Schrift vierhundert derselben „ erwehnet, welche auf einmahl sind betrogen wor- „ den, und welches einer grossen Anzahl unschuldi- „ gen Personen zum Untergang gereichet ist. 2. Chron. „ XVIII. 5. 12. 21. 22. pag. 445. TINDALIUS de

„ Apo-

„ Apoſtolis dicit. Was diejenigen Weiſſagungen des „ Neuen Teſtaments betrifft (vvenn man ſie anders ſo „ nennen kan), vvelche ſich auf die andere Ankunft „ Chriſti, und das Ende der Welt beziehen: ſo ge„ ſtehen die beſten Erklærer und Ausleger, daſs die „ Apoſtel ſich darinnen gevvaltig betrogen hætten. „ Denn es iſt nicht eine Schrift, vvo dieſelben nicht „ voraus verkündigen, daſs die damahligen Zeiten, „ in vvelchen ſie geſchrieben, die lezten Zeiten; das „ damahlige Geſchlecht das lezte Geſchlecht; und „ die damahlige Tage die lezten Tage vværen; in„ gleichen das Ende der Welt vvære nahe, und Chri„ ſtus mit ſeiner Ankunft bey der hand. 1. Cor. X. 11. „ Rom. XIII. 11. 12. Ebr. IX. 26. Jac. V. 7. 8. 1. Joh. „ II. 18. 2. Petr. III. 12. 13.

Naturalismi Cauſſæ.

§. XIV.

Præter generales illos corruptionis Fontes, de quibus Cap. VI. ſermonem fecimus, dantur alii adhuc, qui Naturalismo viam pandunt, inter quos recenſenda eſt *Ignorantia vel obſcura Notio Principiorum quorundam Religionis generalium*, ſine quorum diſtincta notione nemo unquam de ipſa Religione diſtinctam perceptionem habet.

§. XV.

Ex Principiis nimirum illis univerſalibus non tantum diſtincte explicari poteſt, quid proprie Religio ſit, quodnam illius ſit fundamentum, quænam vera illius ratio; ſed etiam quænam inter Religionem Naturalem & Revelatam differentia, quænam convenientia ſit, ex Principiis illis clare patet.

§. XVI.

Ex Notionibus illis univerſalibus etiam mo-

do

do distinctissimo ostendi potest, quod Religio Naturalis, etiam Revelata superveniente, maneat immutabilis, quod Religio Revelata illius perfectioni nihil addat, nec etiam aliquid demat, nedum illam abroget, sed potius eam supponat; sed quod Religio Naturalis semper eadem maneat: distincte etiam exponi potest, quod Revelata Religio non minus ac Naturalis in ipsa Dei ac hominis Natura mutuaque relatione fundata sit.

§. XVII.

Observavi nimirum Argumenta Naturalistarum Achillea omnia ex falso de veræ Religionis Revelatæ notione Conceptu desumta esse, & huc redire: Religionem Naturalem esse immutabilem, illam Legem perfectissimam præscribere, quæ in melius mutari minime possit, talia eaque omnia præscribere præcepta, quæ in ipsa Dei hominisque Natura fundentur, adeoque homini maxime essentialia sint & omnia ad illius Salutem tendant, indeque inferunt ipsi nihil addi posse, Religionem Revelatam propterea falsam esse.

§. XVIII.

Ipsius TINDALII, Naturalistarum Principis, Demonstratio omnis quod Christianismus tam Antiquus sit ac ipse Mundus, huc redit, ut ostendat veritatem ejus quod de Religione Naturali præcedente paragrapho diximus, indeque concludit, novarum Dogmatum revelationem plane inutilem, imo falsam, Deoque indignam esse, neque ea officia in S. Litteris contenta alio sensu vera esse, quam quia Religio Naturalis ea præcipit.

Scru-

§. XIX.

Scrupuli hi non aliter quam ex Principiis quibusdam universalibus penitus solvi possunt, unde illorum ignorantiam vel haud distinctam notionem merito inter Naturalismi causas retulimus.

§. XX.

Ut rem distinctius paulo exponam, attendendum est, Veritates Religionis tam Naturalis quam Revelatæ distinguendas esse in Universales sive Generales & Particulares. *Veritates generales* dicuntur ea quæ constituunt fundamentum & principium Religionis, ex quibus vera Religionis ratio ceu principiis demonstratur & explicatur, omniaque tam cognoscenda quam facienda inde deducuntur & genuina Religionis notio traditur.

§. XXI.

Ad hanc classem pertinet Religionis tam Naturalis quam Revelatæ fundamentum; ex hoc fundamento fluens jus divinum & hominis obligatio, obligationis illius juxta universalem aliquam regulam determinatio; ex diversa hominis ad Deum Relatione oriens Religionis diversitas: diversitatis illius juxta Regulam aliquam generalem accurata limitatio &c. Veritates ejusmodi in Religione *transscendentales* dici possunt.

§. XXII.

Veritates particulares vocantur illæ quæ efficiunt varios Articulos & Dogmata, quæ Religio complectitur, & quæ ex Veritatibus illis transscendentalibus ceu principiis demonstrantur, & quasi Religionis partes constituunt, quo omnia fere

fere Systematum Theologicorum nostrorum capita pertinent.

§. XXIII.

Nemini vel parum adtendenti non notum esse potest, veritates illas generales momentosissimas esse, & neminem de particularibus convictum esse posse & veram illarum rationem intelligere, nisi distinctam de transscendentalibus illis notionem habeat atque de illarum veritate pleniſſime persuasus sit, siquidem particulares illæ nequidem absque universalibus subsistere, nedum intelligi accurate queunt.

§. XXIV.

Tot ex harum ignorantia oriuntur difficultates, tot dubia, tot obscura, quæ omnia abessent, si clarior & distinctior apud plurimos hominum Veritatum Generalium daretur cognitio.

§. XXV.

Maximus nimirum hominum numerus Religionis tantum Veritates particulares cognoscit, ad universales vero aut non adtendit, aut obscuram illarum habet notitiam, neque illarum momentum perspectum habet.

§. XXVI.

Defectus ejusmodi cognitionis vel inde est, quod Intellectus plurimorum hominum capax non sit, ut Veritates scientiæ alicujus transscendentales accurate sine aliorum auxilio percipere, rationem illarum penetrare, & eas ex universa illa Scientia abstrahere possit: vel quod à Præceptoribus nunquam distincte fuerint propositæ, dum & ipsimet non claram earum notionem habeant:

vel denique, quod in ipsis Theologorum scriptis ejusmodi Veritates plurimum aut non demonstrantur, aut non exponantur & determinentur.

§. XXVII.

Defectus hic non ita rarus est quam vulgo creditur, multi forsan ex illis existunt, qui per multorum annorum cursum studio Theologico operam navarunt, aliosque multos etiam in Religionis Articulis instruxerunt, quibus neque de primis Religionis sive Naturalis sive Revelatæ principiis distincta notio est, qui forsan hærerent, si tenerentur solummodo realem utriusque Religionis definitionem dare, vel Religionis notionem ex fundamento suo deducere, vel accuratam Religionis Naturalis & Revelatæ differentiam ostendere, vel, ut minimum dicam, indicare, qua in re Theologia & Religio differant.

§. XXVIII.

Dantur Theologi, qui magnam rerum divinarum eruditionem possident, qui Veritates Religionis particulares ad unguem tenent, qui propterea non contemnendi sed æstimandi sunt, si vero ad prima Religionis principia, si ad Veritates illas Generales deducerentur, si distinctas earum Notiones aliis tradere tenerentur, si Sacrosanctam Religionem contra Deistarum, Epicuræorum, Naturalistarum strophas, si contra Socinianorum Objectiones eam defendere obligarentur, dum cum his ex primis Principiis, ex Notionibus universalibus disputandum sit, quoad maximam controversiæ illius partem; forsan obmutescerent.

Datur

§. XXIX.

Datur Articulus aliquis qui primarius est in Religione Naturali, datur alius qui in Revelata primarius est, ex quo omnes reliqui ejusdem Systematis deduci possunt. Datur in quolibet Errorum systemate Articulus aliquis, in quo primus à Veritate consistit dissensus, ad quem si non attendas, vel Veritatis hostem tanquam ad primum controversiæ sive Erroris punctum retroducere potes, & ipsemet facile decipi & cum Adversario ex primis Principiis disputare, illumque ex iis convincere non poteris, ad hoc enim Veritatum illarum Generalium sive transcendentalium notitia quam maxime clara opus est.

§. XXX.

Si ejusmodi cognitio Theologis ipsis subinde desit, qui maximam temporis partem studio Theologico impendunt, mirum non est, si homines alii illarum disquisitionem negligant & in ipsis principiis à vero tramite aberrent.

§. XXXI.

Notum est in Veritatibus Scientiæ alicujus generalibus resolvi & illis ceu fundamento niti omnes ejusdem Scientiæ Veritates particulares, & ab illis ceu primis principiis dependere; illæ certæ sunt, propterea etiam hæ certæ erunt, si illæ incertæ, vel saltem pro talibus habentur, etiam hæ incertæ erunt; si de illarum Veritate dubitatur, etiam de harum dubitandum erit; unde qui de veritatibus generalibus non convictus est, etiam de particularium certitudine convictus esse nequit, vel si eas credat, fides saltem nonnisi cœca est, & qui universales distincte non cognoscit,

scit, etiam de particularibus nonnisi confusam aliquam notionem habere potest.

§. XXXII.

Patet ex his, quanti momenti sit, ut quilibet Veritatum illarum Religionis tam Naturalis quam Revelatæ Universalium distinctam notionem habeat & de illarum certitudine convictus sit; sine hac enim cognitione & convictione facilis à Veritate datur aberratio; & si Religionis Naturalis veritas cordi hominis nimis alte sit impressa, quam ut de illius certitudine dubitare possit, tamen Religionis Revelatæ primis principiis & fundamentis, veraque illius ratione non perspecta, facile quis eo deduci potest, ut de ejus veritate etiam dubitet, & ita ad Naturalismum facile delabatur.

§. XXXIII.

Objici posset, tam simplices tam claras Veritates illas Generales esse, ut nemo Christianorum tam stupidus sit, qui eas non facile & quidem distincte percipere possit.

§. XXXIV.

Respondemus α. concedendo Veritates illas Religionis universales longe simplicissimas esse, ac in se clarissimas, ut quilibet, cui illæ exponuntur, eas facile intelligere possit, sed quot non existunt in qualibet Scientia Veritates simplicissimæ & in se clarissimæ, ad quas vel non attendimus, vel illarum usum & ad reliquas Veritates relationem non perspicimus, neque illarum momentum perpendimus; quæ vero si nobis indicentur & exponantur tam simplices videntur, ut nobis videatur, nos eas jam antea clarissime habuisse

buisse perspectas, licet illarum veram rationem & usum nesciverimus.

§. XXXV.

β. Quod, non obstante hac claritate & simplicitate maximus hominum etiam eruditorum numerus reperiatur, qui de primis etiam & simplicissimis Religionis principiis tam obscuros habent conceptus, ut nequidem indicare possent quid Religio sit, quo illa fundamento nitatur, quænam officiorum illius vera ratio, qua in re Religio Revelata à naturali differat? & hujusmodi alia, ut mirum non videatur, si propter obscuros quos habent conceptus, etiam de illius Veritate nunquam recte convicti sint.

§. XXXVI.

Duplex ex hoc cognitionis & convictionis defectu oritur incredulorum genus, alterum eorum qui veritates divinas plane inficiantur, alterum eorum qui saltem de iis dubitant.

§. XXXVII.

Et hoc nobis objici potest, multos de Christianismo convictos esse, piamque agere vitam, quibus tamen clara veritatum illarum universalium cognitio desit, unde sequatur, defectum hujus cognitionis Naturalismo & Scepticismo ansam dare non posse, alias effectus hicce universalis esset.

§. XXXVIII.

At observandum est, idem non apud omnes eundem producere effectum, neque enim unius hominis animus eodem quo alterius modo comparatus est, & aliæ adhuc intervenire possunt

cauſſæ, quæ huic vim addunt: uti præjudicia, animus ſcopticus, peccata & varii generis vitia, negotia quibus hominis Mens implicita eſt, varia ſtudiorum genera; unde fieri poteſt, ſi Principiorum illorum Univerſalium diſtincta abſit cognitio atque convictio, ut talis homo facile à Veritatis via deflectere & ad Naturalismum delabi poſſit, licet ipſi de Veritatum particularium certitudine hactenus nullum fuerit dubium; quam primum vero de Veritatibus univerſalibus non clare perceptis dubium oritur, neceſſario etiam particulares omnes inde fluentes in dubium vocandæ ſunt. Alii vero de Veritatibus particularibus convicti, licet de univerſalibus nonniſi obſcuram habeant cognitionem, illas tamen, nullis aliis intervenientibus cauſſis, nunquam in dubium vocant, proptereaque etiam de particularibus nunquam in illorum mente dubium oritur.

§. XXXIX.

Primum Ignorantiæ genus, quod Naturalismum procreare poteſt, reſpicit Veritates Univerſales, de quo hactenus; Alterum reſpicit Veritates particulares; Has licet aliquo modo homines cognoſcant, nullo tamen ordine eas tenent, abſtracte tantum quemlibet Religionis Articulum ſibi repræſentant, non in ordine & nexu ſuo cum reliquis integri Syſtematis partibus, ſine quo tamen nullius Articuli vera ratio perſpici poteſt, ignoratur enim illius ad fundamentum & Religionis finem Relatio, ignoratur cujuslibet Articuli pondus.

§. XL.

Hinc fit, ut horum cognitio Religionis & noti-

notitia Theologica nihil aliud fit, quam inordinatus aliquis multarum notionum obſcurarum variarumque opinionum cumulus atque congeries, ſine ullo ordine & nexu, ubi ſumma imis miſta momentoſiſſimum, ab eo quod minimi ponderis eſt, diſcerni minime poteſt.

§. XLI.

Ubi vero Religionis Articuli non in admirabili ſuo nexu ac in ſua cum toto Syſtemate Harmonia cognoſcuntur, neque uniuscujusque ad fundamentum Religionisque finem Relatio intelligitur, ibi etiam nec Religionis elegantia nec ejus præſtantia perſpicitur; unde magnæ hominum parti Theologia nonniſi Doctrina aliqua perplexa ac confuſa multis inutilibus quæſtionibus referta videtur.

§. XLII.

Accedit his alia cauſſa, nempe naturalis quædam hominis corrupti à Veritatibus revelatis averſio; quæ inde eſt, quod tota Religio Practica eſt, quæ ab una parte officia poſtulat hominis peccatoris appetitui è diametro oppoſita, ab altera parte talibus ad ea inculcanda utitur motivis, quæ homini plane corrupto non minus ingrata ſunt, à felici vel infelici poſt hanc vitam ſtatu, à Dei erga peccatores indignatione, eorumque à facie Dei excluſione deſumta: Ut hæcce homo carnalis effugiat, multa ratiocinia quærit, ipſa dogmata ipſi videntur ſuſpecta, de eorum veritate dubitare incipit, undiquaque argumenta conquirit, quibus illorum fundamenta ſubruere, quibus eorum certitudinem debellare poſſit: unde deni-

que in Revelatæ Religionis abnegatione miſerum ſolamen adverſus conſcientiæ morſus quærit.

§. XLIII.

Addimus hisce cauſſam, quæ omnium cauſſarum, cur homo Religioni Revelatæ tam infeſtus ſit, prima & præcipua eſt; illam ſcilicet, quod homo magnitudinis propriæ miſeriæ & infelicis ſtatus ex imperfectione morali & malis inde ſequentibus fluentis nunquam ſatis conſcius, nunquam debito modo convictus eſt.

§. XLIV.

Ex hoc cognitionis ſui ipſius defectu maximum malum oritur, hoc ſcilicet, quod homo ſatis ſuis bonis dives ſtatum meliorem nequaquam deſideret, adeoque nec media appetat, quibus adhibitis feliciori ſtatu frui cuilibet datum eſt, ubi deſiderium illud abeſt, ibi etiam nec rerum ſpiritualium guſtus oriri poteſt, omnia inſipida videntur atque inſulſa, unde illa omnia quæ non ad guſtum ipſius faciunt, non tantum non appetit, ſed averſatur & odit, illius ad inſtar ſe habet qui febri laborat, cibos ipſi ſalutares averſatur, appetens quæ ſtatui ipſius quammaxime nocent.

§. XLV.

Non infidelitatis ſolum, ſed omnis etiam hæreſeos hæc primaria cauſſa exiſtit.

§. XLVI.

Hisce addenda adhuc & repetenda nonnulla quæ Cap. VI. de cauſſis Atheismi & Scepticismi philoſophici diximus.

Natu-

Naturalismi Occasio.

§. XLVII.

Huc referendi sunt primo illi Libri, qui eo tendunt, ut in Religione Revelata omnia dubia reddant; longe minus periculosi sunt ii, qui expressis verbis huc tendunt, ut omnia Religionis fundamenta evertant & Atheismo viam sternant, quam vero illi, qui quidem de nullius rei veritate vel falsitate decidunt, sed omnia in medio relinquere videntur, mille tamen scrupulos in Religione revelata quærunt, mille difficultates movent, ut probent omnia incerta & dubiæ fidei esse, imo nodos quos faciunt tam intricatos esse produnt, ut nulla ope, nullis solidis responsionibus solvi queant.

§. XLVIII.

Fit inde, ut homo Veritatis per claram & evidentem demonstrationem nondum convictus, eos legens, quo se vertat nesciat; quocunque se vertit ab omnibus partibus omnia obscura ipsi videntur, omnia dubia, omnia suspecta, ut anxius hæreat, ubi tuto quiescere possit.

§. XLIX.

Nullo tempore à primo Christianismi initio à pessimis etiam sanctissimæ Religionis hostibus illa tanto studio tantaque subtilitate impugnata fuit, ac nostris temporibus factum est.

§. L.

Nullo non ævo talia prodiere Scripta, quæ magnum contra utramque Religionem confusarum difficultatum continuere acervum; At

hodie satyrico & scoptico plerumque scribendi genere Sacræ Scripturæ divina origo, Historiarum Biblicarum veritas, Mysteriorum & Satisfactionis necessitas, & vera Christianæ praxeos principia impugnantur, omniaque hæc ita proponuntur, ut homini, carnalibus præjudiciis jamjam imbuto, maxime ridicula videantur, quod dicendi genus sapientiæ carnali admodum arridet, ut nescio quantum sublimis scientiæ gradum attigisse sibi videantur, si omnia quæ vulgus credit contemnere didicerunt.

§. LI.

At mirum videtur, quod iis præcipue temporibus Naturalismus philosophicus quam maxime irrepat & Revelata Religio debelletur tam verbis quam scriptis, ubi ipsa cœlestis veritas in maxima & clarissima luce posita, & crassissimæ ignorantiæ tenebræ dissipatæ sunt, & quod ipsi ii quibus nec Ratio nec eruditio deest, haud raro Dogmatum revelatorum originem cœlestem magis quam cæteri impugnent.

§. LII.

Non parvum hoc opinionibus suis pondus addere Naturalistæ censent, indeque concludunt, Veritates revelatas rigidissimum Rationis examen disquisitionemque philosophicam subire minime posse; neminis nisi superstitiosæ plebis & animorum credulorum assensum in rebus captum humanum superantibus & mysteriosis expectandum esse, ignorantiæ tempora ea esse, quæ Religioni optime convenirent, quam primum vero res in majori luce collocentur superstitiosæ credulitatis tenebras dispalescere ac sapientiores incredulos fieri. Vide

Vide de Religione Christiana Viri meritissimi J. F. OSTERWALDII Tractatum de Fontibus corruptionis Part. II. cap. 7.

§. LIII.

Observandum α. quod incredulitatis vitium omni fere tempore valde commune fuerit, ut non novum sit illud, neque nova ea, quibus Error stabilitur & Veritas impugnatur.

§. LIV.

β. Lubenter concedimus non minoribus ingenii dotibus, non minori Eruditionis apparatu ac rerum tam divinarum quam humanarum cognitione opus esse, ad Veritatem impugnandam & Errores sub aliqua Veritatis specie proponendos, quam ad veritatem capiendam & propugnandam, hæc enim adeo simplex est, & hominis menti sese quasi sponte sua ingerit, ut percipi facillime possit, si modo homo adtendere velit; Error contra multiplex, qui per se subsistere nequit, nisi fortissimum defensorem acquirat.

§. LV.

Ad illum tuendum argumenta speciosa undiquaque conquirenda, variis modis torquenda & proponenda, quod omnino sine insigni variarum disciplinarum notitia nonnisi ab ingenio aliquo luxuriante præstari, & ab homine stupido atque ignaro sperari minime potest; mirum propterea non est, si durantibus crassissimis ignorantiæ tenebris, quando omnes disciplinæ incultæ manebant, propter eruditionis defectum nec pro Religionis defensione, nec contra illam quædam scripta fuere; redeunte vero eruditionis & scientiarum

tiarum lumine non tantummodo ipsa Religionis dogmata in majori luce fuere posita, sed ipsis etiam illius Hostibus, eruditionis ope & ingenii cultura, arma fuere ministrata, quibus veritatem debellare possent.

§. LVI.

γ. Religionis autem Revelatæ dogmata rigidissimum etiam Rationis examen subire, neque illa acutissimi etiam Philosophi aspectum fugere, sed illi se potius quam maxime probare, capite III. abunde demonstravimus; unde inter Revelationis criteria etiam hoc posuimus, quod nihil in se continere debeat quod Rationi contrarium sit, & maxima Religionis Mysteria, licet sint supra Rationis sphæram, tamen non contra illam esse ostendimus.

§. LVII.

δ. Falluntur vero in hoc Naturalistæ quod ajunt: ignorantiæ sæculis hominum fidem majorem fuisse frequentioremque, crescente cognitione, illam diminutam fuisse; distinguendum enim inter Fidem veram & lævem aliquam credulitatem superstitionemque, posterioris enim ignorantia Mater est; prior vero nonnisi evidenti Veritatis cognitione & convictione producitur.

§. LVIII.

Tantum igitur abest ut magnus eruditionis modernorum temporum Gradus ullum Religioni Revelatæ detrimentum afferat, ut potius vera Fides incrementum acceperit ab iis temporibus, quibus cœca credulitas ac superstitio veræ cognitioni cedere coacta & magna Ecclesiæ pars

majori

majori Evangelii luce colluſtrata & omnium Scientiarum cognitio inſigniter aucta fuit.

§. LIX.

Ab eo enim tempore Revelata Religio quidem variis & ſubtiliſſimis modis ſæpiſſime impugnata fuit, ſed contra etiam multa ad ejus defenſionem excellentiſſima edita fuere Scripta, quibus illius Veritas firmiſſimis Argumentis corroborata fuit, ex quibus evidentiſſimis Veritatis ad conſcientiam demonſtrationibus, in multorum hominum animis non poteſt non oriri fides firmiſſima, non cœca quadam obedientia uti ignorantiæ Sæculis, ſed evidentiſſima nixa Veritatis convictione.

§. LX.

Sed maximos, inquiunt, & ſubtiliſſimos Philoſophos eos fuiſſe, hominesque qui maximo pollebant judicii acumine; quique inſigni variarum diſciplinarum notitia prædíti erant; quibusque ſatis Rationis fuerit, ut verum à falſo diſtinguere & Veritatum nexum perſpicere potuerint; qui fortiſſime Chriſtianæ Religionis Veritatem debellaverint.

§. LXI.

At varia hominum etiam acutiſſimorum ſunt ingenia, quæ ſæpiſſime non minus ac ipſius Vulgi, variis affectibus, præjudiciis, vitiisque turbantur, ut verum cernere ubivis vel non poſſint vel non velint.

Unde Celeber. J. A. TURRETTINUS Orat. X. de Affectibus à vero abducentibus inquit: „ Veri ſtudio tra„ himur, ſed & ſua quemque Voluptas trahit;

Sua cuique Deus fit dira Cupido.

„ Verum

„ Verum amamus : sed & nostra quisque commoda ,
„ nostra studia, nostra idola deperimus : Verum placet ;
„ sed & placet gloria, placet fama, placet quies, pla-
„ cent partium studia ; placet amori, odio, iræ, spei,
„ timori, indulgere. Hinc CICERO de Oratore Lib. II.
„ *Plura multo homines judicant odio, amore, aut*
„ *cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut læ-*
„ *titia, aut spe, aut timore, aut aliqua permotione*
„ *mentis, quam veritate ;* Addit TURRET. paginis
„ aliquot interjectis : Cum judicamus de rebus, ad-
„ fectus nos à vero transversos agunt : Quippe ut plu-
„ rimum, non ut res suadet, sed ut quisque est affe-
„ ctus, judicat ; Quæ affectibus conveniunt, quæ af-
„ fectibus adblandiuntur, ea verissima existimantur.
„ Denique si quando verum illuxerit, illud repellunt,
„ illud præfocant, neque, à vero semel aversos, per-
„ suaderi, nisi summa ac pene insuperabili cum diffi-
„ cultate patiuntur. Cernuntur hæc in communi vi-
„ ta ; cernuntur & in Disciplinis ; in Philosophicis,
„ in Historicis, in Jure, in Sacris potissimum : Quibus
„ omnibus, quantam caliginem, quantas tenebras in-
„ ferant affectus, prædicari satis non potest ; Iis indocti
„ obnoxii sunt, iis Docti præpediuntur. Nulla ætas,
„ nullum Vitæ Genus, nulla Disciplina iis vacat. Ubi-
„ que regnant affectus ; ubique vero Bellum indicunt.

§. LXII.

Ita aliter fieri nequit, quam ut Philosophi acutissimi etiam & subtilissimi, si non singulari Veritatis cœlestis amore ac desiderio imbuti sint, eo delabi possint, ut defendant quod ipsis placet & quod desiderant, acumenque judicii ad hoc impendant, ut speciosa ad Revelationis veritatem impugnandam argumenta afferant.

§. LXIII.

Nulla in rerum Universo existit res tam certa, licet certissima experientia nixa, contra quam non

non difficultates vel ſubtilitates moveri, nihil tam ſacrum, quod non ab ingenio ſcoptico vel ſatyrico profanorum hominum riſui exponi queat; & multi exiſtunt, qui propriis ſenſibus & experientiæ diffidunt, in iis præcipue rebus, quæ affectibus diſplicent.

§. LXIV.

Multi deſiderium quoddam omnibus contradicendi habent; Multi illam cogitandi libertatem, quæ à nemine Theologorum ulli denegatur, ſi modo recte inſtituatur & caveatur, ne tantummodo ſit prætextus aliquis quidlibet ſentiendi, credendi & faciendi, nimis late extendunt, quo affectibus ſuis indulgere queant; Illi enim, qui illimitatam hanc cogitandi libertatem ſibi vindicant, etiam morum & vivendi libertate jam corrupti ſunt, ut Religionem, quæ huic licentiæ limites ponit, perferre nequeant.

§. LXV.

Veritas autem ita comparata eſt, ut ſi ſemel ab ea ceu rectiſſima Regula diſcedas, ſemper ab illa ulterius digrediaris, & diſtantia tandem infinita fiat; ſubinde unicum tantum in ſanctiſſima Religione Dogma non placet, dum non commodum videtur, quam primum vero de illo dubitatur, aut illud plane negatur, Error Errorem trahit, ut integrum denique veritatis Syſtema negandum ſit.

§. LXVI.

Ex hisce liquet, qui fieri poſſit, ut, etiam Veritatis lumine clariſſime ſplendente, ab hominibus eruditis & ceteroquin ſubtilibus, Revelationis certitudo impugnari & in dubium vocari poſſit. Ejus-

§. LXVII.

Ejusmodi Scripta si legantur ab iis, qui in juvenilibus annis Religionis Revelatæ systema nec intelligunt, nec per evidentem ejus cognitionem de illius Veritate convicti sunt; qui præterea ambitioni, qui vitæ profanæ, qui variis affectibus sunt dediti, qui novarum rerum cupiditate tenentur, facillime fit, ut principia in Libris ejusmodi contenta applausum inveniant; dictionis elegantia, ratiocinandi subtilitas, argumentorum, quæ afferuntur, probabilitas animo dubio sese commendant; prima quæ affertur difficultas Mentem illorum turbat dubiamque reddit; tandem ad plenariam Veritatis abnegationem seducit; depravatis enim affectibus atque carnalibus desideriis omnia accommodata sunt, ut hominem profanum non possint non in assensum rapere.

§. LXVIII.

Huic OCCASIONI alia accedit, infinita scilicet S. S. interpretandi diversitas, & ingens controversiarum de vero illius sensu numerus, de explicatione Dogmatum etiam momentosissimorum lis continua, inde nascens odium Theologicum Sectarumque Varietas; unde fit ut magna Commentatorum S. Scripturæ pars partium studio ducatur, Doctrinamque suam non S. Scripturæ, sed Sacram Scripturam Doctrinæ placitisque præconceptis accommodent.

§. LXIX.

Quæ variæ explicationes indeque nascentes sectæ profanis hominibus cavillandi ansam præbent, in Religione Revelata nihil certi inveniri, sed

sed omnia summo gradu dubia esse, indeque concludunt, satius esse ut quivis maxima cogitandi libertate fruatur & ex solis Rationis Principiis in Religione agat.

Hoc est illud quod supramemoratus COLLINUS in tractatu suo de Libertate cogitandi tantopere urget; hic hic est ille prætextus quo Naturalistæ utuntur, hoc est id quo citatus Autor omnia Revelata Dogmata in dubium vocare contendit; dicit inter alia pag. 88. „ Je vous donnerai ensuite un éssai de cette diversité „ d'Opinions, en vous raportant celles qui régnent „ parmi les Prêtres de l'Egliſe Anglicane: Je dis un „ Essai, car il faudroit faire un Ouvrage complet, si on „ vouloit seulement faire l'enumération de toutes les „ differentes Opinions des autres sectes des Chrétiens; „ & de là vous pouvez aisement conclure quel nom„ bre innombrable d'Opinions il doit y avoir parmi „ tout le reste des Prêtres, sur le sens de leurs Ecritu„ res; puisque le Livre le plus Divin cause tant de „ diferens parmi les Prêtres d'une même secte, quoi„ qu'il n'y ait ni moyen, ni force, ni interêt qu'on ne „ mette en œuvre pour les contraindre de se réünir „ en un même sentiment. Postquam ad ambiguitatem sensûs S. Scripturæ adstruendam varia attulit, præcipua Fidei Christianæ dogmata exempli loco adducit, ut ostendat quanta Opinionum Cleri sit diversitas dicens: „ A la faveur de cette Idée générale des „ Livres de l'Ecriture, j'entame le sujet qui m'a ob„ ligé à la donner, & qui est la Diversité des Opinions „ des Prêtres de l'Egliſe Anglicane, qu'ils fondent ce„ pendant toutes sur les mêmes Ecritures. Le pre„ mier de ces diférens regarde la sainte Trinité qui est „ le point le plus fondamental de toute la Doctrine „ Chrêtienne: cependant tout necessaire qu'il soit de „ le bien entendre, en combien de maniéres les Prê„ tres ne l'expliquent-ils pas par des consequences ti„ rées de l'Ecriture? &c. pag. 99. Nos Prêtres sont „ encore dans un grand embaras au sujet de la Re„ surrection des hommes; dont ils ont bien de la „ peine à donner quelque Idée claire: *Articulo quar-*

„ *to inquit*; La prédeſtination eſt une autre ſource de „ diferentes Opinions parmi nos Prêtres - - - à pre- „ ſent de dix Prêtres, il y en a au moins neuf qui pre- „ chent tous les Dimanches le contraire des Articles „ de foy qu'ils ont ſignez. Tant eſt vrai ce que l'E- „ vêque Taylor, & Mr. Whiſton ont remarqué; le „ Premier dit dans ſa Dedicace de la liberté de Pro- „ phetiſer; *Qu'il n'y a point d'Egliſe, qui dans la* „ *Proſpérité n'altére chaque Siecle ſa Doctrine; ſoit* „ *en introduiſant des nouvelles Opinions; ſoit en* „ *contrediſant aux Anciennes, ce qui montre qu'il* „ *n'y en a point qui ſoient ſatisfaites du bonheur* „ *de leur état ou de leur Confeſſion de Foy.* Le „ ſecond, ajoute dans ſes Eſſays pag. 238. „ *Que de tous les Eccleſiaſtiques de l'Egliſe Angli-* „ *cane, qui conſidérent & examinent avec ſoin les* „ *choſes; à peine en trovera-t-on un qui croie* „ *les Trente - & - un Articles de leur Confeſſion,* „ *ſelon leur ſens propre & naturel.* Ex iis tandem ſub finem Sectionis ſecundæ, quæ verba ſupra citavimus, hanc concluſionem infert, nullam de Deo & Religione genuinam notionem concipi poſſe, quoniam Sacerdotes maxime inter ſe differant in ſuis Opinionibus de Dei Natura & Attributis, de Scripturæ S. ſenſu & canone, de omnibus fere Chriſtianæ Religionis Dogmatibus, proptereaque odio Theologico operam dent, hæreſesque aliis innocentibus impingant.

§. LXX.

Varii etiam in multis Theologorum Syſtematibus inveniuntur defectus, plurimum Veritates illæ Theologicæ univerſales, quæ omnium Dogmatum principia ſunt, omittuntur; licet ab iis & cognitio & convictio totius Doctrinæ ſalutaris dependeat.

Admi-

§. LXXI.

Admiſcentur res inutiles, quæſtiones quæ magis curioſitati quam Pietati ſatisfaciunt; ſi de controverſiis agitur, ad Veritatem confirmandam multa quidem afferuntur argumenta, quorum magna pars parvi ponderis eſt, & quorum debilitas dubitationi anſam præbere facile poteſt; in objectionum refutatione multi ita verſantur, ut magnum proferant Reſponſionum numerum, ita tamen comparatarum, ut vix una vel altera ſatisfacere poſſit.

§. LXXII.

Huc adhuc pertinent nonnulla quæ Cap. VI. de Atheismi occaſionibus diximus.

Hypotheſeos Naturalismi Refutatio.

Propoſitio I.

§. LXXIII.

Naturalismus Philoſophicus ex Theologia Naturali confutari poteſt, oſtendendo ex Principiis ejus tum Revelationem eſſe neceſſariam, tum S. S. convenire divinæ Revelationis criteria, quæ in Theologia naturali demonſtrantur.

§. LXXIV.

Naturalista enim Theologiam Naturalem admittit (§. 6.), Revelationis vero Necessitas demonstratur ex Principiis Rationis sive Theologiæ Naturalis, antequam S. Scripturæ divinitas asserta fuit (Sect. XII. Cap. III.), nec minus illius Criteria in Theologia Naturali traduntur (l. c.); Veritas vero Revelationis inde patet, si S. S. Characteres cum Criteriis divinæ Revelationis in Theologia Naturali demonstratis conveniant; E. tam Necessitas ac Revelationis Veritas ex Principiis Theologiæ Naturalis demonstranda est, & quoniam Naturalismi Philosophici Error primarius in negatione tum Necessitatis tum Revelationis Veritatis consistit, patet illum ex Principiis Theologiæ Naturalis confutandum esse.

Sequitur ex his studium Philosophicum cum Theologico conjungendum esse ab eo qui Naturalismum philosophicum refutare vult; studium Philosophiæ utile est ad Necessitatem & Criteria Revelationis demonstranda, studium Theologiæ vero ad convenientiam S. S. cum criteriis illis ostendendam; ex quibus patet quam necessarium sit, ut Theologus simul sit bonus Philosophus.

Propositio II.

§. LXXV.

Religio Naturalis & Revelata se invicem non excludunt, neque posterior prioris perfectioni aliquid demit, neque etiam una alteri contradi-

tradicit, sed cum seinvicem optime consistere possunt.

§. LXXVI.

Duas has Religiones, quæ simul sumtæ Religionem Peccatoris constituunt (§. 1049. Cap. III.), secum invicem consistere, neque sibi repugnare, clarius demonstrari nequit, quam si illarum Principia Universalia juxta seinvicem posita exhibeamus, ex quibus optime patebit, num unum illorum principiorum alterum tollat nec ne.

Religio Naturalis.	Religio Revelata.
1.	1.
Religionis Naturalis fundamentum est Relatio quædam, quæ intercedit inter Deum & hominem (§. 1047. Cap. III.).	Fundamentum Religionis Revelatæ est Relatio inter Deum & hominem (§. 1053. Cap. III.).
2.	2.
Relatio illa consistit in dependentia hominis à Deo (§. 765. 766. Cap. III.), ceu Creatore & Conservatore.	Relatio illa consistit in dependentia hominis à Deo non tantum Creatore, sed & Salvatore, (§. 1052. Cap. III.).
3.	3.
In Religione Naturali homo consideratur ceu Creatura, unde officia quædam ab eo qua Cre-	In Religione Revelata homo consideratur non modo qua Creatura, sed & qua Peccator

atura postulantur (§. 1049. Cap. III.).

4.

Ex Dependentia illa hominis fluit Dei in hominem Dominium & hominis Obligatio ad actiones suas non pro suo arbitrio, sed secundum voluntatem Domini sui determinandas (§. 767. Cap. III.).

5.

Homo per Religionem Naturalem obligatus est ad actiones suas ad manifestationem Divinæ Gloriæ dirigendas (§. 768. Cap. III.).

6.

In Religione Naturali motiva actionum nostrarum desumenda sunt ab Attributis divinis in Opere Creationis & Conservationis manifestatis, & à Voluntate Dei qua Creatoris & Conservatoris sunt petenda (§. 770. Cap. III. §. 1061.).

salvandus, cui qua tali certa præscribuntur officia (§. 1049. 1054. Cap. III.).

4.

Propter dependentiam Peccatoris in Negotio Salutis à Deo Salvatore homo obligatus est ad actiones suas non pro arbitrio suo, sed secundum Voluntatem Dei Salvatoris dirigendas (§. 1057. Cap. III.).

5.

Per Religionem Revelatam homo tenetur actiones suas ad manifestationem Gloriæ Dei Salvatoris sui dirigere (§. 1060. Cap. III.).

6.

In Religione Revelata motiva actionum nostrarum desumuntur ab iis Dei Attributis quæ Deus in toto Salutis negotio manifestavit (§. 1060. Cap. III.).

Reli-

7.

Religionis Naturalis Veritas primaria & maxime fundamentalis hæc est; *Hominem, per dependentiam suam à Deo ut omnium rerum Caussa prima & Fine ultimo, & propter finem ad quem creatus est, obligatum esse ad actiones suas secundum Voluntatem Dei dirigendas & in Dei Glorificatione Salutem suam quærendam* (§. 1863. Cap. III.).

7.

Religionis Revelatæ primaria Veritas est; *Hominem Peccatorem obligatum esse, per dependentiam à Jesu Christo ceu unica ac perfectissima Salutis Caussa, ad Deum qua Salvatorem optimum Anima & Corpore glorificandum* (§. 1877. Cap. III.).

8.

Religionis Naturalis Articuli fundamento proximi sunt: α. Deum existere. β. Eundem esse omnium rerum Caussam primam & finem ultimum, γ. adeoque omnes in se continere perfectiones, quæ ad hoc requiruntur. δ. Hominem omniaque reliqua à Deo creata fuisse. ε. Omnia conservari & ad finem aliquem sapientissime dirigi; E. dari Providentiam. ς. Hominem à Deo dependere. ζ. Vo-

8.

Religio Revelata omnes has Veritates supponit & confirmat. (§. 1049. 1050. Cap. III.).

luntatem Dei esse actionum suarum Normam. 2. Dari Religionem Naturalem. 3. Deum ipsum quærentibus esse Remuneratorem, dum in ipsius Glorificatione Salus obtinetur. 4. Animam esse immortalem. (§. 1864. Cap. III.).

9.

Obligatio hominis ad Religionem Naturalem cessare non potest. (§. 783. Cap. III.).

10.

Religio Naturalis fundata est in ipsa Dei & hominis Natura, dum convenit cum divinis Attributis, ejusque Sapientiam, Bonitatem, Justitiam, Sanctitatem, Omniscientiam quammaxime commendat (§. 785. Cap. III.). Et tales præscribit Regulas sive præcepta, quæ tendunt ad promotionem perfectionis & felicitatis status hominis (§. 787. l. c.).

9.

Hoc ipsum est quod Religio Revelata ubique inculcat, & hoc ipsum est id quod Religionem Revelatam maxime necessariam facit.

10.

Religio Revelata in ipsa Dei & hominis Peccatoris Natura fundata est; oportet enim cum divinis Attributis exactissime conveniat (§. 992. 993. 1060. Cap. III.), & officia illius dependent ab hominis à Deo dependentia (§. 1052. Cap. III.) & tendunt ad hominis Peccatoris summam felicitatem (§. 1067. 1073. l. c.).

Reli-

II.

Religio Naturalis definitur *per obligationem actiones suas dirigendi ad manifestationem Gloriæ Dei, ejusque Attributa & Dominium ceu motiva actionum suarum considerandi.* (§. 771. Cap. III.).

II.

Religio Revelata definitur *per obligationem actiones suas non pro suo arbitrio, sed secundum Voluntatem Liberatoris, à quo homo in recuperanda Salute totus dependet, dirigendi ad Dei Glorificationem cum propria Salute* (§. 950. 1063. Cap. III.).

§. LXXVII.

Hæcce clare ob oculos fuere ponenda, ut inde appareat, nihil in utraque hac Religione, quæ simul sumta Religionem Peccatoris constituit, contineri, quod sibi invicem repugnet; hæc quæ allegavimus utriusque Religionis nervum, centrum & essentiam continent, in quibus nihil plane deprehenditur quod vel ullam contradictionis speciem habere queat, nihil etiam ex quo concludi posset per Religionem Revelatam Naturali vel minimum derogari; sed optime secum invicem consistere possunt, & utraque ex duplici hominis quam ad Deum habet relatione clare fluit, dum in una consideratur ceu mera rationalis Creatura, in altera ceu Peccator salvandus.

Unum nimirum ex præcipuis Naturalistarum contra Revelationis Necessitatem & Veritatem argumentis est, quod Religio Naturalis sit perfectissima, quodque illius præcepta in ipsa Dei hominisque Natura fundata sint, quæque adeo nec perfectior fieri, nec per aliam Religionem mutari queat, cuique etiam præcepta contraria ab Optimo Legislatore ferri nequeant. Sed ex ma-

le intellecta vera Religionis Revelatæ ratione omnia hæc dicuntur, uti infra in objectionum solutione videbimus; clare enim utraque hæc Religio ex duplici hominis ad Deum relatione fluit (§. 952. Cap. III.), & una alteram non magis excludit, ac una Relationum illarum alteram excludere potest. Rem adhuc simili aliquo exponemus. Diversa ex. gr. subditorum ad Principem suum esse potest Relatio, vel enim considerari aliquis potest ceu merus subditus, sepositis aliis respectibus, qui sub tutela Principis sui tranquille vivere potest atque secure bonis suis frui, officioque membri Societatis fungi; ex hac Relatione fluit obligatio, ut Legibus Principis ad commune bonum & Societatis Civilis conservationem tendentibus sese subjiciat, & hac in re non propria, sed Principis Voluntas fiat. Sed huic Relationi alia & peculiaris aliqua accedere potest, per ingens aliquod Beneficium subdito à Principe exhibitum, ex qua nova Relatione novæ etiam obligationes fluunt, quæ cum prioribus, quibus subditus ille, qua talis solum consideratus, obstrictus est, optime consistere possunt; prior enim obligatio per posteriorem non solvitur: omnes etiam leges ad quarum observationem per priorem Relationem subditus obligatus est eædem manent, & accedente nova Relatione nec vim suam amittunt nec minus ad finem, ad quem latæ sunt, nempe commune bonum tendunt, adeoque eundem perfectionis gradum quem antea habuerunt obtinent; at accedit nova subditi Relatio, nova ergo obligatio, & ex hac obligatione fluentia nova officia, ut subditus ille duplici modo obligatus sit, quod sibi invicem nequaquam repugnat; Ad institutum nostrum nunc simile hoc facile applicari potest, nempe in hoc tertio solum quod diversæ Relationes hominis ad Deum secum invicem consistere possint, quod ex diversa illa Relatione duplex etiam oriatur obligatio, quod officia ex duplici illa obligatione fluentia seinvicem nec tollant nec sibi repugnent, quod prior obligatio cum officiis ex illa pendentibus per posteriorem non mutetur nec perfectior reddatur, sed eadem semper maneat.

Alterum

§. LXXVIII.

Alterum quod nobis probandum est, quod per Religionis Revelatæ necessitatem & veritatem non negetur, Religionem Naturalem & præcepta ad quæ homines obligat esse perfectissima.

Naturalistæ nimirum, dum veram Religionis Revelatæ rationem non intelligunt, metuunt vel saltem prætexunt, Religionem Revelatam nec utilem nec veram esse posse, dum præsupponendum sit, perfectioni Religionis Naturalis aliquid deesse ut Deus in illa non perfectissimam Legem tulerit, cui propterea nihil addi possit; unde si statuatur, nova opus fuisse ad hominis salutem promovendam Religione, novisque idcirco præceptis, Religionem naturalem imperfectionis argui, quod oppido falsum sit: unde ostendendum nobis Religionem naturalem esse perfectissimam, & Revelatam non minus esse perfectam; Præcepta Religionis Naturalis esse perfectissima, & Revelatæ non minus esse perfecta, ut adeo Perfectioni Religionis Naturalis in se consideratæ per Religionem Revelatam nihil accedat, nec Necessitas & Utilitas Revelationis Religionem Naturalem imperfectionis arguat.

§. LXXIX.

Per Perfectionem Rei alicujus intelligimus, consensum omnium partium & Attributorum, quæ in re illa sunt, ad finem illum propter quem Res est.

§. LXXX.

Cum Religio Naturalis tendat ad Finem optimum & perfectissimum (§. 768. Cap. III.), & talia præscribat præcepta, quæ in ipsa Dei natura fundata sunt, dum cum Attributis divinis exactissime conveniunt, & omnia officia in illa præstanda ad illustrationem divinorum Attributorum faciunt (§. 770. l. c.), ut summa inter illa de-

beat

beat esse harmonia sive consensus ad finem suum consequendum; Quoniam simul Religio illa ad ipsam hominis perfectionem & felicitatem tendit (§. 787. l. c.), actiones sibi invicem contradicere non possunt, sed debent esse harmonicæ, in his vero consistit perfectio (§. 79.): E. cum summus in iis quæ Religionem Naturalem constituunt sit consensus ad finem optimum, illa non potest non esse quam maxime perfecta & Sapientiæ divinæ dignissima.

§. LXXXI.

Idem etiam de Religione Revelata eadem ratione demonstrari potest, dum illa non minus ac Naturalis tendat ad finem optimum (§. 1060. Cap. III.), & maximus inter illius præcepta, adeoque etiam inter actiones quæ præscribuntur, propter conformitatem cum Attributis divinis, sit consensus & cum Voluntate divina harmonia (§. cit. & 1057.), & cum per illam hominis perfectio quæratur (§. 1063. l. c.), illa etiam perfectissima est.

§. LXXXII.

Dum in utraque Religione maximus sit consensus cum divina Voluntate & Attributis ad communem aliquem finem, sequitur utriusque Religionis perfectionem sibi invicem non repugnare.

§. LXXXIII.

Quoniam diversa illa Religio fluit ex diversa hominis ad Deum Relatione, & obligatio officiaque inde fluentia seinvicem non excludant, sed secum invicem optime consistere queant (§. 77.): sequitur perfectioni Religionis ex priori Relatione orien-

orientis plane nihil derogari, neque illam negari, si nova Relatio, nova obligatio & per consequens nova officia accedant, hoc est, nova Religio; Quoniam vero utraque Religio maxime perfecta est, quælibet nimirum juxta certum hominis statum & diversum ad Deum respectum, (§. 80. 81.), apparet quod Religio Naturalis in se considerata omnibus numeris absoluta & maxime perfecta statuatur, licet illi revelata adjungatur.

In priori enim, quod satis inculcari nequit, homo consideratur ceu Creatura Rationalis absque alio respectu, in posteriori vero ceu Peccator salvandus, qui ad id singulari Dei Beneficio ac auxilio indiget; prior ergo officia perfectissima præscribit, quæ homo qua Creatura præstare tenetur, ut præceptis illius nihil ejus desit quod ex hac Relatione fluit; accedente vero novo Creaturæ rationalis dependentiæ modo, novo quodam Beneficio, nova obligatione, Peccatoris salvandi nova oriuntur officia, nova adeoque Religio, quæ Naturalem imperfectionis minime arguit. Hæc adeo clara mihi videntur, ut concipere fere non possim, quomodo acutissimi Naturalistæ in hac re tantas difficultates quærere possint, ut eas insolubiles putent, dum existimant Religionem Naturalem in se imperfectam dici, si Religio Revelata necessaria statuatur, & hancce quasi Naturalis correctionem esse sibi imaginantur, ut ea quæ illi desint suppleantur, quod oppido falsum est juxta ea quæ demonstravimus; Naturali enim Religioni qua tali plane nihil deest, neque ulla illa correctione aut supplemento opus habet, licet ex alia hominis ad Deum Relatione, nempe Peccatoris salvandi, alia Religio fluat: Secum invicem confundenda hæc non sunt, quæ optime distingui possunt; homo ad utramque obligatus est, ad alteram qua Creatura, ad alteram qua Peccator salvandus. Parvi momenti, imo inutile haud dubie nonnullis videbitur, quod in hoc demonstrando & inculcando tam prolixi sumus, imo multa repetimus, at qui Naturalistarum scripta evolvit, illi ignotum esse nequit, quod ex hoc fonte, dum differentia

utrius-

utriusque Religionis accurate ostenditur, primaria illorum argumenta solvi queant ; Omnia fere quæ TINDALIUS in demonstratione sua *quod Christianismus tam antiquus sit ac ipse Mundus* affert, huc tendunt, ut ostendat Religionem Naturalem esse maxime perfectam cui nihil desit, cuique ergo per Revelationem nihil addi possit.

§. LXXXIV.

Recte ergo intelligendum est, si Theologi Revelationi etiam usum aliquem respectu Religionis Naturalis adscribunt, quod scilicet mediante Revelatione ejus de Deo hominisque erga illum officiis Doctrina clarior fiat ; non ita hoc explicandum est ac si Religionis Naturalis de Deo Doctrina & Præcepta in se non satis clara & omnibus numeris perfecta essent, sed cum per hominum affectus, vitia & socordiam factum sit, ut Religionis Naturalis principia in se satis clara obscurarentur neque homines propria culpa ea satis intelligerent, Revelatio etiam hunc præstitit usum, ut Religio Naturalis iterum in pristina sua luce collocaretur.

Si Infanti Liber aliquis explicatur, Liber ille propterea minime obscuritatis arguitur, sed in se potest esse clarissimus, quod vero Infans illum non intelligat imbecillitati intellectus illius potius adscribendum est, qui Veritates etiam clarissimas sine ulteriori explicatione percipere nequit ; Ita Religio Naturalis imperfectionis & obscuritatis neutiquam accusatur statuendo quod Revelatio 1.) Dei naturam & Perfectiones deceat, (quæ per ipsam Religionem Naturalem notæ esse possent), cum hæc hominum affectibus & vitiis quammaxime deditorum cœcitate & socordia fere ignota fuere, per Revelationem vero ab idolis ad verum Deum, ab Erroribus ad Veritatem reducti sunt. 2.) Revelatio respectu Religionis Naturalis etiam hunc usum habet,

habet, quod homini verum Deum colendi modum ostendit & illum quidem etiam quem ipsa Religio Naturalis præscribit, a quo rationali Dei cultu homines tantopere discesserunt, ut Deum modis ineptissimis & ejus Majestate indignissimis colerent, neque propter corruptissimum hominum statum, qui ita cæcutiebant ut Ratione sua non amplius uterentur, unquam rectius cultus fuisset, nisi ipsemet modum docuisset; Per Revelationem ergo factum est, ut Religio Naturalis nitorem suum in hominum mentibus acciperet, & Religio hæc iterum exculta fuerit, cui enim quæso acceptum ferendum est, quod Theologia Naturalis tam pure inter nos doceatur, quod ejus Systemata à Philosophis aut Theologis tam eleganter sint adornata & composita, quam ipsi Revelationis lumini? ubicunque enim terrarum Revelatio deficit, etiam Religionis Naturalis puritas desideratur. 3.) Homines etiam in reliquis Vitæ officiis maxime cæcutiebant & graviſſimos fovebant Errores, à quibus per Revelationem revocati sunt; Hæc sunt præcipua Revelationis respectu Religionis Naturalis vel potius ejus Cognitionis Beneficia; Hæc autem dum dicimus, culpam ullam Religioni Naturali aut Imperfectionem non magis impingimus, aut eam obscuritatis accusamus, ac Religioni Revelatæ adscribimus, si homines stupidi clarissima ejus dogmata non capiunt aut contra illius principia agunt; Vel non magis ac culpam in solem conjicimus si cœcus non videt. Hisce Revelationis usibus accedunt alii, ipsi maxime essentiales, & qui Summam & Centrum illius efficiunt, nempe quod illa modum Deum placandi & Conscientiæ tranquillandæ ostendit, quod addit fortissima incitamenta, argumenta & auxilia ad hominem ad officiorum observationem commovendum & juvandum. Priores Revelationis Usus Naturalistæ Theologici, ut in Cap. de Socinianis videbimus, admittunt, posteriores negant: ex iis vero quæ diximus patet, omnes hos Usus Religionis Naturalis perfectionem non destruere, sed illam in se & qua Naturalem consideratam manere perfectissimam.

Pro-

Propositio III.

§. LXXXV.

Religio Naturalis ad Salutem æternam consequendam & conscientiæ morsus sanandos homini Peccatori, in statu perfectionis moralis constituto, insufficiens est.

Insufficientia Theologiæ Naturalis respicit vel æternam felicitatem vel temporalem in hac vita, utraque seorsim demonstranda est, & quidem primo quod respectu æternæ Salutis consequendæ non sufficiat, secundo quod propter imperfectionem hominis moralem illum etiam nec in hac Vita felicem reddere possit, culpa vero hujus rei non in Religionem Naturalem, sed in hominem, præsentemque ejus statum, est conjicienda.

§. LXXXVI.

Cum Satisfactio sit absolute necessaria (§. 904. Cap. III.), & indispensabilis (§. 907. l. c.), illius vero præstatio hominis vires excedat, (§. 914. l. c.): Homines vero Peccatores esse universalis testatur Experientia (§. 836. Cap. III.), adeoque satisfactione illâ indispensabili opus habent, si æternæ Salutis compotes fieri volunt, neque ipsimet se ex statu moraliter imperfecto liberare & pristino perfectionis statui semet restituere possunt (§. 916. Cap. III.): Propterea ad Salutem consequendam alieno Liberationis Medio indigent: Quoniam vero medium illud ex principiis Rationis non constat (§. 938. l. c.): sequitur, Religionem Naturalem, quæ ex principiis Rationis

tionis demonstratur, ad Medium illud salutis homini Peccatori ostendendum insufficientem esse.

Si disputatio cum Naturalista instituenda est, quæstiones primariæ huc redeunt, α. An Theologia Naturalis illiusque Præcepta non sint perfecta ut correctione non opus habeant? β. An homo si velit non possit officia Juris Naturæ & Religionis Naturalis servare? γ. An si illa transgrediatur per Libertatis abusum, & moraliter imperfectus fiat, satisfactione & alieno liberationis Medio absolute indigeat? Primum quod attinet ipsis non negamus, Religionem Naturalem perfectam esse, quatenus homo consideratur in sola illa relatione, qua ceu Creatura rationalis à Deo Creatore & Conservatore dependet, quod (Propos. præced.) clare exposuimus: Cum vero insuper Peccator factus fuit & propterea præter Creationem & Conservationem alio adhuc Gratiæ divinæ Beneficio ad Salutem consequendam absolute indigeat, quod Beneficium Religio Naturalis docere nequit, aliud oritur dependentiæ genus, alia Relatio, alia Obligatio, alia propterea etiam Religio, qua non obstante prior perfecta manet. Secunda quæstio in duas dividenda est, primo enim quæritur, an homo possit, postquam semel Libertate sua abusus est, officia Juris Naturæ & Religionis Naturalis præstare? Secundo an id faciat? Impossibile esse, ut homo Peccator, qua constitutus in statu moraliter imperfecto absque intercedente Miraculo actiones Legi exacte consentientes, hoc est, Attributis divinis & propriæ spirituali Saluti conformes edere possit, demonstratum est (§. 871. Cap. III.), & universalis experientia testatur, neminem existere inter mortales, qui affirmare posset, se in omnibus exactissime Religionis Naturalis officia præstitisse: Hic enim ad Naturalistarum propriam Conscientiam provocandum, neque quid de Socrate aliisque proferant audiendum, dum ejusmodi exempla ante tot sæcula gesta multas exceptiones patiantur. Sed ne quidem si velimus necesse est ut de hoc cum illis disputemus, num homo Religionem Naturalem exacte servare possit, sufficit scire, quod hoc nemo faciat, unde quæstio tandem, quæ tertia est huc redit, an cum omnes homines Religionem Naturalem

transgrediantur, pro hac transgressione Satisfactione opus sit? & si Satisfactione opus est, uti demonstratum, an vel homo ipsemet eam præstare queat, vel an modus illius ex Principiis Religionis Naturalis constet? Quod cum per demonstrata falsum sit, hujus Religionis ad hominem Peccatorem salvum faciendum insufficientia clarissime apparet. Hæc ideo uberius exposuimus, ut pateat, ubi disputatio cum Naturalistis incipienda & quo summa Disputationis tendere debeat.

§. LXXXVII.

Alterum quod nobis demonstrandum, est Religionis Naturalis insufficientia ad hominis in hac Vita veram felicitatem promovendum; Vera terrestris felicitas consistit tum in Animi tranquillitate, tum in Intellectus & Voluntatis cultura.

§. LXXXVIII.

Ad veram Animi tranquillitatem requiritur verum solatium atque remedium contra Conscientiæ morsus, sentiunt enim homines se peccatores esse, accusat propterea & damnat Dei nomine propria Conscientia, trepidat, consternitur & angitur ad omnem divini Judicii & Vindictæ cogitationem, unde animi tranquillitas quammaxime turbatur.

§. LXXXIX.

In Religione Naturali vero, quæ hominem non ceu Peccatorem considerat, homini nullum aliud solatium præbetur quam *factum infectum fieri non posse*, quod minime sufficit, & licet homo ex Rationis Principiis spem aliquam concipere queat, quod Deus Gratiam facere possit si velit, quod jus & potestatem habeat modo se digno Gratiam faciendi; Modus vero sive quomodo velit, ex

ex Religione Naturali nequaquam constare potest, unde illa homini contra conscientiæ morsus & turbationem tranquillitatis verum & solidum solatium præbendo insufficiens est.

§. XC.

Intellectus porro & Voluntatis culturam per Religionem Naturalem comparandam quod attinet, non negamus, ope Theologiæ Naturalis egregiam rerum divinarum & officiorum faciendorum cognitionem acquiri posse ex solo Rationis lumine, tum ex insitis Naturæ Principiis, tum ex accurata hujus Universi contemplatione per legitimam Ratiocinationem deductam : Unde ipsimet Gentiles multas egregias ad Religionem Naturalem spectantes veritates agnoverunt.

§. XCI.

Nihil enim verius est quam Religionem illam, si quis eam recte cognoscat, & Rationis Principiis recte utatur, distincte & clare docere posse, quod & qualis Deus sit, & qua ratione coli debeat.

§. XCII.

Non minus tamen certum, apud nullum in toto terrarum orbe Populum, qui extra Christianam Ecclesiam versatur & Revelatione destitutus est, purum Theologiæ Naturalis inveniri Systema, sed quidquid rerum divinarum cognitionis supereſt, tot tantisque contaminatum est Erroribus, sive sint dogmata, sive præcepta moralia, ut nec intellectui ornando nec homini ab Erroribus & Vitiis revocando sufficiat.

„ Hincque, inquit Acutiss. ROELLIUS Dissert. Inaug.

„ II. §. 25. nulla apud eos, qui supernaturali Revela-
„ tione vel olim caruerunt, vel hodieque carent, vera
„ obtinuit aut obtinet vel Theologia, vel Religio, sed
„ perversæ, ineptæ, stultæ de Deo & Religione opi-
„ niones & sententiæ, absurdæque, ridiculæ atque
„ impiæ etiam Deum Deosve colendi rationes ac mo-
„ di. Cujus culpæ non immanes tantum & barbari
„ atque ab omni fere Rationis atque eruditionis Cultu
„ alieni Populi, sed ii quoque qui Sapientiæ laude cæ-
„ teris præstiterunt rei fuerunt. Quam enim quæso
„ portentosa, superstitiosa, atque impia fuit Chal-
„ dæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum,
„ aliarumque Sagacitatis, Sapientiæ atque Eruditionis
„ gloria nobilium Gentium Religio! Nihil certius
„ est, quam eos omnes, quos per Oracula sua de ve-
„ ra Religione, veraque ad felicitatem Via non edo-
„ cuit Deus, vera veri Dei cognitione ac cultu desti-
„ tutos fuisse, & vel in superstitionem, vel Idololatriam,
„ vel impietatem atque Atheismum prolapsos, & cum
„ etiam sapientes sibi viderentur, stultos factos. . . .
„ Ea enim nunc est Naturæ humanæ, postquam pecca-
„ tum per unum hominem transivit in omnes, cœci-
„ tas ac corruptio, ut vel non adtendant ad ea homi-
„ mines, quæ de Deo, Religione & officiis manifesta
„ in ipsis, & ab ipso Deo cum Natura manifestata,
„ cordibusque omnium inscripta sunt; vel si etiam
„ cognoscant Deum suumque circa Deum officium,
„ eum tamen, propter pravas quæ in illis dominan-
„ tur cupiditates, non ut Deum glorificent ac colant,
„ sed veritatem in impietate atque injustitia detineant,
„ sicque in omnis generis ruant Errores, vitia ac scelera.

§. XCIII.

Ita ergo intelligendum est hoc, ut Religioni Naturali in se spectatæ minime vel obscuritas vel imperfectio tribuatur, si illa sola hominis perfectioni & veræ felicitati promovendæ insufficiens dicitur, recta enim illius cognitio atque usus, sive exacta officiorum quæ ab illa præscribuntur præ-

præstatio saluti hominis sufficeret ; sed accidentaliter illa, per peccatum nimirum, insufficiens facta est, dum status hominis depravatus fuit, per cœcitatem Intellectus humani variis affectibus & præjudiciis obtenebratus, ut Religionis Naturalis principia non intelligat, neque ad illa adtendat, nisi per Revelationem illustretur moneaturque; per impotentiam denique hominis, qui in statu moraliter imperfecto constitutus officia Religionis Naturalis præstare nec vult nec potest. Culpa ergo à parte hominis, non à parte Religionis Naturalis quærenda est, quod ea sola hominem felicem reddere amplius nequeat. Insufficientia igitur in corrupto hominis statu consistit, non in Religione, quæ ad hominem integrum felicem reddendum beatificandumque sufficiens, neque ei aliquid deest, si modo homo eam cognoscere observaretque.

Princeps subditis statuta optima, Legem perfectissimam tradit, vult ut observetur & severissime illius transgressionem prohibet, & revera statuta illa ita comparata sunt, ut si subditi ea observent, Respublica non possit non esse felix, ut subditorum quivis non modo secure vivere, non modo maximis frui privilegiis, sed statum suum multo perfectiorem reddere, bona & divitias suas augere potuisset, ut etiam Liberi illorumque Posteri illa felicitate fruituri fuissent. Fit interea ut subditi statuta illa negligant, ut ea parvi faciant, deperdant, oblivioni tradant, neque illorum ullam curam habeant, ut omnia fere in illis contenta ex illorum memoria deleta sint, interea quilibet quod lubet facit, status illorum magis ac magis in pejus ruit, tota Respublica pessumdatur, omnia felicitatis adminicula deperdita sunt, neque ea quæ antea ad Rempublicam conservandam & felicitatem ejus promovendam sufficiebant rebus ita turbatis huic præstando amplius sufficiunt ; omnis spes restituendæ felici-

tatis in paucis quibusdam fragmentis aut reliquiis, quæ de ſtatutis illis adhuc ſuperſunt, collocatur, ſed ſufficere illa nequeunt, tum quia præcipuæ ſtatuti illius partes deperditæ ſunt, tum quia ſtatus Reipublicæ & cujusvis ſubditi alius plane erat ac nunc eſt, ubi omnia in ſumma verſantur miſeria, ubi nil niſi paupertas, vitia, ſcelera, turbæ: An propterea culpa in Optimi Principis ſapientiſſima Statuta eſt rejicienda? An Leges illæ non fuerunt perfectæ ut ipſis nihil defuerit, quæ ad Reipublicæ Felicitatem tendunt, ſi modo conſervatæ, ſi obſervatæ fuiſſent? Non Legum ſed hominum Culpa eſt, quod Reipublicæ reſtituendæ non ſufficiant.

Propoſitio IV.

§. XCIV.

Revelatio ad Hominum Salutem eſt abſolute neceſſaria.

§. XCV.

Patet hujus Propoſitionis veritas ex demonſtratione Propoſitionis antecedentis (§. 86.), tum ex (§. 962. Cap. III.).

Theologi ex variis Dei Attributis pro Revelatione argumenta afferre ſolent, quæ vim ſuam habent, poſtquam demonſtratum fuit Religionem Naturalem ad Peccatorem ſalvandum non ſufficere, hoc vero ſi prius demonſtratum non ſit, argumenta illa non ſtringunt; Attributis enim divinis convenire & præcipue Sapientia illius digniſſimum eſſe, ut Revelatio talis exiſtat, antea non facile creditur, quam illius abſoluta neceſſitas evicta eſt, alias Deus fruſtra quid faceret, quod abſurdum.

Pro-

Propositio V.

§. XCVI.

Liberationis Medium, homini Peccatori revelandum, apud Deum paratum esse, homo ex ipsis Rationis Principiis arguere potest.

§. XCVII.

Demonstratio hujus propositionis ex Capite III. §. 921 - - 926. & l. c. §. 936 - - 973. petenda est.

Ad hujus rei probationem omnino Attributa divina in auxilium vocanda sunt, nempe ILLIUS Bonitas, quæ nos dubitare non sinit, eum miseris Creaturis succurrere, tenebras ignorantiæ illorum dispellere, Errantes in viam reducere, in barathrum lapsos extrahere velle, idque eo magis ab Ente optimo sperandum, quia etiam omnibus Corporis nostri necessitatibus munificentissime providet. ILLIUS Sapientia, quæ nos docet totum hoc Universum ad finem optimum esse conditum; scilicet ad Dei Gloriam, Entia propterea intelligentia in Mundo existere, ut Gloria Dei ex ejus operibus cognosceretur & celebraretur; Cum vero homines per pravos affectus, per socordiam, vitia & scelera eo delapsi sunt, ut Deum Creatorem suum nec recte cognoscerent, nec debitum ipsi honorem tribuerent, sed plane se a Deo averterent, adeoque universus terrarum Orbis Creatoris scopo adversaretur, neque amplius Gloriæ ipsius Theatrum existeret, decuit divinam Sapientiam, ut Homines ad sui notitiam reduceret, ut verum suum Cultum instauraret, ut Medium homini ostenderet, quo cum propria salute iterum ad Dei Gloriam vivere posset, quæ omnia sine Revelatione fieri minime potuere; & propter talem re-

rum restaurationem Deus dicitur creare Novum Cœlum & Novam Terram, dum ea iterum Gloriæ suæ illustrandæ apta Theatra facit.

Propositio VI.

§. XCVIII.

Revelatio illa divina in eo libro est contenta, quem Christiani Sacram Scripturam appellant.

§. XCIX.

Demonstrata à nobis hæc Propositio (§. 1028. Cap. III.).

Ex unico Charactere S. Scripturæ divinitatem evicimus, scilicet ex Doctrina in illa contenta, quæ ita comparata est, ut cum Revelationis Necessitate & Criteriis exactissime conveniat, omnemque humanam Originem respuat; quæ Demonstratio maxime naturalis est, Demonstratio nimirum Veritatis Revelationis respondere debet Demonstrationi Necessitatis quæ præcedit; & meo quidem judicio perdifficile foret hominem prius Veritatis Revelationis convincere, antequam de illius absoluta Necessitate persuasus est, si enim ille, qui Revelationem necessariam esse convictus fuit, in Libro aliquo ea inveniat, quæ homini scitu absolute ad Salutem necessaria scit, neque aliter quam Revelationis ope nota fieri queunt, facile adducitur ut agnoscat, Librum illum Doctrinam illam, quæ scitu absolute necessaria est, si homo felix esse velit, in se continere. Si vero à Veritate Revelationis, uti plerumque in disputatione cum Adversariis fieri solet, incipere velimus, convictio longe difficillima erit, nec enim cupit adhucdum Adversarius, ut Revelatio vera sit, nec necessitatem agnoscit, unde non facile in assensum trahi potest. Ii qui S. Scriptu-

ræ

ræ divinitatem probant, plerumque argumentis historicis uti solent, sed quis nescit quot exceptionibus ejusmodi argumenta in Naturalistarum animo exposita sint, ut Mens illorum sceptica vix iis assensum præbeat, quæ ante oculos habent, nedum iis, quæ ante tot sæculorum cursum gesta dicuntur, omnia Historica ipsis dubia, omnia suspecta videntur. Multi hanc demonstrationem à Miraculis incipiunt, & negandum non est quod, si probetur vere contigisse Miracula Christi & Apostolorum, etiam de Religionis Christianæ Veritate dubitari amplius non possit; licet vero testes veracissimi adducantur, ita tamen comparatus est Naturalistarum animus à revelata Religione aversus, ut res gestæ etiam certissimæ vix apud eos fidem inveniant; Unde si mihi dicere licet quod res est, sepositis omnibus præjudiciis, ea incredulos convincendi methodus non concinna mihi videtur, quæ à rebus Historicis, aut Miraculis argumenta sua depromit, valebant hæc eo tempore quammaxime, quo nova illa Doctrina prolata fuit, & homines ipsimet præsentes Miracula intuebantur, neque propterea illa ipsis suspecta esse poterant; Valent adhucdum apud eos, quorum Mens scepticismo non imbuta est; Sed qui animum illorum novit, in quo Scepticismus Theologicus altas radices egit, is facile mihi concedet, omnem fere laborem frustraneum esse, si miraculis, si rebus ante septendecim secula gestis, quarum nequidem necessitas ab iis agnoscitur, illorum incredulitatem impugnare velimus. Non possum hac in re dissentire ab Autore Epistolarum lingua Gallica exaratarum *sur la Religion Essentielle à l'homme, qui dicit: Introd. à l'Ouvrage;* „ Il „ n'y a donc pas de quoi s'etonner, si les preuves qui „ consistent en Faits font peu d'impression sur les es„ prits de notre Siécle. Par rapport à la Religion „ sur-tout ils ont pris une autre tournure: & si l'on „ veut avoir chez eux quelque entrée, il faut les sup„ poser tels qu'ils sont, les prendre par ou ils sont pre„ nables, in Nota addit: Telle est la disposition des „ Hommes de notre tems, de ceux qui passent, (*dicere potuisset, qui veulent passer*) pour être les

„plus sensés - - - de Gens delicats sur cet article, „de Gens qui veulent tout aprofondir par eux-mê- „mes, ce seroit se moquer que de prétendre leur „faire passer pour bonnes des preuves prises de Faits, „arrivés il y a 16. à 17. Siécles; tandis-qu'ils ne les „tiendroient pas pour valable, quand même elles „auroient lieu de nos jours. Pag. sequente in textu pergit; „Je pencherois fort à croire, que si la Reli- „ligion peut leur être présentée d'une maniére qui „la leur rende respectable, ce ne sera pas en l'ap- „puyant sur des Preuves de nature etrangére, ce ne „sera jamais que par une Autorité prise d'elle-même, „independente de toute autre, & qui par cet endroit „n'ait rien d'equivoque. La difference est grande „en effet, entre acquiescer à la Verité par le poids „que l'Evidence lui donne, ou donner son acquie- „scement au temoignage que d'autres lui rendent, „& Lettre VI. Edit. Lond. pag. 71. Si l'on dit que „ces hommes inspirés ont prouvé la Divinité de leurs „Ecrits par des Miracles, cet homme n'aura guéres „moins de peine à s'assurer de la Verité de ces Mi- „racles; il ne s'en tiendra pas au temoignage qu'eux „mêmes en rendent. Car s'il ne doit tenir leurs „Ecrits pour divins que par la preuve des Miracles, „il faut qu'il soit assuré d'ailleurs que ces Miracles „sont réels. Hoc ergo cum Naturalistis modo agen- dum est, quem nos Cap. III. in demonstratione Veri- tatis Religionis Revelatæ observavimus, ut primo il- lius Necessitas stabiliatur & adversariorum animus de illa convincatur, ut ipsimet optent dari Revelationem, hoc si ab ipsis obtineri potest, demonstrandum por- ro, quod Revelatio aliqua existat, talem continens Doctrinam, quæ ei quod illam necessariam reddit, & Criteriis ex principiis Rationis demonstratis exacte re- spondet; A Corde ergo Adversarii incipiendum, ut ad sui cognitionem ducatur & desideret, ut status suus melior fiat, sine hoc omnia argumenta historica fru- stranea erunt.

Pro-

Propositio VII.

§. C.

Religio Peccatoris Mysterii expers esse nequit.

§. CI.

Cum enim Religio Naturalis homini Peccatori salvando insufficiens sit (per Propos. III.), & Revelata sit absolute necessaria (Propos. IV.), hæc vero Mysterii expers esse nequeat (Cap. III. §. 928. Cap. IX. §. 71 - - 86.) : E. nec Religio Peccatoris Mysterii expers esse potest.

Objectionum Præcipuarum solutio.

§. CII.

Ne inique agamus cum Adversariis nostris, neque ex contradicendi pruritu & metu doli in unoquoque Articulo illorum Systematis negemus aliquid, quod negandum minime est, ante omnia liberales erga ipsos erimus, concedendo plurimas illorum Theses & eas quidem, quas fundamenti loco Doctrinæ suæ supponunt.

§. CIII.

Et primo quidem concedimus præcipuum dogma, quod primam illorum, ad Doctrinam nostram de Religionis Revelatæ Veritate debellandam, quasi aciem constituit; nempe quod Religio Naturalis ita perfecta sit, ut ipsi plane nihil

desit

desit ejus, quod ad ipsius Naturam & Essentiam pertinet, ut impossibile plane sit illam perfectiorem reddi aut illius præcepta ampliora fieri (§. 80. 81.).

Bene igitur se habent verba TINDALII libro sæpius citato Cap. VI. Edit. Germ. pag. 105. „ Mit einem „ Worte: Wenn die hœchste innerliche Vortrefflich„ keit, die grœste Deutlichkeit und Einfalt, die Ein„ fœrmigkeit, die Allgemeinheit, das Alterthum, ja „ gar die evvige Dauer, den Werth eines Gesetzes „ erklæren kan; so mus man gestehen, dass alle die„ se Eigenschaften in einem hohen Grade dem Gesetze „ der Natur zukommen.

§. CIV.

Secundo. Cum Naturalistis etiam maxime in hoc consentimus, quod nihil Religionis veræ pars esse possit, quod non ipsa rerum Natura nititur, & quod non ex Bono illo fluit, quod per Religionem intenditur.

Placent ideo quæ TINDALIUS de hac re dicit Cap. XIV. pag. 623. contra CLARCKIUM disputans dum inquit: „ Welches nicht allein dieses in sich fasset, „ dass der Grund der Dinge und die Gœttlichen Ge„ botte unzertrennlich miteinander verknüpffet sind: „ sondern auch, dass der Grund oder die Schicklich„ keit der Sache es sey, vvelches dieselben zu einem „ Gœttlichen Gesetze machet. Und folglich, dass „ diejenigen, vvelche von einiger ausserer Offenbah„ rung niemahls etvvas gehœret haben, vvenn sie nur „ aus der Natur der Dinge erkannten, vvas für sie zu „ thun schicklich sey, nicht vveniger alles dasjenige „ erkannt hætten, vvas Gott von ihnen erfordern „ vvolle (nempe qua Creaturis) oder auch einmahl „ erfordern kœnne. Denn seine Gebotte müssen „ nach der vorhergængigen Schicklichkeit der Din„ ge abgemessen vverden: Und von den Dingen „ kan man auf keine andere Art sagen, dass die Schick-

„ lich

„ lich oder Unschicklich seyen, als so ferne dieselben
„ dem allgemeinen Besten entweder gemäss oder zu-
„ wider sind. Da nun der Schöpffer alles zu thun
„ willig ist, was nach der Verbindung, in welcher
„ er mit seinen Geschöpffen stehet, sich für ihn zu
„ thun schicket; Und hinwiederum nichts von ihnen
„ verlanget, als was nach der Verbindung, in wel-
„ cher sie mit ihm und unter einander stehen, sich für
„ sie zu thun schicket.

§. CV.

Tertio. Recte faciunt Naturalistæ dum asserunt, Religionem Naturalem talia præscribere præcepta, quæ ex ipsa Dei hominumque Natura & mutua ad seinvicem Relatione fluere ipsa Ratio dictat.

TINDALIUS mox ab initio Capitis II. Religionem Naturalem ita describit: „ Durch die natürliche Re-
„ ligion verstehe ich, wenn man glaubet, dass ein
„ Gott ist, und wenn man diejenigen Pflichten sich
„ vorstellet und ausübet, welche aus unserer Erkennt-
„ niss entspringen, die wir durch die Vernunft er-
„ langet haben, so wohl von Gott und seinen Voll-
„ kommenheiten, als von uns selbst und unseren eige-
„ nen Unvollkommenheiten; ingleichen von der Ver-
„ bindung, worinnen wir mit Gott und unserem Ne-
„ ben-Menschen stehen. Et Cap. III. pag. 45.
„ *Optime Autor hic rem exprimit dicens:* Das
„ Buch der Natur leget uns die Verbindung, in wel-
„ chet wir mit Gott und unseren Neben-Menschen
„ stehen, und die Pflichten, welche daher entsprin-
„ gen, in solchen Zeichen vor Augen, welche alle
„ Welt lesen kann. Auf solche Art lehret uns das-
„ selbe den ganzen Umfang unserer Pflichten. Denn
„ es wurde ungerecht und tyrannisch gehandelt seyn,
„ wenn jemand, es sey wer es wolle, mehr von
„ dem andern fordern wolte, als seine Pflicht, nach
„ der Verbindung, welche zwischen ihnen ist, mit
„ sich bringet; Denn diese einige Verbindung ist es,

„ wo-

„ vvovon er ſeine rechtmæſſige Gevvalt und Anſe-
„ hen hat.

§. CVI.

Quarto. Omnino in Religione tam Naturali (§. 787. Cap. III.), quam Revelata (l. c. §. 1067.), omnia ad hominis Salutem tendere debent.

Vide TINDALL ſub finem Cap. III.

§. CVII.

Quinto. Etiam apprime in rem noſtram facit aliud Naturaliſtarum principium, nempe quod omne quod aut non ad finem Religionis conſequendum tendit, aut illi contrariatur, ad Religionis Eſſentiam pertinere nequeat, neque propterea Deus ea præſcribere poſſit.

Optime nobis placent quæ TINDALIUS hac de re habet & cum Principiis noſtris conſentiunt, dum Cap. VII. pag. 114. dicit: „Ferner, vvenn es aus dem „Licht der Natur klar iſt, vvelche diejenigen Verbin-„dungen ſind, vvorinnen vvir mit Gott und unſerem „Neben-Menſchen ſtehen; und daſs vveder Gott noch „Menſchen, vvenn ſie nicht tyranniſch verfahren „vvollen, etvvas vveiteres, als dieſelben verlangen, „von uns fordern kœnnen: Wie iſt es nun mœg-„lich, daſs eine æuſſere Offenbahrung dieſe Grænzen, „über vvelche die innere nicht gehet, überſchreit-„ten ſollte?

„Wenn alles, vvas eine urſprüngliche Offenbahrung „in ſich begreiffet, den Menſchen bloſs ſeiner eige-„nen Vortrefflichkeit vvegen verbindet: dergleichen „alles dasjenige iſt, vvas zu der Ehre Gottes, und „zu dem Beſten der Menſchen gereichet, und eben „dieſes auch die einzigen Abſichten einer aufbehalte-„nen Religion ſind: So kœnnen vvillkührliche und „bloſs nach belieben gemachte Geſetze, vvelche die „Ehre Gottes und das Beſte der Menſchen nicht er-„fordern, vveder zu der natürlichen noch zu der ge-„offenbahreten Religion gehœren.

„Weil

„ Weil so vvohl bey den Gesetzen der Natur, als der „ Christlichen Religion, die Ehre Gottes und das Be„ ste der Menschen die zvvey grossen oder allgemeine „ Gebotte sind: So müssen alle besondere Verord„ nungen nothvvendig unter diesen zvveyen begriffen „ seyn, und so vvohl zu den Gesetzen der Natur, als „ der Christlichen Religion gehœren; gleichvvie das„ jenige, vvas nicht darunter begriffen ist, zu kei„ nem von beyden gehœren kann.

„ Wenn nun also bey verænderten Umstænden ein be„ sonderes Gesetz zu der Ehre Gottes und dem Besten „ der Menschen nichts mehr beytræget; und noch „ vielmehr, vvenn es einem von beyden nachtheilig „ ist: So muss auch dasselbe seine Kraft zu verbin„ den verliehren.

§. CVIII.

Sexto. Concedimus, quod aberratio ab iis, quæ Ratio nobis de Deo dictat, sit fons omnis superstitionis & omnis mali, qua homines vel se vel alios propter Religionem affecere.

Bene ergo se habet quæ TINDALIUS Cap. VIII. probanda suscipit pag. 140. „ Dass dieses, vveil man „ nicht bey den Begriffen geblieben, vvelche uns „ die Vernunft von der Natur Gottes lehret, die Ge„ legenheit gevvesen ist zu allem Aberglauben, und „ so vielen unzæhligem Uebel, vvelche die Menschen „ vvegen der Religion entvveder sich selbst, oder an„ dern angethan haben.

§. CIX.

Illud etiam Principium Naturalistarum cum nostris optime consentit, quod proinde *Septimo* concedimus, quod nulla Religio vera esse possit, quæ cum divinis Attributis non consentit, aut Gloriæ divinæ aliquid derogat, hoc enim universale omnis Veritatis criterium est.

Appro-

Approbat propterea Acutiſſ. TINDAL. Cap. XII. pag. 347. LOCKII verba, quæ extant in Operibus ejus Poſthumis pag. 226. „ Man kann keine Bottſchaft für „ Gœttlich erkennen, die etvvas in ſich enthælt, „ vvelches die Ehre des einigen, allein vvahren un„ ſichtbahren Gottes ſchmæhleret, oder mit der na„ türlichen Religion, und den Regeln der Sittenlehre „ nicht übereinſtimmet. Denn da Gott die Einigkeit „ und Majeſtæt ſeiner evvigen Gottheit, ingleichen „ die Wahrheiten der natürlichen Religion und Sitten„ lehre den Menſchen durch das Licht der Natur zu „ erkennen gegeben hat: So kan man nicht glau„ ben, daſs derſelbe durch die Offenbahrung das Ge„ gentheil behaupten vvolle; Denn dieſes vvurde „ das Zeugniſs und den Gebrauch der Vernunft ver„ nichten, ohne vvelche doch die Menſchen nicht „ geſchickt ſind, eine Gœttliche Offenbahrung von „ den Betriegereyen des Teuffels zu unterſcheiden.

§. CX.

Non poſſumus non *Octavo* etiam hac in re cum Naturaliſtis conſentire, quod Revelatio Religionem naturalem mutare minime poſſit; Neque etiam illius obligationem & præcepta inde fluentia vel tollere vel alia ſubſtituere Religio revelata poteſt, ſed omnia Religionis Naturalis officia ſarta tectaque manent, adeoque illa immutabilis eſt.

Optime hac de re ratiocinatur Acutiſſimus TINDALIUS Cap. XII. pag. 320. „ Gott hat die Menſchen „ zu Perſonen gemacht, vvelche nach allgemeinen „ Bevvegungs-Gründen handeln kœnnen, und ge„ ſchickt ſind die Verbindungen einzuſehen, vvorin„ nen ſie mit Gott und untereinander ſtehen: ingleichen die Pflichten, vvelche aus dieſen Verbindun„ gen entſpringen, und zur Beförderung ihres ge„ meinen Beſten ſo ſehr nœthig ſind. Und folglich, „ da die Religion ſolchergeſtalt auf dieſen unveræn„ derlichen Verbindungen gegründet iſt, ſo muſs die„ ſelbe

„ ſelbe auch zu allen Zeiten, und an allen Orthen
„ eben ſo gut unveränderlich ſeyn. Denn eine æuſ-
„ ſere Offenbahrung iſt nicht im Stande, die gering-
„ ſte Aenderung in dieſen Verbindungen zu machen,
„ ſo vvenig als in den Pflichten, vvelche daher noth-
„ vvendig flieſſen: Und ſie kann dahero (ſcilicet re-
„ ſpectu Religionis Naturalis) nichts anders thun, als
„ dieſe Pflichten anpreiſen und ſie einprægen; Wenn
„ vvir nicht einræumen vvollen, daſs Gott in den lez-
„ ten Zeiten einen Tyrannen abgegeben, und ſolche
„ Gebotte den Menſchen auferlegt hætte, dergleichen
„ die Verbindungen, vvorinnen vvir mit demſelben
„ und untereinander ſtehen, auf keine Weiſe erfodern.

§. CXI.

Uti conceſſimus Religionem illam veram eſſe non poſſe, quæ Perfectionibus divinis adverſatur (§. 109.); ita ultimo etiam veriſſimum eſſe judicamus, quod Religio Revelata Religioni Naturali contradicere minime poſſit, & quod omnis Religio licet pro Revelata habeatur falſa ſit, quæ Naturali contraria eſt.

TINDALIUS hoc aſſerit dum dicit Cap. VI. pag. 110. „ Wir müſſen geſtehen, vveil keine Wahrheit
„ der andern entgegen ſeyn kan, daſs zvviſchen der
„ inneren und æuſſeren Offenbahrung eine genaue
„ Uebereinſtimmung iſt. . . . Oder vvenn man die
„ Sach noch anderſt ausdrucken vvill, daſs die Chriſt-
„ liche Religion (vveil es unmœglich iſt, daſs die
„ Menſchen zu gleicher Zeit zu entgegen geſetzten
„ Handlungen ſolten verbunden ſeyn) nichts gebie-
„ ten kœnne, vvas das Geſetz der Natur verbietet,
„ oder etvvas verbieten, vvas dieſes gebietet. So
„ kan auch keine Sache nach einem Geſetze ein Stück
„ der Religion ſeyn, vvas nach dem andern ein Aber-
„ glaube iſt: Und die æuſſere Offenbahrung kan nichts
„ für den Willen Gottes angeben, vvas das Licht der
„ Natur beſtændig als eine Sache vorſtellet, vvelche
„ Gott viel zu unanſtændig iſt, als daſs er Urheber
„ davon ſeyn ſollte.

Et Cap. XII. in quo Autor probare vult, „Daſs die„jenigen vvider alle Religion überhaupt ſtreiten, „vvelche, um die Offenbahrung zu erheben, die „Kraft der vernünftigen und natürlichen Religion „ſchvvæchen: Ingleichen, daſs nicht zvvo gleichge„vvichtige Regeln, als eine Richtſchnur der menſch„lichen Handlungen, ſtatt haben kœnnen: Quod Caput ita incipit:

„B. Meinem Beduncken nach halten ſie zu viel von „der trieglichen Vernunft, und zu vvenig von der „untrieglichen Offenbahrung. Dahero kan ich mich „nicht entbrechen zu ſagen, daſs dieſe Art, bloſs „aus der Vernunft Schlüſſe zu machen, einen an„dern, der nicht ſo redlich vvære, als ich, auf die „Gedancken bringen vvürde, ſie für einen groſſen „Freygeiſt zu halten?

„A. Was nach der Vernunft vvahr iſt, kan nach der „Offenbahrung unmœglich falſch ſeyn: Und vvenn „Gott ſich ſelbſt nicht betriegen, oder die Abſicht „haben kann, die Menſchen zu betriegen; So iſt es „unmœglich, daſs das Licht, vvelches er denſelben „verliehen hat, um in Religions-Sachen das Wahre „von dem Falſchen unterſcheiden zu kœnnen, ſo „ferne ſolches nur auf die gehœrige Art gebrauchet „vvird, dieſelben in einer Sache von ſolcher Wich„tigkeit betriegen ſollte.

„Pag. 305. addit: Wenn man ſetzet, daſs eine Sa„che nach der Offenbahrung vvahr ſeyn kœnne, „vvelche nach der Vernunft falſch iſt: So dienet die„ſes nicht, die Sache dadurch zu vertheidigen, ſon„dern die Offenbahrung ſelbſt zu untergraben, vveil „nichts vvas unvernünftig, ja vvas nicht am hœch„ſten vernünftig iſt, von einem Gott herkommen „kan, vvelcher eine uneingeſchrænckte, allgemeine „und evvige Vernunft beſitzet.

§. CXII.

Præcipua Naturaliſtarum Principia nunc conceſſimus quoad cum noſtris conveniunt; in hoc vero

vero noſtra ab illis conſiſtit diſcrepantia, quod diverſas ex illis faciamus conſequentias: Illi ex hisce principiis contra Revelationis neceſſitatem, veram illius Naturam non perſpicientes, ratiocinantur; Nos vero majori, uti videbimus, Jure pro illius tam Veritate quam Neceſſitate ex principiis illis argumenta deſumere poſſumus.

§. CXIII.

Id nunc agemus, ut ex datis & demonſtratis tum Principiis tum Propoſitionibus Objectionum illorum falſitatem oſtendamus; eo autem progrediemur ordine, ut *Primo* eas proponamus difficultates, quæ contra Revelationis Neceſſitatem, *Secundo* eas quæ contra veritatem ejus afferuntur, easque ex Principiis indubiis ſolvamus.

§. CXIV.

PRIMA Naturaliſtarum Objectio à Religionis Naturalis perfectione deſumta eſt, quæ talis ſit, ut impoſſibile plane fiat, ut illi majus & perfectius quid addi queat, aut alia & perfectiora præſcribi poſſint officia, aut Naturæ Dei hominumque convenientius quid mandari, & quod magis ad hominis felicitatem tendat, præcipi poſſit. Talia enim, inquiunt, in Religione Naturali mandantur officia, quæ nobis inſtituendis regendisque ſufficiunt & quæ hominem non poſſunt non felicem reddere. Ut adeo nec Lege perfectiore neque ideo Revelatione opus ſit.

Ut bona fide cum Adverſariis meis eorumque Anteſignano Acutiſſimo TINDALIO agam, neceſſum eſt, ut Argumenta ipſis illius verbis proponam: quoad præſentem, quæ ſolvenda eſt, difficultatem ſequentia habet. Cap. I. pag. 5. 6. „ Wenn Gott den Menſchen

„gleich im Anfang eine Religion bekannt gemacht „hat, so frage ich vveiter, vvar diese Religion voll„kommen, oder vvar sie unvollkommen? Ohne „Zvveiffel vvar sie die allervollkommenste. Denn „diejenige Religion, vvelche von einem unendlich „vveisen und vollkommenen Wesen ihren Ursprung „hat, muss nothvvendig auf alle Weise vollkommen „seyn. Kann nun eine auf alle Weise vollkommene „Religion geændert vverden? Kann man vvohl bey „derselben etvvas hinzu setzen oder darvon thun? „Oder muss sie nicht vielmehr so unveränderlich seyn „als der Urheber derselben ist? Ich vvill so viel sa„gen: Kann vvohl die Offenbahrung zu einer so voll„kommenen, allgemeinen und unveränderlichen Re„ligion das geringste hinzusetzen? Ausser diesem „muss ja auch Gott, vvenn er den Menschen ein Ge„satz gegeben, ihnen auch zugleich hinlængliche Mit„tel gegeben haben, dasselbe zu erkennen: Sonst „vvürde er bey dieser Gesatzgebung seiner eigenen „Absicht verfehlet haben. *Et Cap. III. pag.* 51. *postquam de Naturali inter Deum & Creaturas rationales Relatione & Obligatione loquutus esset addit:* Wenn nun eine Offenbahrung vveniger ver„langte, als diese Verbindungen von uns erfordern, „so vvurde ja dieselbe eine unvollkommene Regel „seyn: Und vvenn sie mehr haben vvolte, so vvür„de dieses anzeigen, dass der Urheber derselben Ti„rannisch vvære, vveil er seinen Unterthanen, und „dieses noch dazu unter Bedrohung der schvvereften „Straffen, unnœthige Dinge auferlegte.

„Cap. VI. eo tendit Autor ut probet, dass die natür„liche Religion die allervollkommenste Religion sey: „Ferner, dass eine ausserе Offenbahrung zu ihrer Voll„kommenheit vveder etvvas hinzusetzen, noch da„von thun kœnne: Ingleichen, dass die vvahre Re„ligion, sie mag von einer inneren oder ausseren Of„fenbahrung ihren Ursprung haben, bestændig einer„ley seyn müsse. *Cap. X. pag.* 227. *Argumenta-*

„*tionem*

„ *tionem suam hisce complectitur verbis.* Kurz, „ das Gesatz der Natur ist entweder ein vollkommenes Gesatz oder nicht. Wenn das erste ist: So leidet dasselbe keine Zusætze. Soll aber das lezte „ seyn: Zeiget es denn nicht einen Mangel der Weisheit bey einem Gesatzgeber an, wenn derselbe „ erstlich ein solch unvollkommenes Gesatz giebt; „ und denn dasselbe von einem Jahrhundert zu dem „ andern so unvollkommen bleiben lasset; und endlich glaubet, solches auf alle Weise vollkommen „ zu machen, wenn er blos einige aufgebrachte und „ willkührliche Gebotte dazu thæte? Zu was Ende „ pflanzet denn Gott noch immer den Christen so „ wohl als andern dieses Gesatz der Natur in das „ Herz? Denn dieses würde unnœthig seyn, wenn „ denselben ein anders vollkommeneres und deutlicheres Gesatz geoffenbahret wære.

§. CXV.

Unum ex primariis Naturalistarum Principiis hoc est, quo Revelationis Necessitatem subruere annituntur, quod vero ex iis quæ jamjam à nobis sunt explicata & demonstrata solvi facillime potest.

§. CXVI.

Sequentia nimirum ad solvendam hanc difficultatem sunt observanda α. Religionem Naturalem omnino maxime perfectam esse, & ita quidem ut perfectioni illius nihil plane desit, quod non tantum concessimus, sed & demonstravimus (§. 80. 81.).

§. CXVII.

β. Religionem Revelatam Naturali plane nihil addere, nec quidquam etiam demere, sed accedente Religione Revelata sartam illam manere tectamque (§. 76. 77.): imo per Revelationem corroboratur potius & confirmatur.

§. CXVIII.

γ. Religionem Naturalem omnino manere immutabilem (§. 783. Cap. III.), quamdiu Deus Creator & Conservator & homo creatura manet.

§. CXIX.

δ. Et cum Religio utraque ex diversa hominis ad Deum Relatione & inde nascente obligatione oriatur (§. 76.), officia ex illis fluentia seinvicem nec tollunt nec perfectiora reddunt, per novam enim obligationem, præcepta ex priori fluentia nec amplificantur & augentur, nec perfectiora fiunt, sed manent eadem quantitate & qualitate, & quia relatio & obligatio semper manet eadem, officia etiam & præcepta eadem manent; imo impossibile est, ut præcepta ex naturali inter Deum & hominem Relatione fluentia aut perfectiora fieri aut augeri possint (§. 77. 83.): Si vero nova propter mutatum hominis Statum accedat Relatio, novum Dei Beneficium, nova obligatio, nova ex illa fluentia officia, illa non ceu Religionis Naturalis augmentum & amplificatio considerandа sunt, cum non ad eam pertinent, sed propter mutatum hominis statum & ea occasione ipsi à Deo collatum novum Beneficium, quod à priori scilicet Creationis & Conservationis differt, & alius generis est, etiam officia inde fluentia à prioribus differunt, unde seorsim ab illis quæ in Religione Naturali continentur spectanda sunt, ex quo tamen, uti infra videbimus, minime sequitur, illa non etiam in ipsa rerum Natura fundata esse.

Si

§. subditus aliquis qua talis Juri Naturæ politico & Legi civili & per illam quoque obedientiæ erga Principem obstrictus sit, & si nova insuper, præter communem illam accedat obligatio propter insigne aliquod Beneficium à Principe ipsi collatum, ex qua obligatione nova, oriuntur officia quædam nova & specialia, an propterea Jus Naturæ Politicum & Lex Civilis, an statuta illa Reipublicæ Bonum spectantia, augentur? an perfectiora per id redduntur? Vel an quidquam in illis mutatur? An propterea imperfectionis arguuntur? Minime vero, illa eadem manent, eundem quem antea perfectionis Gradum obtinent, neque magis vel minus perfecta inde fiunt; sed posteriora officia ex posteriori obligatione fluentia speciale quid sunt, seorsim propterea spectanda, quo vero priorem obligationem nequaquam vel tollunt vel mutant. (§. 77. in Schol.).

§. CXX.

4. Patet ex dictis, falsa esse Adversarii ratiocinia supra allegata, quasi ex Revelationis Necessitate sequeretur, Legem Naturalem neque perfectam fuisse, nec Sapientia Dei dignam, antequam Revelatio facta fuerit, illamque per Revelationem amplificatam & perfectiorem redditam esse.

§. CXXI.

5. Cum Religio tam Naturalis quam Revelata ex hominis erga Deum obligatione fluat (§. 76.): Sequitur etiam falli Adversarium nostrum, dum putat, quod, si Religio Revelata adhuc aliud quid quam Naturalis ab homine postulet, officia illa ex obligatione hominis non fluant, adeoque præcepta illius tyrannica sint.

§. CXXII.

6. Ad Legem Naturalem cognoscendam homini omnino sufficiens Natura erat facultas, &

Lex Naturalis in se est clarissima (§. 84.), sed 2. Hominis culpa factum est, ut illam, propter Intellectus tenebras licet clarissimam, non amplius in omni perfectione sua intelligeret (§. 92.). 3. Licet illam cognoscat, tamen non servat (§. 836. Cap. III.), ipsa enim Lex Naturalis adhucdum in se sufficiens est ad hominem sive quamlibet creaturam rationalem felicem reddendam, si exactissime illa observetur. Lege vero illa violata status hominis moraliter imperfectus fit, ex quo semet extricare nequit (§. 916. Cap. III.), propterea, licet Legem Naturalem perfectissimam cognoscat, eam tamen non observat, unde alio indiget divino Beneficio, Medio scilicet Liberationis (Propos. III. & IV.), ex quo Beneficio novum oritur dependentiæ genus, nova Relatio, nova obligatio, nova Religio, nova officia, ut adeo Revelatio non eum præcipue in finem data sit, ut homini Religio Naturalis explicetur: Sola enim illius cognitio non sufficit; unde in hoc etiam fallitur Adversarius noster, quod contra Religionis Revelatæ Necessitatem ex hoc argumentatur, quod Præcepta Religionis Naturalis sint clarissima.

Observandum insuper, quod ab iis, qui ex Revelatione Veritates didicerunt & lucem ex illa acceperunt, multa perspici queant ad Religionem Naturalem pertinentia, multoque major ejus cognitio haberi possit, quam vero ab iis, qui omni plane Revelationis auxilio destituti sunt uti Gentiles omnes, si enim cognoscere velimus, quid Ratio hominis possit & quousque ejus cognitio in Rebus divinis pertingat, non ex illorum operibus id dijudicandum, qui Verbo divino illustrati Systemata Theologiæ Naturalis composuerunt, sed videndum potius, quid illi præstiterint, qui Verbo divino plane caruerunt; Faciunt nimirum Naturalistæ idem

idem quod ii quibus à Præceptore Liber explicatus fuit, multa in illo perſpiciunt quæ ſine præceptoris ope nunquam perſpexiſſent, ita, verba ſunt WERENFELSII Diſſ. III. de Præſtant. Relig. Rev. p. 152. Naturaliſtæ, *poſtquam ex S. Litteris omnia depromſerunt quæ placent, dicunt ſe ea ratiocinando inveniſſe.* Opuscula I, 1782, p. 75

§. CXXIII.

Alia quam proferunt *Objectio* à Religionis Naturalis Legumque naturalium immutabilitate deſumta eſt: ſi enim, inquiunt, Religio fluit ex certa erga Deum hominesque relatione & inde naſcente obligatione, obligatio autem illa ſemper eſt eadem, ſequitur etiam Religionem ſemper eſſe eandem & immutabilem, illique per Revelationem externam plane nihil addi poſſe; idque etiam per Dei Omniſapientiam probant, per quam aliter fieri non potuerit, quam ut quamprimum Creaturas rationales conderet, illis etiam Religionem omnibus numeris perfectam & præſtantiſſimam daret, quæque adeo per Revelationem in melius mutari nequeat.

Ipſa TINDALII verba ut allegemus neceſſum erit, extant illa hac de re Cap. II. pag. 32. 33. „ Nachdem vvir nun ſolchergeſtalt unſere Pflichten entdecket haben, ſo kœnnen vvir uns auch verſichert halten, daſs dieſelben zu allen Zeiten einerley ſind: Denn die Unbeſtændigkeit zeiget allezeit einen Mangel der Weisheit oder Macht an, und kan alſo bey einem unendlich vveiſen und mæchtigen Weſen nicht ſtatt haben. Was eine untriegliche Weisheit einmahl angeordnet hat, das kan nicht mangelhaft ſeyn: Und da Gott von aller Partheylichkeit vollkommen frey iſt, ſo müſſen auch auf gleiche Weiſe ſeine Geſetze ſich auf alle Zeiten und auf alle Orte erſtrecken.

„ Aus dieſen voraus angeführten Sætzen kœnnen vvir „ nun kühnlich folgenden Schluſs machen : Wenn „ die Religion in der Ausübung derjenigen Pflichten „ beſtehet, vvelche aus der Verbindung entſpringen, „ vvorinnen vvir uns in anſehen Gottes und anderer „ Menſchen befinden, ſo muſs unſere Religion zu al- „ len Zeiten einerley ſeyn. Iſt es vvahr, daſs Gott „ unveränderlich iſt, ſo müſſen unſere Pflichten ge- „ gen ihm eben ſo unveränderlich ſeyn. Bleibet „ die menſchliche Natur zu allen Zeiten einerley, „ und haben die Menſchen beſtændig einerley Ver- „ bindungen unter einander, ſo müſſen die Pflichten, „ vvelche daher entſpringen, allezeit einerley blei- „ ben : Und folglich müſſen unſere Pflichten, ſo vvohl „ gegen Gott, als gegen andere Menſchen, von An- „ fang der Welt biſs ans Ende derſelben, beſtændig „ einerley bleiben, zu allen Zeiten gleich klar und „ deutlich ſeyn, und auf keine Art vveder ganz noch „ ſtuckvveiſe verændert vverden. Woraus dann un- „ vviederſprechlich folget, daſs keine Perſon, vvel- „ che von Gott geſandt vvorden, uns eine andere Re- „ ligion lehren oder andere Geſetze geben kan, als „ vvelche in dieſen Verbindungen der Dingen unter- „ einander gegründet ſind : Himmel und Erde muſs „ eher vergehen, als ein einziger Punct von dieſem „ evvigen Geſetze ſolle abgeſchaffet oder geændert „ vverden.

§. CXXIV.

Optime hic Adverſarius noſter ratiocinatur, nec poſſumus non in omnibus fere his ipſi aſſentiri, quamcunque hæc Revelationis Neceſſitati Autori contradicere videantur : Concedimus enim 1.) Religionem ejusque officia ex obligatione fluere (§. 76.). 2.) Aſſerimus cum Autore Legem ex hac obligatione fluentem eſſe immutabilem (§. cit. num. 9.). 3.) Illam etiam ita perfectam eſſe demonſtravimus, ut ipſi plane nihil deſit (§. 80. 81.). 4.) Concedimus etiam nullam

lam creaturam à Deo missam aliam nobis præscribere posse Legem, quam quæ ex ipsa hominis erga Deum relatione & inde nascente obligatione fluit.

§. CXXV.

Inde tamen minime sequitur, accedente nova inter Deum & hominem relatione, propter mutatum illius statum moraliter perfectum, Deum homini moraliter imperfecto facto præter Beneficia Creationis & Conservationis adhuc singulare aliquod Necessitati Creaturæ rationalis accommodatum exhibere non posse, ex quo nova oriatur obligatio, officia nova, quæ priora ad Religionem Naturalem spectantia minime mutant aut imperfectionis arguunt, sed illa præsupponunt (§. 83.). Si hominis status idem semper mansisset, qualis ab initio fuit, Religio Naturalis sola mansisset & sufficisset, cum vero homo novo opus habuerit Beneficio divino, non Dei, qui immutabilis est, sed propria culpa, etiam nova accessit ex Beneficio illo obligatio, nova ex illa officia, quæ etiam immutabilia sunt, quam immutabilis ipsa illa obligatio est & hominis etiam hac in re à Deo dependentia.

§. CXXVI.

OBIICIUNT *tertio*, quod, cum finis Religionis tam Naturalis quam Revelatæ unus idemque sit, nempe felicitas hominis, sequatur etiam Media ad finem hunc ducentia debere esse eadem, ut adeo Revelatio alia felicitatis consequendæ Media præscribere non possit quam Religio Naturalis, dum alias sequeretur officia, quæ hæc Religio præscribit, imperfecta esse, quod Sapientia

tia & Bonitate Dei indignum esset, si nimirum talem menti hominis inscripsisset Legem, quæ felicitati hominis promovendæ insufficiens & propterea Medium imperfectum esset ; Ex hisce patere ajunt, quod Religio Revelata nihil aliud præscribere possit quam Media ad Finem Religionis consequendum perfectissima, quæ Religio etiam Naturalis præscribat, ut adeo hæ duæ Religiones ratione essentiæ inter se differre nequeant, neque aliud quam in modo Patefactionis discrimen esse possit ; dum vero Religio Naturalis, quod Dei Sapientia & Bonitas postulat, sit clarissima, revelata vero nihil aliud præscribere possit quam Naturalis, sequi illam plane supervacaneam esse.

Nonnulla ex **TINDALIO** huc pertinentia allegenda sunt, dicit in Argumento Capitis IX. „ Weil die „ Glückseligheit der Menschen die lezte Absicht und „ Endzweck aller aufbehaltenen, so wohl als der ur„ sprünglichen Offenbahrung, ist, so müssen sie auch „ beyderseits einerley Mittel dazu vorschreiben ; Denn „ die Mittel, welche die menschliche Glückseligkeit „ zu einer Zeit befœrderen, thun dieses eben so wohl „ zu allen Zeiten. *Caput hoc deinde hisce verbis claudit* : Dieses ist der einzige Punct, welcher die Fra„ ge entscheiden muss, ob die natürliche und geoffen„ bahrete Religion von einander unterschieden sind ; „ Was die natürliche Religion anbelangt, so begreif„ fet dieselbe, wie ihnen wohl bekannt ist, alle die„ jenige Pflichten in sich, welche aus dem Grund „ und der Natur der Dinge, ingleichen aus den Ver„ bindungen fliessen, worinnen wir mit Gott und „ unserem Neben-Menschen stehen. Und folglich „ wenn man eine eingeführte Religion antrift, wel„ che von der natürlichen unterschieden ist, so müs„ sen ihre Gesetze willkührlich seyn, als solche, wel„ che nicht auf der Natur und dem Grund der Din„ ge beruhen, sondern von der blossen Willkühr,

„ und

„ und dem Belieben herrühren, sonst vvurde sie mit „ der natürlichen Religion einerley seyn. Ob es nun „ gleich schvver ist zu ervveisen, dass etvvas nicht ist, „ so bin ich doch, vvie ich glaube, im stande, ihnen „ deutlich zu zeigen, (vvenn ich ausserr den bisher „ angeführten Gründen noch andere beybringen vver- „ de) dass Gott der grosse Monarch der Welt, den „ Menschen keine solche Gesetze geben kœnne, und „ folglich, dass die natürliche und geoffenbahrte Re- „ ligion vveiter nicht von einander unterscheiden sind, „ als nach der Art vvie sie bekannt gemacht vvorden.

Cap. VII. cujus scopus est ostendere : „ Dass die na- „ türliche und geoffenbahrte Religion, vveil beyde „ einerley Absichten haben, auch in ihren Gesetzen „ miteinander überein kommen müssen : ita incipit.

B. Wenn man nun gleich zugiebt, dass die natürliche „ Erkænntniss, vvelche vvir von Gott, uns selbst und „ unserem Neben-Menschen haben, der Grund von „ aller Religion sey : Kan denn aber eine æussere Offen- „ bahrung, vvenn sie auf diesen Grund bauet, nicht „ ein grœsseres und herrlicheres Gebæude aufführen, „ indem sie dieselbe auf solche Dinge erstrecket, vvel- „ che das Licht der Natur nicht erreichen kan, ohne „ jedoch einigem Saz, den dasselbe lehret zu vvie- „ dersprechen.

A. Ich dæchte, ich vvære diesem Einvvurf schon zu- „ vor gekommen, da ich bevviesen habe, die natür- „ liche Religion sey so vollkommen, dass man zu der- „ selben nichts hinzu thun kœnne : Ingleichen, dass „ man von der Wahrheit aller Offenbahrungen nach „ der Uebereinstimmung mit derselben urtheilen müs- „ se. Jedoch, vveil dieser Einvvurf unter allen die sie „ bishero vorgebracht haben, der allerscheinbahreste „ ist, so antvvorte ich darauf : Wenn unsere natürli- „ che Begriffe von den gœttlichen Vollkomenheiten uns „ überführen, dass Gott nichts von seinen Geschœpf- „ fen fordert, als vvas zu ihrem Besten dienet : so ist „ alles, vvas zu dieser Art gehœret, nichts anders, als „ vvas aus dem Gesetz der Natur hergeleitet vvorden, „ und also zu demselben gehœret ; oder vvenn man

„ die

„ die Sache mit andern Worten ausdrücken will, was „ die Vernunft, oder die Natur der Dinge selbst uns „ deutlich zu erkennen geben. Für alle andere Dinge, „ welche keinen solchen Endzweck haben, muss „ man einen andern Grund suchen, eine andere Na„ tur, welche von der Göttlichen ganz und gar un„ terschieden ist, wenn man sein Heu und Stoppeln „ darauf bauen will.

§. CXXVII.

Respondemus α. Autorem recte asserere Religionem tendere ad maximam hominis felicitatem, est id quod à nobis tam de naturali quam de revelata demonstratum est (§. 76. num. 10.); Nec nunc aliquid habemus contra, sed persuasissimi sumus, omnem illam Religionem, quæ non ad maximam hominis perfectionem tendit, falsissimam esse; & etiam hic declaro, quod si aliquid in Sacris Litteris inveniretur, quod huc non collimat, illud à me pro Dei Verbo agnosci non posse, sed merum additamentum esse.

§. CXXVIII.

β. Iterum declaramus, quod à nobis jam demonstratum est, (§. 1028. Cap. III.), quod Revelatio cum Attributis divinis exactissime convenire debeat, adeoque in ipsa Dei Natura, illud quod revelatur, fundatum sit oportet, & omnia tam in Religione Revelata quam Naturali, ad Dei Gloriam tendere debent (§. 76. num. 5.), qui ultimus omnium rerum finis est.

§. CXXIX.

Uti in hisce cum Autore consentimus, ita hypotheseos illius falsitas nunc à nobis ostendenda; unde observandum. γ. Quod acutissimus Vir fru-

fruſtra ſemper ad Religionis & Legis Naturalis ſummam Perfectionem provocet, nemo ex noſtris hoc negare poteſt, Religionem Naturalem in ſe perfectam eſſe; imo ſi illius præcepta omnia omni tempore exactiſſime obſerventur, illam ad maximam felicitatem conſequendam omnino ſufficientem eſſe, ut nulla plane alia Religione opus ſit; ſed falſo tacite ubique ſupponit Autor, hominem illam obſervare & obſervare poſſe; Nam facile mihi Adverſarius quisque concedet, quod hoc non ſufficiat, ut Lex aliqua in ſe ſit perfectiſſima ad noſtram felicitatem promovendam, ſed hoc requiritur, ut Lex illa obſervetur; Hinc Autor non id demonſtrare debuiſſet, quod Religio illa ſit abſolute perfecta; ſed quod illa ab hominibus obſervetur & ab illis adhucdum exactiſſime obſervari poſſit: Hoc, hoc eſt illud, in quo ab invicem differimus; hoc ſi quisquam Naturaliſtarum demonſtrare poterit, victas illis dabimus manus. Aut enim demonſtrare poſſunt, homines exiſtere, qui Religionem Naturalem per integram vitam ſuam exactiſſime obſervaverint, aut id non poſſunt; prius impoſſibile, cujusvis conſcientia reclamat, ergo demonſtrari nequit; ſi vero nemo hominum reperiatur, qui hoc de ſe aſſeverare poſſit, vel qui non contrarii convinci queat, res huc redit, an Satisfactio pro Religionis Naturalis transgreſſione abſolute neceſſaria ſit? Negativa ab Adverſario nullibi demonſtratur, affirmativa vero propoſitio à nobis (§. 904. 907. Cap. III.) demonſtrata fuit. Si vero Satisfactio ſit abſolute neceſſaria, quæritur an homo ipſemet illam præſtare poſſit, contrarium patet ex (§. 914. Cap. III.), ſi homini illius præſtatio impoſ-

impossibilis sit, denuo quæritur, num Medium Liberationis ex statu illius imperfecto in Religione Naturali inveniatur, contrarium demonstratum est (§. 86.). Ex hisce liquet, quid Naturalistis probandum incumbat, si Revelationis Necessitatem subruere, si illius fundamenta evertere velint; Ex dictis enim clarissimum est, frustranea ea omnia esse, quæ Adversarius Naturalistarum Princeps de Religionis Naturalis perfectione per integrum Librum suum affert & probat, indeque Revelationem vel plane excludere vel saltem omnem illius à Religione Naturali differentiam tollere contendit.

Non ideo Religionem Revelatam necessariam dicimus, quod Naturalis imperfecta sit, absit à nobis ut hoc statuamus, culpam quod illa insufficiens sit, non in Religione illa perfectissima, sed in homine quærimus; unde Adversariorum demonstratio ita comparata esse debet, ut ostendant, nos falso statuere, quod homo Religionem Naturalem non observet.

§. CXXX.

δ. Licet ergo Religio Naturalis in se sit Medium sufficiens ad finem ultimum consequendum, propter hominis tamen corruptionem factum est, ut homo propria culpa Medio illo non utatur, neque etiam debito modo uti possit; accidentaliter ideo factum, ut Religio Naturalis Medium in se sufficientissimum & perfectissimum à parte hominis insufficiens factum sit; quid vero impedit, quo minus Deus Ter-Optimus ex singulari erga Genus humanum Gratia defectum illum supplere, & in hominis Bonum aliud Medium præsenti hominis statui accommodatum substituere possit. Si status hominis integer mansisset, ut Medio illo

suffi-

sufficientissimo uti potuisset, Medio per Revelationem patefacto opus nunquam fuisset, sed mutato illius statu moraliter perfecto, tale præscribendum fuit Medium ad finem ultimum consequendum, quod mutato hominis statui conveniens esset, male ergo concludit Autor, quod ea Media, quæ uno tempore hominis felicitatem promovere possint, id etiam alio tempore præstare queant; valeret hoc si status hominis immutabilis fuisset.

§. CXXXI.

e. Male etiam Autor infert, quod officia illa, quæ non stricte ad Religionem Naturalem pertineant, omnia sint mere arbitraria, quæ cum non in ipsa rerum Natura fundata sint, hominem obligare nequeant, neque etiam propterea Deum homini jure illa præscribere posse. Per Legem Arbitrariam talem intelligere Autor videtur, quæ nec in Attributis divinis fundamentum suum habet, nec ad promovendam hominis felicitatem tendit; si vero illud quod duo hæc requisita habet in ipsa rerum Natura fundatum sit, & quod ex obligatione hominis erga Deum fluit, Præcepta Religionis Revelatæ non sunt Arbitraria, dum omnia hæc requisita habent, quæ postulantur ad hoc, ut in ipsa rerum Natura fundata sint (§. 76. num. 4. 5. 6. 10.).

§. CXXXII.

Porro objiciunt contra Revelationis Veritatem, quod si revera divina Revelatio existeret, Bonitas & Sapientia divina requirerent, ut illa omnibus ætatibus, omnibusque Gentibus communis esset, alias nec Deus ceu universalis aliquis Monarcha omnium suorum subditorum Felicitatem quærens

considerari posset, nec ulla damnationis Ethnicorum caussa adesset, dum nemo ad id obligatur, cujus ignorantia invincibilis est.

TINDALIUS difficultatem hanc non uno tantum in loco urget, supra jam ad §. 7. quædam ex eo allegavimus quæ huc pertinent: Cap. XII. pag. 333. inquit: „Kan vvol der grœste Theil des menschlichen Geschlechts auch heutiges Tages in dieſem erbærmlichen Zustande seyn, und dieſes vvegen Mangels einer Offenbahrung, vvelche Gott nach seiner unendlichen Weisheit auch jetzo noch nicht für schicklich befunden hat, denselben mitzutheilen. *Addit deinde, ut brevibus dicam*, cum divina Bonitate & Monarchæ hujus universalis erga Genus humanum Clementia minime convenire, ut non omnibus Infantibus & Subditis suis illam notam faceret, sed ex partium studio paucis quibusdam tantum excellentem Religionem hanc patefaceret, cum tamen omnes ubique ea indigerent: „Wære, dicit Autor, es ihm nicht „eben so leicht gevvesen, solche allen Vœlkern kund „zu thun, als bloss einem Volck oder einer Person? „oder dieselbe in allen Sprachen bekannt zu machen, „als bloss in einer? Ja vvære es ihm nicht eben so „leicht gevvesen, zur Befœrderung einer so herrlichen Absicht, zu machen, dass alle Menschen nur „eine Sprache redeten, als es demselben Anfangs gevvesen ist, die Sprachen zu vermehren, um die „Menschen von Aufbauung eines Thurms in den Himmel hinauf abzuhalten.

Cap. XIII. pag. 507. addit: „Wie kan man sich einbilden, dass einige von den allernœthigsten Pflichten der Religion bloss in vveitlæufftigen Büchern solten zu finden seyn, von vvelchen der grœste Theil „des menschlichen Geschlechts vielleicht niemahls „das geringste gehœret hat: Und von denen, vvelche davon gehœret haben, unter tausenden nicht „einer nur einen Buchstaben von denjenigen Sprachen verstehet, vvorinnen dieselben geschrieben „sind; oder auch im Stande ist, diejenige Nachrichten

„ ten zu untersuchen, aus vvelchen das Ansehen die-
„ ser Bücher muss hergeleitet vverden. Cap. XIV. p.
„ 705. *Contra Clarckium disputans rem ita pro-*
„ *ponit.*

„ B. Herr Clarck meinet, diese Offenbahrung sey kei-
„ ne Wirckung der Gerechtigkeit Gottes gevvesen;
„ denn sonst hætte dieselbe nothvvendig zu allen zei-
„ ten, und allen Vœlckern müssen gegeben vverden:
„ sondern blos eine Würkung der Gnade und nach-
„ gebenden Gütigkeit desselben.

„ A. Kann vvol ein Wesen gnædig und gütig genen-
„ net vverden, vvelches sich nur blos gegen vvenige
„ also erzeiget: gegen die übrige aber grausam und
„ ungnædig ist? Und vvahrhaftig alle Gründe, vvel-
„ che Herr Clarck von den Bedürfnissen des mensch-
„ lichen Geschlechts und der überhæufften Gütigkeit
„ Gottes anführen kan, vverden eben so vvohl be-
„ vveisen, dass diese Offenbahrung, vvenn dieselbe ei-
„ ne neue Religion gelehret hætte, allgemein seyn,
„ als dass dieselbe überall hætte statt haben müssen.

§. CXXXIII.

Ad scrupulum hunc removendum perpendendum α. an Dei, an vero hominum culpa factum sit, ut Revelatio non omnibus Populis nota sit; nam si caussa ignorantiæ in homine quærenda, defectus ille frustra in Deo quæritur; Historiarum monumentis nimirum constat, Revelationem ab inito universo humano generi traditam fuisse; si vero non pura illa conservata, sed miris modis corrupta fuit, ut pauciſſimæ tantum inter multos Populos illius extiterint reliquiæ, id per hominum socordiam factum, neque propterea Deo imputandum est. Christiana deinceps Religio, licet non ad omnes statim Populos propagata fuerit, ad plurimos tamen pervenit, & hominum resistentiæ ac malitiæ adscribendum,

quod non plures Evangelii Luce colluſtrati fuere, nemini enim non conſtat quantis impedimentis Evangelii curſus hominum malitia præpeditus fuerit; & ipſi etiam illi qui Doctrinam Cœleſtem reſpuebant, quodammodo illius lumine illuſtrabantur.

§. CXXXIV.

β. Deus à nemine plus requirit quam accepit, unusquisque enim pro lumine ſibi conceſſo à Deo judicabitur, quod Apoſtolus aſſerit, dicens: *Eos qui ſine Lege peccarunt ſine Lege perituros, eos vero qui ſub Lege peccaverint, ex Lege eſſe judicandos*, *Rom. II.* 12. Judicium enim Dei ſecundum veritatem eſt. Si vero Gentiles verum Deum ignorarunt, id non defectu Luminis Naturalis ſed proprio vitio factum eſt, dum ad Lumen hoc ipſis à Deo conceſſum nequidem adtendebant, adeoque majore Luce indigni erant, unde etiam excuſatione indigni ſunt.

§. CXXXV.

γ. Et hoc denique obſervandum, quod licet nos rerum cauſſam non ſemper perſpiciamus, omnia tamen ſapientiſſime & æquiſſime à Deo adminiſtrari poſſe; Bonitati ejus quidem convenit, ut homines à vera Via miſere aberrantes per Revelationem in viam reducat; quo autem tempore, quibus circumſtantiis, & quibus modis id fiat, id à Dei Sapientia ſola dependet; vult enim Deus hominibus propriæ ſapientiæ imbecillitatem, Luminis Rationis Naturæque Virium, quales ſuperſunt, inſufficientiam oſtendere, illosque hac ratione de Revelationis Neceſſitate convincere; Vult Miſericordiæ ſuæ divitias hac ratione

ne illustrare, dum statum hominum, quando desperatissimus & turpissimus est, in melius mutat, quantopere enim divino auxilio indigeant homines, ipsimet nunquam agnoscerent, si Deus statim misero ipsorum statui succureret; Vult ad gratitudinem Creaturas Evangelii Luce collustratas hac ratione excitare, dum hoc modo dignoscere possunt, quantum intersit discrimen inter eos qui Revelatione carent & eos qui hoc bono fruuntur; Vult Justitiam suam ostendere, dum eos qui Veritati restiterunt, eamque contemserunt, in viis suis errare sinit; In mira tandem omnium rerum Varietate vult Sapientiam suam ostendere, varia enim Entium genera ac ordines condidit alia aliis perfectiora, alia inanimata, alia animata, alia irrationalia, alia rationalia, alia majori alia minori Rationis gradu prædita; ita mirum non est, si inter ipsos etiam homines varii dentur perfectionis gradus, si una pars majora, si alia minora à Deo accipit dona, ut alii debilissimi, alii augustissimi sint intellectus; mirum inquam non est si alios solum Rationis lumine instruxerit, aliis Revelationis lumen donaverit, idque aliis perfectius, aliis imperfectius dederit; Diei noctisque vicissitudo in hac terra est, dum alii Luce meridiana gaudent, alii sub noctis tenebris latent, dum alii hyeme rigescunt, alii in media æstate vivunt, eodem tempore alii seminant, alii fructus colligunt.

§. CXXXVI.

Hisce *Objectionibus aliam* addunt, ab obscuritate Revelationis desumtam, si enim, inquiunt, Revelatione opus fuisset, ita illa comparata esse deberet, ut à quovis facile intelligi & ipsa evi-

dentia sua quemvis in assensum traheret, neque ullus dubitationi locus superesse posset; Litteras vero Sacras tam obscuras esse ajunt, tam incertam illarum fidem, tam dubium sensum, tam varias Verbi divini interpretationes, ut nescias quid credendum vel non credendum sit.

In nulla re tam facundi sunt Adversarii mei, quam ut Difficultatem hanc ad summum usque gradum extollant, hacque ratione fidem Christianam, si possibile, maxime dubiam reddant; ut ignarus nesciat, num in S. Litteris inveniatur ubi tuto pedem figere possit. Res tanti momenti est, ut disquisitione quammaxime indigeat, neque propterea etiam in allegandis Adversariorum verbis parcus ero. Id nimirum primo agunt ut totius Librorum N. T. corruptionem mirum in modum exaggerent, secundo ut sensum obscurissimum esse ostendant. Prius quod attinet præter ea quæ supra ad §. 8. ex COLLINO attulimus pag. 131. in notis hæc habet: „ Puisqu'on suppose que nôtre salut dépend de la veritable intelligence des Ecritures, nous „ sommes obligez d'etablir notre foi sur un fondament très incertain, & d'avoir recours à la Critique, „ pour, dans ce nombre infini de differens textes, en „ choisir un que nous puissions nous approprier, à peu „ prés comme nous faisons à l'egard de Terence ou „ de quelque autre ancien Auteur. 2.) Il-y-a encore plus d'incertitude à determiner les paroles „ de l'Ecriture par les conjectures de la Critique, „ qu'il ne s'en trouve à l'égard de tous les autres livres des Anciens, parce que la quantité des Textes, „ dont la Lecture varie si fort dans les Ecritures, ne „ provient pas seulement de l'ignorance & de la negligence, mais encore d'un propos déliberé, a „ dessein de soutenir des sentimens Ortodoxes ou „ Hérétiques; au lieu que l'ignorance & la negligence de ceux qui ont transcrit les Anciens Auteurs „ est la seule cause de la diversité qui se trouve dans „ la lecture qu'on en fait. 3.) Quoique le Texte „ de l'Ecriture soit devenu incertain par l'ignorance

„ & la negligence des Copiſtes, comme celui de tous „ les autres anciens Livres & qu'il le ſoit encore plus „ que ceux ci à cauſe des falſifications qui y ont „ été inſerées exprés par ceux qui l'ont tranſcrite: „ cependant il eſt evident que plus il eſt reſté parmi „ nous d'anciens manuſcrits & plus on les confronte, „ plus auſſi les Chrêtiens, qui ſont de bons Critiques, „ ſont ils propres à determiner le veritable texte de „ l'Ecriture, pour leur propre uſage. Et par conſé- „ quent le Pére Simon, le Docteur Bentley & d'autres „ fameux Critiques ſemblables à ceuxci, doivent être „ plus fideles croïans & tenir un chemin plus ſur, „ pour parvenir au ſalut, que tous les autres qui ne „ ſont pas auſſi habiles qu'eux en Critique.

TINDALIUS Cap. XIII. pag. 564. ſeq. *Difficultatem hanc ita proponit*: „ Weil auch nur der geringſte Feh- „ ler, eine verſchiedene Unterſcheidung, ein Einſchluſs, „ ein verſezter Buchſtabe, den Verſtand verändern „ kan; Wie kœnnen vvir nun in Dingen von der „ æuſſerſten Wichtigkeit uns auf vveitlæuftige Schrif- „ ten ſchlechterdinges verlaſſen, da dieſelben ſo oft „ von ſolchen Leuten ſind abgeſchrieben vvorden, „ vvelche die Urkunde niemahls geſehen haben (vvie „ denn kein einziger auch von den allerælteſten „ Schriftverfaſſern ſich rühmet, dieſelbe geſehen zu ha- „ ben). Und noch darzu von ſolchen Leuten, vvel- „ che auch ſo gar in den ælteſten Zeiten, vvenn vvir „ nach der Anzahl der untergeſchobenen Stellen und „ erdichteten Bücher urtheilen vvollen, ſich kein Be- „ denken gemacht haben, gottſelige Betriegereyen „ auszuüben, ob auch gleich unzæhlige Abſchriften „ Neuen Teſtaments verlohren gegangen ſind, vvel- „ che ohne Zvveiffel ebenfalls ihre verſchiedene Les- „ arten hatten; ſo vernehmen vvir dennoch, auch „ vvie die Sache gegenvværtig beſchaffen iſt, daſs nicht „ vveniger als dreyſsig tauſend unterſchiedene Lesar- „ ten in demſelben angetroffen vvürden. Die Welt „ vvird ſchvverlich auf Herr Doctors (Bentley) Wort „ glauben, daſs in einem Buche, vvorinnen dem Ge- „ ſtændniſſe nach, die meiſten Dinge von der grœſten „ Wichtigkeit ſind, ſo gar viele unterſchiedene Les-

„ arten von gar keiner Wichtigkeit seyn sollen ; da
„ doch nur eine oder zvvo derselben von solcher Fol-
„ ge seyn kœnnen, dass dardurch die Absicht dess gan-
„ zen Buches über einen Hauffen gevvorffen vvird.
„ Wenn in einer Artzney noch so viele heilsame Stü-
„ cke enthalten sind ; und es vvird von ungefehr nur
„ ein giftiges darunter gemischt , so kan solches die
„ ganze Artzney in das stærckste Gift vervvandeln.
„ Wenn die Lehre von der Dreyeinigkeit von der
„ grœsten Wichtigkeit ist : War denn nicht der Kir-
„ che am hœchsten daran gelegen, den verschiedenen
„ Lesarten in diesem vvichtigen Stücke , so vvohl als
„ einigen eingeschobenen Stellen, , vorzubeugen ?

Alterum scilicet Sacræ Scripturæ Claritatem quod attinet, Adversarii nihil omittunt, quo eam impugnare & sensum dubium reddere queant ; Sæpius citatus ille satyricus ANT. COLLINUS pag. 88. & seqq. non quidem propriis sed TAYLORII verbis, ut eo majorem inveniat fidem, rem ita proponit. „ Je ne suis
„ pas si orgueillieux que de me croire assez des lu-
„ miéres pour , en traçant les Caractéres de nos divins
„ Ecrits, vous en donner un Idée exacte. Ainsi j'aime
„ mieux emprunter pour cela la savante plume de l'E-
„ vêque Taylor. Ce Prêlat est assez célébre non seu-
„ lement par sa docte Défence du Droit divin de l'E-
„ piscopat, l'Histoire qu'il a composée de la Vie de nô-
„ tre Seigneur Jesus Christ, & d'autres Livres de De-
„ votion, mais aussi par les souffrances qu'il a coura-
„ geusement endurées pour l'Eglise Anglicane & pour
„ la famille Roïale ; pendant les Guerres Civiles. Ce
„ Religieux Prélat nous dit dans ses Ouvrages polé-
„ miques pag. 905. en Anglois, 1.) qu'il-y-a une
„ infinité de passages dans les Ecritures qui contien-
„ nent en eux de grands mystéres, mais qui sont en-
„ velopés d'un nuage si épais, obscurcis d'ombres si
„ impénétrables, relevés par des Expressions si su-
„ blimes, enrichis de tant d'allegories, d'ornemens
„ de Rhétoriques, si profonds en matiére, & si cachés
„ par la maniére dont le sujet est quelques fois revê-
„ tu & déguisé, qu'il semble que Dieu ait eu le des-
„ sein de nous les donner pour exercer nos Esprits ;
„ nous

„ nous convaincre de nôtre incapacité ; nous faire
„ ſuporter charitablement les uns les autres ſur le fait
„ de la Religion ; & nous humilier en nous mêmes ;
„ plûtôt que pour y trouver les principes de nôtre
„ Créance & les Articles de notre Foi. 2.) Il dit
„ pag. *966* qu'il y a tant de milliers de Copies des
„ Ecritures, qui ont été écrites par des perſonnes de
„ partis & d'Opinions ſi opoſées, de tempéremens
„ & de Génies ſi contraires, d'Eſprits ſi diférens en
„ habileté & en foibleſſes, qu'on reconnoit une gran-
„ de varieté dans le Vieux & le Nouveau Teſtament
„ par la ſeule lecture qu'on en fait. 3.) pag. *967*.
„ Qu'il ſe rencontre en pluſieurs endroits de l'Ecritu-
„ ture un double ſens, qui eſt tantot Littéral, tantot
„ Spirituel ; & qu'il faut encore ſubdiviſer : car le ſens
„ littéral eſt ou naturel ou figuratif, & le ſpirituel
„ eſt quelquefois Allégorique, & quelquefois analo-
„ gique ; d'autres fois même une même phraſe com-
„ prend pluſieurs ſens litteraux. 4.) pag. *969*. Que
„ pluſieurs endroits de l'Ecriture renferment de grands
„ Myſtéres & des Points de la derniére importance ;
„ qui cependant ſont écrits d'une certaine maniére
„ qu'on n'a aucune marque certaine pour decouvrir
„ ſi le ſens doit être pris à la Lettre ou figurément.
„ 5.) Qu'il s'en trouve quelques autres qui ſont ca-
„ chés dans les mêmes termes avec des paroles, des
„ raiſons & ſur des ſujets qu'on croiroit être les mê-
„ mes en aparence ; & qu'il faut cependent expliquer
„ en un ſens tout différent 6.) Qu'on lit certains
„ paſſages de l'Ecriture qui renferment de ſi grands
„ Myſtéres, qu'il n'y a que des perſonnes très-ſain-
„ tes & très-ſpirituelles qui puiſſent en avoir l'in-
„ telligence. 7.) Qu'il arive dans l'Ecriture la mê-
„ me choſe que dans toutes les Sciences, dont les
„ Syſtémes ſont exprimés d'une telle maniére qu'ils
„ ſouffrent pluſieurs explications, & ſoit parceque
„ l'eſprit humain eſt rempli d'une infinité d'Idées, ils
„ repréſentent à la penſée de différentes perſonnes,
„ & même d'une ſeule, des choſes tout-à-fait diſ-
„ ſemblables, quelquefois contraires & ſouvent rem-
„ plies de varietés ; Ce qui eſt ſi ordinaire à l'Ecritu-

„ re, que s'il ne s'agiſſoit pas d'une choſe auſſi ſe-
„ rieuſe & auſſi ſacrée, il y auroit de quoi divertir ſa
„ penſée en voïant à combien de deſſeins diférens on
„ peut faire ſervir un méme paſſage. 8.) Que la
„ maniére dont les Livres ſacrez ſont écrits eſt telle
„ que la liaiſon & la ſuite de leurs parties ne peut pas
„ nous ſervir à avoir une connoiſſance certaine du
„ ſens qu'elles renferment, car lors qu'elles métent
„ en avant deux ou trois ſujets qui ſont comme les
„ antécédens de ce qu'on doit inférer, qu'elle certi-
„ tude peut on avoir que le raport qu'on y fait eſt
„ juſte & que la conſequence qu'on en tire repond à
„ ſes prémiſſes ? ainſi ce n'eſt pas le moïen de trou-
„ ver le ſens de l'Ecriture que de le chercher dans
„ l'enchainement de certains paſſages, dont l'un ne
„ depend point de l'autre & qui préſentent à la pen-
„ ſée des choſes d'une nature différente de ce qu'on
„ avoit lû dans le paſſage precédent. 9.) Qu'il eſt
„ vrai que la Comparaiſon des paſſages eſt un Grand
„ moïen, qu'on prétend avoir, pour fixer le ſens de
„ l'Ecriture ; mais ce ſavoir-faire demande une
„ Capacité ſi étendue, que les plus habiles Theolo-
„ giens n'ont pû s'empêcher de varier ou dans les
„ paroles, ou dans le ſens, d'altérer les circonſtances,
„ & de changer les Termes ; ainſi on peut aſſurer avec
„ raiſon qu'il n'y a rien au Monde, dont les etour-
„ dis puiſſent faire un plus méchant uſage, puis que
„ ceux qui y aportent le plus de précaution, ſont ſi
„ ſujets à ſe tromper ; en un mot, qu'il y a de quoi
„ arêter & embaraſſer l'Eſprit le plus intelligent. 10.)
„ Qu'on croit pouvoir expoſer les Ecritures par l'A-
„ nalogie qu'elles ont avec la Raiſon. Mais comme
„ il faudroit pour cela que les hommes euſſent un In-
„ tellect Univerſel muni de Principes infaillibles,
„ par leſquels chacun pourroit prouver infailliblement
„ la verité de tout ce qui y auroit du raport ; cette
„ maniére de raiſonner eſt auſſi ſujete à illuſion qu'au-
„ cune autre. Car il en eſt de la Raiſon comme du
„ Goût des hommes. 11.) Qu'il y en a d'autres qui
„ eſperent expliquer l'Ecriture par l'analogie de la
„ foi : Mais c'eſt une prétention chimerique, c'eſt
„ une choſe qu'on trouve dans les eſpaces imaginaires,

„ &

„ & qui change autant que la droite & la gauche „ d'une Colomne. 12.) Qu'enfin on s'imagine avoir „ beaucoup fait pour l'interprétation des Ecritures en „ consultant les Originaux. Mais la difficulté n'est „ pas dans le langage ; mais dans le sens, de quel- „ que maniére qu'il soit exprimé : La Confrontation „ de l'original ne sert pas plus a trouver aujourd'hui „ le veritable sens qu'il faisoit dans la premiére Eglise „ ou les Traductions de la Bible varioient à l'infini, „ ne s'en trouvant pas une qui fut semblable à lautre.

Hucusque COLLINUS ex TAYLORII scriptis polemicis : Eandem difficultatem etiam TINDALIUS quantum potest exaggerat. Recte quidem Cap. XIII. pag. 413. monet : „ Die vvahre Religion müsse nothvven- „ dig deutlich, einfach und natürlich seyn : Weil die- „ selbe für alle Menschen bestimmet, nach eines je- „ den Fæhigkeit, und so eingerichtet ist, vvie sie sich „ für eines jeden Stand und Lebens-Umstænde schiket. „ *Quæ vero de S. S. obscuritate dicit partim supra* „ *ad* §. 8. *ex Cap. IX. pag.* 176. 177. *addu-* „ *ximus. Cap. XII. pag.* 337. *asserit.* Ich kœnte „ hiebey noch vveiter gehen, und sie fragen, ob es „ mit derjenigen Unpartheylichkeit, vvelche der Gott- „ heit vvesentlich ist, bestehen kœnne, es nicht so „ zu veranstalten, dass diejenigen, vvelche er darzu „ bestimmet hat, dass sie seinen Willen durch eine „ Offenbahrung erkennen sollen, auch geschikt vvæ- „ ren, diese Offenbahrung und folglich seinen Willen, „ vvelcher in derselben enthalten ist, so vvohl zu ei- „ ner Zeit, als zu der andern zu erkennen ? Welches „ aber nicht geschehen kan, vvenn dasjenige, vvas „ Anfangs klar und deutlich vvar, nachgehends dun- „ kel vvorden ist, nemlich durch die Verænderung „ der Sprachen und Gevvohnheiten, Entfehrnung der „ Zeiten und Oerter, Fehler der Abschreiber und „ Uebersezer, und durch hundert andere Dinge, vvel- „ che alle anzuführen zu vveitlæufftig ist. *Hisce ad-* „ *denda quæ Cap. XIII. pag.* 404. & 405. *de Cla-* „ *vibus*

„ *vibus Solutionis affert, & quæ l. c. pag.* 407. „ *& seq. ad quæstionem illam*, Ist vvohl ein ange„ sehener Gottesgelehrter, vvelcher saget, dass die „ Offenbahrung für die Unvvissenden und Ungelehr„ ten so schvver zu verstehen sey? *Ex supra citato* „ *TAYLORIO affert, quibus TINDALIUS hæc* „ *ad finem adjungit:* Zur Bestættigung der Gedan„ ken dieses Bischofs kœnnte ich noch hinzu sezen, „ und es auch so gar ervveisen, vvann es nicht eine „ unendliche Arbeit vvære ein jedes Stück insbeson„ dere durchzugehen, dass ausser denjenigen Dingen, „ vvelche ihrer eigenen Natur nach klar sind, nicht „ leicht eine Schriftstelle sey, bey vvelcher die Aus„ leger nicht verschiedene Meynungen haben: Ob „ nun diese Betrachtungen allein nicht ein hinlænglicher Grund sind, dass die Ungelehrten bey denjeni„ gen deutlichen und einfachen Wahrheiten bleiben „ sollen, vvelche das Licht der Natur lehret, über„ lasse ich ihnen zu beurtheilen.

§. CXXXVII.

Duæ hæ difficultates primo intuitu maximi videntur momenti, si vero accuratius paulo considerantur sponte sua in nihilum abeunt. Priorem enim quod attinet, nempe sacri Codicis corruptionem, quam tantopere exaggerant Adversarii, illa fere evanescit, si consideramus Variantes illas Lectiones, remotis minutiis, ad parvum redigi numerum, ubicunque enim vel accentus omissus vel aliter positus, ubicunque levissima mutatio vel menda, quæ à quovis linguæ Græcæ perito facillime corrigi potest, Amanuensis incuria in exemplari aliquo irrepsit, ibi notatur Lectio Varians.

§. CXXXVIII.

Ex triginta millibus præter propter ducentæ repe-

reperiuntur, quæ mutationem aliquam aut vocis solum, ut tamen sensus integer maneat, aut sensus variationem inferunt; sed de his iterum observandum est, α. quod illæ in talibus reperiantur dictis, quæ ad ipsam Religionis Essentiam & Fundamentum non spectant, ut hoc nihilominus salvum & inconcussum maneat, β. quod in plurimis utra Lectio præferenda sit ex nexu facile dijudicari queat, ut pauciſſima remaneant loca, de quibus dubitari potest, num hæc, num vero illa Lectio melior sit. γ. Quod denique in pauciſſimis, quæ remanent, Locis, quæ alicujus momenti esse videntur, quænam Lectio obtinere debeat, facile dignosci possit, ex eo quod optima, antiquissima eaque plurima exemplaria conspirant, ut nullum de genuina Lectione dubium esse possit, nisi lubentes cœcutire & mendoso alicui apographo plus quam multis iisque optimis inter se conspirantibus credere velimus; In aliquot enim vitiosis exemplaribus ab illitteratis quibusdam Scribis descriptis multa mendarum millia occurrunt, quæ alia exemplaria plurima majori cura descripta non habent.

§. CXXXIX.

Si denique omnes præcaveri debuissent mendæ in omnibus plane exemplaribus quæ unquam extiterunt, necessum fuisset, ut Deus Librarios perpetuo miraculo in ipso scriptionis tempore ab omni Errore præservaret, quod idem etiam fieri deberet ratione Typothetarum Libros Sacros exscribentium, quod jure nullo postulari potest, sufficit enim providam Dei Curam in hac re tantam semper fuisse, ut nullus unquam, ne dicam capitalis, Error in omnia exemplaria irrepserit.

Non

§. CXL.

Non majoris ponderis *illa Objectio* est, quæ Sacrarum Litterarum claritatem spectat, per sequentes enim observationes plane dispalescit, α. quidem concedimus, omnia illa quæ ad Religionis revelatæ essentiam pertinent, debere esse clarissima (Cap. IV. 1834.).

§. CXLI.

β. Non negamus, multa in Sacris Litteris reperiri quibusdam satis obscura & intellectu difficillima, quorum sensus non sine maxima cura erui potest.

§. CXLII.

Sed observandum א. Mirum non esse in Libro antiquo Lingua Hebræa & Græca scripto, apud Populos Orientales, qui allegorias quammaxime amant, exarato, in quo ad certa illorum Populorum placita, mores & consuetudines alluditur, multa nobis remanere obscura, licet reliqua scitu necessaria sint facillima & cujusvis captui accommodata.

§. CXLIII.

ב. Multa in Sacris Litteris continentur, quæ propter certas causas ac circumstantias uno tempore Ecclesiæ scitu necessaria sunt, quæ alio tempore non sunt; sufficit quod in quovis Ecclesiæ statu tantum intelligi possit, quantum necessarium est; ea vero quæ ab omnibus Ecclesiæ Membris omni tempore, omni loco & in omnibus circumstantiis intellectu necessaria sunt, summa claritate luceant (§. 1840. Cap. IV.).

§. CXLIV.

ג. In Religione distinguendum est id, quod ad ipsam illius Essentiam pertinet, ab eo quod huc non pertinet (§. 1806. Cap. IV.), multa enim in S. Litteris continentur, quæ ad ipsam Religionis Essentiam non spectant, sive quæ salva Religione ignorari possunt; huc pertinent multæ difficultates circa quasdam consuetudines, allusio ad ritus aliquos tunc temporis cognitos, controversiæ porro Historicæ, Chronologicæ, Geographicæ, Criticæ; quæ omnia eo tempore scitu maxime utilia, nunc vero Intellectu absolute necessaria minime sunt, sufficit nobis ea clara esse, quæ nos nostramque Salutem respiciunt.

§. CXLV.

ד. Distinguendæ sunt Veritates tales, quales in ipsis S. Litteris à Deo traditæ sunt, ab inutilibus subtilitatibus, tricis, ineptisque quæstionibus, quibus homines eas incrustarunt, eum solummodo in finem, ut ingenii sui fœcunditatem ostenderent.

§. CXLVI.

ה. Observandum quod si in Sacri Codicis explicatione multæ deprehendantur difficultates, id in omnibus Scientiis obtineat; quænam enim reperitur disciplina, quæ non innumeris difficultatibus subjecta sit? si in rebus humanis id contingat, quid mirum si in rebus divinis idem obveniat; unde non rei ipsi sed imbecillitati potius Intellectus nostri hoc adscribendum est.

§. CXLVII.

ו. Naturalistæ semper provocant ad summam Religionis Naturalis Claritatem, Revelatæque obscuri-

ſcuritatem tantopere exaggerant; at reſpondeant quæſo undenam ſit, quod etiam in Religione Naturali tot tantæque moveantur difficultates, in rebus quidem non minimi ſed maximi momenti? qui fit ut multi omnem Dei Ideam pervertant, ut illius Exiſtentiam impugnent, ut alii ſummi Numinis Providentiam inficientur, alii Creaturarum ab eo dependentiam omnem adeoque Religionem pernegent, alii varia Dei Attributa, ſine quibus Ens perfectiſſimum ne concipi quidem poteſt, debellent; Undenam quæſo tot circa illius Operationes difficultates? Qui fit ut nonnulli omnem actionum moralitatem intrinſecam, omnem adeoque obligationem divinam tollant? Qui factum fuit & adhucdum fit, ut Gentiles Revelatione deſtituti in rebus divinis tantopere cœcutirent? ut abſurdiſſimas de Deo & ejus Cultu foverent Opiniones, à quibus ipſemet Naturaliſta quivis inter nos quam maxime abhorreret? An quæſo hoc ipſi Naturali Religioni ejusque principiis, an defectui claritatis illius adſcribendum? An vero per hominum in rebus divinis cœcitatem, intellectus illorum imbecillitatem, illiusque per cupiditates carnales, affectus & præjudicia obſcurationem id fit? Prius Adverſarii, qui tantopere ad Religionis Naturalis maximam Claritatem provocant, concedere nequeunt, unde poſterius locum habet.

§. CXLVIII.

Si vero in rebus ipſum Fundamentum, Centrum & Eſſentiam Religionis Naturalis ſpectantibus, hoc obtinet, de quibus nullum oriri deberet dubium, quare idem in Rebus Religionem Revelatam

latam spectantibus, & quidem plerumque iis, quæ non ipsam essentiam, sed res parvi ponderis spectant, accidere potest? Quare non eodem jure idem, quod de difficultatibus in Religione Naturali motis, dicere possemus? Scilicet non Rem ipsam & Revelationis modum esse obscurum, sed hominum Intellectum per cupidines, per affectus, per præjudicia obscuratum, ut Veritates in se etiam clarissimas intelligere nec velint nec possint; Ad hoc si mihi respondeant Adversarii, hic si semet extricent, victas illis manus lubens præbebo. Si enim clarissima & certissima Religionis Naturalis Principia plurimæ hominum parti obscura, si multis illa dubia videantur, quid mirum, si clarissimis Revelationis veritatibus idem accidat.

Et hoc etiam Adversarii mei fateri tenentur, nullibi Doctrinam de Deo tam pure tradi, quam ibi ubi Revelatio in auxilium vocari potest, nullibi Doctrina de Religione Naturali tam exculta invenitur quam apud Christianos; undenam quæso hoc? An inde est quod ipsa Populorum Europæorum ingenia aliis cultiora sunt? Sed de novo quæritur, cur nunc ratione scientiæ rerum divinarum Populi Europæi reliquis cultiores sunt? An ratio in climate quærenda? Qui tum fit ut olim Judæi in Asia habitantes multo insigniorem de Deo cognitionem habuerint Populis illis, qui in Germania, qui in Gallia, qui in Anglia alibique tunc temporis habitarunt. Si Revelatio ita obscura est ut nemo ex ea erudiri queat, quare non in America, apud Indos aut in Africa inter Regionum illarum incolas, ubi sola Religio Naturalis obtinet, quæ clarissima habet Principia, major & clarior divinisque Attributis convenientior Dei cognitio reperitur quam apud nos, qui Revelationis ductu utimur, quæ ex mente Naturalistarum ita obscura est, ut nihil certi ex illa cognosci queat.

§. CXLIX.

At instant Adversarii dicentes, si Revelatio eum in finem data sit, ut clarissimam ex illa Veræ Religionis notitiam acquireremus, per divinam Bonitatem, Sapientiam & Potentiam facillime fieri potuisse, ut illa ita clare traderetur, ita evidens esset, ut nulla remaneret difficultas, nulla obscuritas, nullum dubium, quæ propterea homines omnes ad assensum traheret.

§. CL.

Verum non observant, α. Idem de Religione Naturali dici posse, cujus Principia, concedentibus ipsis Adversariis, ita clara sunt ut clariora esse nequeant, cum tamen a multis hominibus ea aut negentur, aut non recte intelligantur & pervertantur, quæri potest, quare Deus non fecerit ut illa clariora sint, ut per evidentiam suam omnes homines in assensum raperent? At cum sint clarissima ut clariora esse nequeant, sequitur culpam non Religionis ejusque Evidentiæ, sed hominis esse, qui in rebus Clarissimis etiam cœcutit. Id ergo opus esset, non ut Religionis principia clariora redderentur, sed ut per miraculum hominis Natura mutaretur, ut Intellectus illius imbecillitas tolleretur, ut ab omnibus præjudiciis, perversis affectibus ac cupiditatibus liberaretur, ut in statum perfectissimum transponeretur, ut ex homine Angelus fieret, culpa enim hominis non Religionis est, quod illa non recte intelligatur.

§. CLI.

Idem mihi nunc eodem Jure de Religione Revelata dicere liceat; an illa propterea obscura censenda, quod homines perversis affectibus & præ-

præconceptis Opinionibus abrepti eam non intelligunt? Annon illa ipsa etiam Religionis Naturalis principia illustrat, ut ab illis melius intelligantur, qui Revelationis lumine fruuntur? Annon idem illi, quod Religioni Naturali, accidere potest? Ut licet evidentissima sit ut claritas major esse nequeat, tamen ab hominibus non intelligatur & pervertatur, hominum ergo, non Revelationis culpa illa est: homines prius mutandi, ut Veritatem evidentissimam perspicere valeant, at non Dei, sed propria Culpa huc delapsi sunt.

§. CLII.

β. Si talis esset Revelationis Doctrina, ut homines nolentes volentes in assensum raperentur, Religionis scopus non amplius obtineretur, neque etiam Fidei sua constaret dignitas; nec enim Fideles ab infidelibus, probi ab improbis, dociles à pertinacibus amplius distingui possent. Non negamus, tam evidentia debere esse Revelationis dogmata tamque certa, ut unusquisque Veritatis studiosus ea intelligere & de iis convinci queat, si sepositis præjudiciis ad ea attendere velit: si vero talis esset evidentia ut homines ad assensum cogeret, sequeretur tunc impossibile esse non credere, & Fides nulla amplius Virtus esset. Sufficit ergo tantum lucis Religioni Revelatæ inesse, ut quivis Vir probus & adtentus ea illustrari queat. *Si enim quis voluerit voluntatem ejus qui me misit facere, cognoscet de Doctrina, utrum ex Deo sit, an ex me ipso loquar.* Joh. VII. 17. *Si Evangelium nostrum tectum est, tectum est iis qui pereunt, quorum Deus hujus seculi excæcavit mentes, infidelibus nempe, ne lumen Evangelii Gloriæ Christi ipsos irradiet.* 2.

Cor. IV. 3. 4. *Beati qui me non vident & crediderunt*, Joh. XX. 29.

§. CLIII.

Ex *objectione* præcedente *alia* naſcitur à diſſenſu Sectarum, varietate Religionum, Theologorumque Controverſiis deſumta: inquiunt nimirum ex dubio Sacræ Scripturæ ſenſu atque obſcuritate fieri, ut tantum ſententiarum inter omnes Religiones Theologosque ſit divortium, ut neſcias à quanam parte ſtet veritas; cum eruditiſſimi etiam in rebus maximi momenti diſcrepent, minus doctos ſcire minime poſſe cuinam aſſentiendum ſit, nihil adeo certi in Religione Revelata inveniri, omnia dubia eſſe, unde optimum ſit, ut quisque cogitandi libertate fruatur, neque ulli confeſſioni aut fidei formulæ nomen det.

Hanc difficultatem A. COLLINUS in integra tractatus ſui Sectione ſecunda quantumpote exaggerat, & iis tandem verbis Sectionem illam concludit, quæ ad §. 6. allegavimus, id nimirum agit ut oſtendat, Theologos celeberrimos in Articulis Religionis maxime fundamentalibus magnopere inter ſe diſſentire & pauciſſimos inveniri qui conſentiant, unde tandem ad Scepticismum Theologicum tuendum concluſionem infert pag. 146. pag. 88. cit. §. 69. TINDALIUS hanc difficultatem non uno tantum in loco innuit, præcipue vero Cap. XIII. pag. 562. ubi ait: „ Muſs nicht das „ Volck in Vervvirrung gerathen, vvenn ſie ſehen, daſs „ Schrifftſtellen von den allervvichtigſten Dingen auf „ ſo verſchiedene Art ausgelegt vverden? Dr. S. „ Clarck hat mehr als tauſend zvveyhundert fünfzig „ Stellen zuſammen gezehlt, vvelche allein die Leh„ re von der Dreyeinigkeit betreffen: Und vvie vve„ nig ſind ihrer doch darunter, vvelche von den ſtrei„ tenden Theilen auf einerley Art ausgeleget vver„ den. . . Und vvenn vvir von den Unitarien eine „ Ueber-

„ Ueberſezung der Bibel hættten : So vvürden viele „ Schrifftſtellen ganz anders gegeben ſeyn , als vvir „ ſolche jetzo haben ; Einige vvürden auch als unter- „ geſchoben ausgelaſſen ſeyn , & pag. 567. Allein , „ vvenn vvir nun auf einzele Stellen uns nicht verlaſ- „ ſen kœnnen ; und vvo verſchiedene derſelben zu- „ ſammen kommen , die deutlichſten die Oberhand „ behalten ſollen : So vvird die Schvvierigkeit ſeyn , „ vvie man erkennet , vvelches die deutlichſten ſind ? „ Denn alle Secten in der Chriſtenheit haben beſtæn- „ dig behauptet , daſs die deutlichſten Stellen auf ih- „ rer Seiten vværen , und ſich gevvundert , vvie doch „ ihre Gegner eine ſo irrige Meynung aus denſelben „ heraus bringen kœnnten.

§. CLIV.

Non diffiteor Objectionem hanc Plebem, eosque qui rem non accurate perpendunt in transverſum rapere & ſuſpenſos tenere poſſe, non vero turbantur illi, qui veritati ſtudent.

§. CLV.

α. Enim non in hac ſolum ſed in omnibus aliis Scientiis idem accidere ſolet ; ſumamus ex. gr. Theologiam Naturalem ad cujus Claritatem Adverſarii mei ſemper provocant ; ſæpius conceſſi, Principia illius eſſe clariſſima, minime tamen hoc impedit quo minus etiam reſpectu ejus variæ ſint Sectæ, ſententiæ variæ in Articulis etiam momentoſiſſimis, quod omnium Populorum exemplo demonſtrari nullo negotio poſſet. Si ergo in re illa, quam ipſi Adverſarii clariſſimam judicant, hoc accidit, vident nullam Veritatem tam claram eſſe poſſe de qua non controverſiæ exiſtant : ſi enim ideo aliquid non verum & certum eſſet, quia à nonnullis lites moventur , ſequeretur, præter Axiomata Geometrica nihil verum eſſe.

§. CLVI.

β. Ex hisce patet, non ipsam Religionem, vel dubium sensum & obscuritatem, sed hominum potius affectus & opiniones cum Intellectus præjudiciis obscurati imbecillitate conjunctas Theologorum controversiis & in Religione dissensui sectæque studio occasionem dedisse; Nemo non concipere facile poterit, Theologorum dissensum, eorumque male vel dicta vel facta Religioni nihil nocere posse, neque si Veritatis caussa male agatur illam propterea destrui, alias nec in Religione Naturali quidquam verum esset.

Optime H. GROTIUS de Veritate Religionis Christianæ Lib. II. §. 16. 17. *Opponet*, inquit, *forte aliquis contra dogmatum Christi excellentiam, quam prædicamus, magnam opinionum inter Christianos discrepantiam, unde orta sit & sectarum multitudo. Sed parata responsio, idem in omnibus ferme artibus accidere, partim imbecillitate humani ingenii, partim quod studiis judicium impeditur. Sed solent istæ opinionum varietates consistere intra certos terminos de quibus convenit & unde ad ambigua argumentum petitur. . . . Sic & discrepantia illa opinionum inter Christianos impedire nequit, quominus de præcipuis satis constet.* Et Reverendiss. Cancell. Tüb. Dissert. pr. de præjudiciis Theol. ad §. XXIII. pag. 86. *Perperam à Theologis fieri*, inquit, *si de Mysteriis Controversias in infinitum serant, si ea comprehendere velint quæ comprehendi non possunt, si novis semper opinionibus inveniendis studeant, si ex dissensionibus multis gloriam captent pacemque Ecclesiæ turbent; si odio Theologico indulgeant atque ipsimet aliquando, dum Libertatis Theologicæ limites transcendunt, impietati facem præferant.* Hisce

§. CLVII.

Hisce difficultatibus aliam addunt, dicentes: Si Revelatio necessaria fuerit ad homines misere Errantes in viam reducendos, ad ignorantiæ nebulas dispellendas, ad obscuratum & neglectum Lumen naturale supplendum; Revelationis repetitionem nostris temporibus maxime necessariam esse, propter hominum ignorantiam, dubitationes, perpetuas controversias &c. quæ mala ut per novam Revelationem tollerentur & Evangelii Lumen iterum utile redderetur, divinæ Sapientiæ convenientissimum fore.

§. CLVIII.

Non levis hæc objectio videtur, dum malum omnino, inter Christianos etiam, hominum culpa magnum imo permagnum sit: Responsio vero ideo non difficilis est, quia Christus jam huic objectioni occurrit. Deus enim omnia fecit in hominis bonum, quæcunque ab eo vel peti vel expectari possunt, dedit enim 1.) homini perfectissimam illam Naturæ Legem, quæ homini felici reddendo abunde sufficisset; imo lex illa universalis & omnibus hominibus communis est; illa omnibus hominibus innata & patefacta, quam si secuti essent, forent beatissimi. 2.) Dum vero homines libertate sibi concessa abuterentur, Legem illam ttansgrederentur, seque miseros redderent, dum porro ita cœcutirent, ut ne has quidem Veritates simplicissimas & clarissimas amplius intelligerent, & hisce malis pro infinita sua munificentia remedium fortissimum adhibuit, fecit quod maximum fieri potuerat, Doctrinam dedit sapientissimam perfectissimamque, præcepta san-

ctiſſima naturæ noſtræ convenientiſſima, præſcripſit cultum præſtantiſſimum, addidit motiva, exempla & incentiva fortiſſima, ut nihil Revelationi deſit quod ad rerum divinarum notitiam officiorumque praxin pertinet; maxime eximias S. S. de Deo Ideas tradit, Deum ubique ſpirat, omnia ad ejus Gloriam refert, omnes alios Libros, Doctrinam de Deo quod attinet, longe poſt ſe relinquit, homini oſtendit qua ratione Beatus fieri queat. An majus, an perfectius quid a Deo petere poſſumus? an quidquam Deus facere poteſt quod non fecerit?

§. CLIX.

His non obſtantibus omni, antiquiſſimo etiam, tempore extiterunt Increduli, qui novas ſemper Revelationes petiverunt, unde jam Optimus noſter Salvator difficultati huic occurrit, dum loquentem introducit profanum aliquem hominem, qui in his terris in incredulitate vixerat, qui perpetuis Voluptatibus omnem Religionis ſenſum & Fidem ſuffocaverat, qui deinceps poſt horam fatalem ad magnum ſuum malum ſenſerat quam miſere in hac vita ſemet deceperit, optat autem ne Fratribus ſuis adhucdum viventibus, uti ipſe olim incredulis, idem accideret; ſcit quod ſi ipſe olim converti debuiſſet, id non aliter quam per immediatam Revelationem fieri potuiſſet, concludit eandem Fratribus ſuis duritiem eſſe, proptereaque ad illos convincendos non minus forti medio opus eſſe, unde precatur ut nova ipſis Revelatio fieret, ut quisquam ex defunctis ex cœlo mitteretur, qui Fratribus ſuis ſuperſtitibus Evangelium prædicaret, ipſique increduli

Veri-

Veritatis revelatæ convincerentur; sed respondet Christus sub Abrahami persona, Mosis, Prophetarumque Doctrinam sufficere, si quis illis credere nolit, illum nec etiam alii Prophetæ creditu-rum, cum homo incredulus præjudiciis & affectibus abreptus mille falsa effugia & excusationes inveniat: *Habent Mosen & Prophetas:* Nos nunc addere possumus: *Habent Christum & Apostolos.* Lc 16, 29

§. CLX.

Præter *Objectiones* has *Generales* multas etiam *Speciales* proferunt, prima quidem Revelationis Gradus & tempus respicit; Sapientiæ nimirum Bonitatique Dei, Hominisque necessitati optime convenire putant Naturalistæ, ut Deus homini in peccatum lapso, integram statim & in Systema aliquod redactam eamque clarissimam Revelationem traderet; Cum enim Deus integri humani Generis sit Creator, Benefactor & Salvator, cum eædem omnibus ætatibus omnium hominum sint necessitates, eademque erga Deum officia, cum una eademque omni tempore sit Veritas, consentaneum ideo videtur, ut si Deus Revelationem dare decrevisset, illam hominibus statim in omni suo ambitu ab initio dedisset, neque successu temporis mox hanc mox illam Veritatis partem humano generi patefecisset, mox hanc mox illam legem præcepisset; Quare non, inquiunt, statim à Mundi initio easdem Veritates, easdem Leges hominibus proposuit?

§. CLXI.

At *a.* hic tenendum est, quod licet nullas hujus rei rationes cognoscceremus, nemo tamen propterea negare poterit, varias Deo potuisse esse

rationes ; apprime huc faciunt acutissimi TINDALII verba Libro sæpius citato Cap. I. pag. 7. *Es würde eine gar zu grosse Einbildung von uns elenden Menschen seyn , wenn wir vorgeben wolten , dass wir von allen Wegen , welche die Vorsehung Gottes bey Bekantmachung seines Willens nihmt , Grund angeben kœnnten.*

§. CLXII.

ß. Deus non plus ab homine poscit quam ipsi dedit, & licet non ab initio statim eadem quæ postea Revelationis fuit mensura, primis tamen hominibus nihil defuit de eo, quod ad eorum felicitatem promovendam sufficiens erat.

Hinc non possumus improbare, sed potius ad rem nostram confirmandam faciunt TINDALII verba quæ loco citato extant, dum dicit : „ Wenn es vvahr ist , dass „ Gott niemahls die Absicht gehabt , dass die Men„ schen entvveder keine oder eine falsche Religion „ haben solten , und vvenn es vvahr ist, dass es nur „ eine vvahre Religion gibt , vvelche alle Menschen „ anzunehmen und zu bekennen verbunden sind : So „ kan ich nicht sehen , vvas es für ein Irrthum seyn „ solte , vvenn ich sage , dass die Mittel , diese Ab„ sicht eines unendlich vveisen Wesens zu erreichen, „ so allgemein seyn , und sich so vveit erstrecken müs„ sen , als die Absicht selbst ; oder dass alle Menschen „ zu allen Zeiten hinlængliche Mittel müssen gehabt „ haben , dasjenige zu erkennen , vvas dieselben nach „ Gœttlicher Absicht erkennen und ausüben sollen. „ *Ich will hierdurch nicht sagen , dass alle Menschen* „ *einen gleichen Grad der Erkænntniss haben müs*„ *ten :* sondern nur dieses : *dass alle Menschen* „ *so viel davon besizen müssen , als ihnen nach den* „ *Umstænden , worinnen sie sich befinden , nœthig ist.*

γ. Ob-

§. CLXIII.

γ. Objectio hæc antecedenti aperte contradicit, juxta illam Naturaliſtæ petunt, ut Deus noſtris temporibus corruptione & ſcepticismo invaleſcente Revelationem repetat & Novam addat; hic vero, dum Deus per quatuor millia annorum ante Chriſti Adventum id fecit & pedetentim plura revelavit, ſeque hominum captui & rerum circumſtantiis accommodavit, Adverſarii, quod antea neceſſarium & divinæ Sapientiæ congruum dicebant, incongruum judicant, putantes Deum ab ipſis Mundi initiis totum Veritatum revelatarum complexum patefacere hominibusque tradere debuiſſe. Impoſſibile ergo eſſet, ut Deus Adverſariorum petitis ſatisfaceret, quoniam habent quod contradicant, ſi Deus poſt Revelationem completam nihil amplius addit, ab altera vero parte etiam non approbant, ſi Deus Revelationem repetit & novi quid addit.

§. CLXIV.

δ. Deus revelare non potuit, quæ non vera ſed pugnantia ſunt, Protoplaſtorum enim tempore revelare non potuit, Chriſtum jam in Gratiam Peccatorum in Mundum veniſſe, quare autem illius Adventus tam diu dilatus fuerit ratio ex §. 1213. ſeqq. Capitis III. petenda eſt: Ubi oſtendimus, non defuiſſe Deo ſapientiſſimas cauſſas cur id fecerit.

§. CLXV.

In V. T. Antiſcripturariis primo maxime displicet Cultus ille cærimonialis, quem Sapientiæ divinæ parum dignum cenſent, quique Naturæ divinæ,

divinæ, quæ ſpiritualis eſt, ejusque Perfectionibus omnibus parum conſentaneus ſit, & difficultas hæc eo major videtur, quia officia per cultum hunc præſtanda mera ſunt arbitraria, quæ non in ipſa rerum natura fundata, neque propterea ad hominis perfectionem tendere poſſunt, & in exercitiis corporalibus conſiſtebant, & ex Religionis fundamento & natura demonſtrari nequeunt.

TINDALIUS per integrum Tractatum ſuum hoc quam maxime urget, quod Deus nulla præſcribere officia queat, quam ea quæ in ipſa rerum ſive Dei Hominisque Natura fundata ſunt, & ex mutua ad ſe invicem relatione atque hominis naturali obligatione fluunt, nullamque propterea arbitrariam Legem divinæ originis eſſe poſſe cenſet; Hæc ſi recte explicentur ipſi facile aſſentimus. COLLINUS Diſc. de la Lib. de penſer pag. 232. 233. Ex SPENCERO atque BURNETO ſequentia citat. ex priori de Leg. Heb. p. 928. Quando, inquit, Deo jam negotium eſſet cum populo tam barbaro & ſuperſtitioni tam impenſe dedito; pæne neceſſe fuit, ut aliquid eorum infirmitati daret, eosque dolo quodam (non argumentis) ad ſeipſum alliceret. BURNETUS autem Archæol. Phil. p. 332. aſſerit: *Tot ritibus externis, tot Cæremoniis infrugiferis, tot minutiis & Obſervatiunculis, viros Philoſophos aut cœleſtium dociles nequaquam oneraſſet ſapientiſſimus Legislator;* quæ verba ideo citavit Collinus dum ea in rem ſuam facere putabat.

§. CLXVI.

α. Negare non poſſumus, ſtatuta illa ritualia in ſe & ſua natura nihil boni habuiſſe, unde etiam in S. Litteris ſtatutorum non bonorum nomine veniunt; & Apoſtolus ea vocat egena ac infirma Elementa; minus adhuc negare poſſumus, ea eſſe mere arbitraria & ex ipſa rerum natura Religionisque Eſſentia minime fluere.

β. In

§. CLXVII.

β. In ritibus vero his divinus Cultus minime consistebat, unde Deus sæpissime, præcipue Esajæ I. contra eos solenniter protestatur, indicans non Cærimonias illas externas id esse quod ipse approbet, sed Cultum internum & spiritualem adesse debere, cum corporali conjunctum, unde Virtutes morales & cordis puritatem toties inculcat, reliqua sine his rejicit.

§. CLXVIII.

γ. Rituum externorum in Cultu sacro usum alibi demonstravimus (Sect. XXII. XXIII. Cap. III.), qui præcipue hic est, ut per signa & Ritus externos certæ cogitationes in Mente excitentur, adtentio augeatur & animus rerum spiritualium commonefiat, unde ita comparatæ esse debent cærimoniæ, ut animum à rebus spiritualibus non abducant, sed ad illas adducant: Ex quibus patet, Ritus non propter se sed propter aliud institui.

§. CLXIX.

δ. Liquet itaque, quod, licet Cultus Cærimonialis non ex ipsa Religionis essentia fluat, finis tamen ejus possit esse sapientissimus, si nimirum hominum Ingenio sit accommodatus, ut per eum rerum sublimiorum & spiritualium commonefiant, si homines per se inertes sint ad cogitationes debitas in se excitandas & rebus sensualibus plane assueti, ut per eas edoceri necesse habeant.

Cerimoniæ nimirum tales esse debent, ut non Doctores mendaciorum sint.

ε. Unde

§. CLXX.

ε. Unde videmus, non exigua divinæSapientiæ veſtigia in ſtatutis illis cæremonialibus deprehendi; non tantum enim Iſraëlitæ per illa à Cultu Gentilium Idololatrico, cui maxime dediti, abducendi erant atque in officio continendi, à reliquis Populis diſtinguendi; ſed is præcipue Cærimoniarum finis erat, ut modo illorum ruditati conveniente de rebus ſpiritualibus atque futuris informarentur, donec ipſa veritas tandem adduceretur, unde Lex hæc Pædagogia ab Apoſtolo vocatur, Gal. III. 24.

§. CLXXI.

ς. Sed, inquiunt mei Adverſarii, ad finem hunc aſſequendum non tanto Cærimoniarum numero totque minutiis opus fuiſſe, ſed per pauciora ſimplicioraque idem obtineri potuiſſe. Reſp. At Populi ruditas, illius ingenium & durities id poſcebat, cui Deus ſeſe accommodare voluit, cum enim tantum illis Negotii in Cultus exercitio dabat, animum ipſorum ab Idololatria avertere & ad verum Dei Cultum adducere voluit, dum Populus ille rudis eſſet ut cultum mere ſpiritualem concipere non poſſet, illorum ruditati, ut Præceptores infantium, ſeſe accomodavit; & ne duræ cervicis Populo cogitationes ſuas ad Idolorum Cultum avertendi tempus eſſet, rigidiſſimam Cultus hujus obſervationem ſeveriſſimis ſancivit pœnis; nihil tamen iis hic præjudicatum volumus, qui Celeberrimi SPENCERI partibus ac ſententiæ minus favent.

Unde CHRYSOSTOMUS ad Eſajæ I. Immolare, incenſum offerre, Sabbathum obſervare, & quæ ſunt talia,

lia, eum in finem præcepit Deus, ut, per assiduam horum curam & observationem, à Cultu Dæmonum & Idolorum abducerentur. Et EUSEBIUS Dem. Ev. Lib. I. c. 6. Mosis Lex ingressa est, puerilium imperfectarumque animarum Curatrix quædam & gubernatrix, aut etiam Medici cujusdam instar, gravi Ægyptiaco morbo laboranti universæ Judæorum Genti. . . Nam quia cum Ægyptiis versantes, Ægyptiacorum morum similitudine adlecti erant, & in multorum Deorum superstitionem deciderant, merito quasi ex profundo malorum ipsos hauriens Moses, ab impia Deorum multitudine amovit, & ad opificem Universi Deum reduxit, primum illum Gradum Pietatis (Legum scilicet cærimonialium) tanquam introductionem ac vestibulum rerum perfectiorum ipsis proponens.

§. CLXXII.

ζ. Sequitur ex his, licet statuta illa non in ipsa Religionis Natura fundata, sed mere arbitraria fuerint, tamen ad Israëlitarum bonum tendisse, cumque finis illorum fuerit sapientissimus, etiam nec divina Sapientia indigna esse.

§. CLXXIII.

Huic difficultati porro aliam addunt, quod scilicet multa in S. Litteris reperiantur, quæ Juri Naturæ clarissime contradicant, quæque adeo, cum Jus Naturæ sit immutabile, à Deo proficisci nequeant.

Haud parcus est hac in re TINDALIUS Cap. XIII. pag. 452. „ Ich vvill ihnen nunmehro eben dieses in „ Ansehung derjenigen Pflichten darthun, vvelche die „ Menschen einander schuldig sind, und zeigen, vvenn „ die Menschen nicht in dem Grunde und in der Na„ tur der Dinge vvohl erfahren sind, und daraus ihre „ Pflichten gegen einander beurtheilen, daß gevvisse „ Dinge in der Schrifft entvveder befohlen oder doch „ gut geheissen sind, vvordurch die Menschen leicht „ kœnnen verführet vverden.

„ Ein

„ Ein Mensch, vvelcher nicht mehr siehet, als die Wor-
„ te sagen, kann auf die Gedanken kommen: Es vvä-
„ re kein Verbrechen seinen älteren Bruder zu betrie-
„ gen, seinen alten Vater zu hintergehen, und durch
„ eine Lügen den Segen desselben zu erhalten; ja er
„ kan so gar die Hofnung haben, Gott vverde denjel-
„ ben bestättigen. Gen. XXVII.

§. CLXXIV.

At ut hoc faceret Jacobus nullum divinum Mandatum accepit, neque unquam Deum hunc Benedictionem anquirendi Modum approbasse legimus, sed contra Jacobus malo haud parvo afflictus fuit, dum metu Fratris se in fugam dare & exul vivere coactus fuit; neque inde argumentum desumi potest, Deum deceptionem hancce approbasse, quod Jacobo benedixit, propter alias enim rationes id factum fuit; Benedictionem enim divinam Jacobo præ Esavo jam antea destinatam fuisse legimus.

§. CLXXV.

Pergit TINDALIUS: *Wenn die Menschen sich selber schmeicheln, daſs sie die wahrhafften Israëliten, und andere, welche in der Religion von ihnen unterschieden sind, bloſse Ægyptier wären, wurden sie nicht geneigt seyn zu glauben, daſs dieſes ein schœnes Beyspiel zu ihrer Nachfolg abgeben kœnne?*

§. CLXXVI.

Sed non Ægyptiorum Religio, vel causſa vel prætextus fuit, quod Israëlitæ Ægyptios argenteis utensilibus fraude privarunt, sed nullam ab iis laborum graviſſimorum mercedem acceperant, neque ullam etiam sperare poterant, unde Deus, omnium bonorum noſtrorum Dominus, illis

illis hanc duriſſimi laboris compenſationem adſignavit, res ergo in ſe longe æquiſſima, modus vero a Judice juſtiſſimo præſcriptus fuit.

§. CLXXVII.

Pag. 453. *Wenn die Menſchen finden, daſs die Hure Rachab deſswegen gerühmet wird, und dieſes ſo gar in dem Neuen Teſt. Heb. XI. 31. Jac. II. 25. weil ſie die Regierung belogen, und ihr Vaterland den grauſamen Feinden deſſelben verrathen hat. . . Kœnnten ſie nicht leicht dadurch verführet werden, es eben ſo zu machen, wenn ſie ihren Vortheil dabey finden, und es zum beſten derer gereichet, welche ſie für wahre Iſraëliten halten.*

§. CLXXVIII.

Conſiderandum vero exemplum hoc tale eſſe, quod aliis prætextui inſervire minime poteſt; Deus nimirum ſapientiſſimas habuit cauſſas, cur Mulierem hancce conſervare volebat Math. I. 5. nec minus graves ipſi fuere rationes, cur exploratores perire nolebat, unde rem ita ordinavit, ut unum per alterum conſervaretur: Ipſa vero Rahab convicta erat Populum Iſraëliticum eſſe Populum Dei electum, illumque Bella Jehovæ gerere, nec propriam agere cauſſam in Terræ Cananeæ expugnatione. Joſuæ II. 10. 11. Ab una ergo parte ipſi contra propriæ Conſcientiæ convictionem & contra homines ſingulari modo à Deo protectos agendum fuiſſet, ſi Exploratores illos Regi & per conſequens etiam morti tradiſſet, & nihilominus ipſa cum integra urbe illa periiſſet; ab altera vero parte Urbis illius Dominus fallendus fuit; quæritur ergo hoc, an tali in caſu Deo magis, an vero hominibus obediendum

fit? sive an divinum institutum humano, an vero posterius priori præferendum sit? liquet ex his, illam in hoc non peccasse, quod Viros hos Hospites α. excepit, β. quod illos salvos tectosque facere studuit, γ. quod ipsis elabendi medium monstravit, cum Dei consilium ipsi notum esset. Itaque res ipsa à Deo non potuit non approbari; modum vero, quo sese ex labyrintho hoc in quo versabatur extricavit, quod attinet, quatenus mendaciis usa à Rege missos fefellit, non sequitur, quod cum ipsa res & finis à Deo probatus fuerit, modus ipsi per omnia placuerit; licet ipsa in talibus constituta fuerit circumstantiis, ut vix aliud medium invenire potuisset.

Inquiet fortassis aliquis, omnia quæ hic proferimus Revelationis Veritatem præsupponere, ut adeo hæc responsio mea contra Revelationis Adversarios plane nihil valeat. At concedo quod hoc verum esset, nisi Revelationis Veritas jamjam à nobis demonstrata esset, sed postquam rei Veritas Adversario demonstrata est, & id solum adhuc agendum, ut scrupuli qui supersunt tollantur, in nodorum solutione ea quæ antea ceu Vera demonstrata sunt jam pro talibus habenda sunt, prius enim si Adversarius nondum agnoscat, omnes circa objectionum solutiones conatus frustranei erunt.

§. CLXXIX.

Eadem etiam Responsio ad exemplum sequens valet, quando Autor dicit: *Denn es wird niemand behaupten, daß die Hure einen mehreren Befehl gehabt habe dieses zu thun, als Jaël zu einer That, welche die grœste Verrætherey von der Welt war, und um welcher willen dieselbe, weil es zum Vortheil der Israëliten dienete, von der Prophetin Debora für die ruhmwürdigste unter allen Weibern erklært wird.* Jud.

Jud. V. 24. Licet enim res ipsa laudetur, quod maximum Populi Dei inimicum è medio tulerit, inde tamen minime sequitur, ipsum etiam modum sive fraudem qua usa fuit à Deo probatam fuisse.

§. CLXXX.

Ad sequentem vero difficultatem Responsio in ipsis Autoris verbis continetur, dum dicit: *Welchem Prinzen kan es jemahls an Vorwand fehlen, einen Krieg anzufangen, und wenn er einen Einfall in ein Land gethan, alles in demselben auszurotten: Wenn er siehet, daſs Saul von Gott Befehl empfangen hat, die Amalekiter mit Mœnnern, Weibern, Kindern, &c. zu vertilgen; Und dieſes wegen einer angethanen Beleidigung, welche vierhundert Jahre vorher geſchehen war.*

§. CLXXXI.

Deus nimirum non solum Jus vitæ & necis habet, sed quocunque vult ceu instrumento uti potest ad justa sua Judicia exequenda, quamprimum ergo quis à Deo ad Bellum aliquod gerendum expressum mandatum accipit, hoc Jure & hoc titulo illud gerere tenetur: quod vero justum illud Judicium quadringentos annos dilatum fuerit, divinam Longanimitatem indicat, quæ pœnas differt, ut Populus ad frugem redire queat, quod si non fiat, justum etiam de eo sumi potest supplicium.

§. CLXXXII.

Pag. 454. *Würde nicht das Volck, wenn dieſelben, wie die Iſraëliten, keinen Wohnplatz hætten, leicht auf die Gedanken kommen, daſs das Verfahren der Iſraëliten mit den Cananitern ein gutes Beyſpiel für ſie*

wære : Und daſs dieſelben ein benachbartes abgœttiſches Volck, ob ihnen gleich ſolche nicht das geringſte Leid gethan, dennoch überfallen, und nicht allein Mænner und Weiber von ihnen, ſondern auch ſo gar unſchuldige Kinder ausrotten kœnnten, in der Abſicht ihr Land in Beſitz zu bekommen ? Und ich frage : Ob die Spanier wohl ſo viele Millionen Menſchen in Weſt-Indien würden umgebracht haben, wenn ſie nicht geglaubt hætten, daſs ſie mit ihnen, wie mit Cananitern, umgehen kœnnten.

§. CLXXXIII.

Non multum difficultatis habere videtur hæc Iſraëlitarum actio, ſi conſideramus illos tantum vindicis Dei Juſtitiæ fuiſſe executores ; plectere enim Deus Cananæos volebat propter nefanda ipſorum ſcelera ad maximum usque gradum perducta ; neque juſti etiam Populi illi terræ illius poſſeſſores, ſed potius Uſurpatores erant ; quod vero ipſi etiam Infantes cladi huic involuti erant, id in omnibus malis, quæ in Populo aliquo graſſantur, imo in ipſis etiam Bellis hodienum adhuc fieri ſolet.

§. CLXXXIV.

Inſtat Adverſarius meus pag. 468. *Allein da es ein Geſetz der Natur gibt, von deſſen Beobachtung Gott weder ſich ſelbſt noch ſeine Geſchœpfe freyſprechen kan ; ferner keine Religion wahr ſeyn kan, welche nur in den geringſten Umſtænden der Richtſchnur deſſelben entgegen iſt ; Ueber dieſs die Lehren Chriſti alle ſolche Gebotte der natürlichen Religion einſchærffen, welche erfordern, daſs wir Juden und Heyden Gutes thun ſollen, ſo gar eben daſſelbe Gute, welches wir von ihnen erwarten würden - - - müſſen wir nun nicht behaupten,*

ten, wenn wir die Gültigkeit des Alten Test. unterstützen wollen, daſs daſselbe nichts in ſich enthalte, welches mit dieſem natürlichen Rechte, wie ſolches durch die Lehren Chriſti beſtætiget worden, nicht beſtehen kænte. - - Iſt mein Schluſs richtig, ſo ſagen ſie mir, wie ſie das Verfahren der Juden rechtfertigen wollen, da dieſelben die Cananiter, ein freyes und ununterworffenes Volck, und noch dazu ohne vorhergængige Kriegs-Ankündung, überfallen haben: Ob ſie gleich nicht den geringſten Grund zu einiger Beſchwærde gegen dieſelben hatten, bloſs unter dem Vorwand, daſs ſie Abgætter wæren. - - - Dieſes, wie ſie wiſſen, hat den Feinden unſerer Religion groſſen Vortheil gegen uns an die Hand gegeben, weil dieſelben das ganze Verfahren als eine unerhærte That der Ungerechtigkeit und Grauſamkeit anſehen. - - - Ich bin dahero ſehr begierig zu wiſſen, was unſere Gottsgelehrten vorbringen.

B. Mich wundert, daſs ihnen nicht bekannt iſt, wie leicht unſere Gottesgelehrten auf dieſe anſcheinende Schwierigkeit antworten, indem ſie ſich auf einen eigenen Befehl beruffen, nach welchem die Juden mit den Cananitern auf ſolche Art hætten verfahren müſſen, wie ſie gethan haben.

A. Wird nicht ein ſolcher Befehl vergeblich vorgewendet, wenn man nicht zeigen kan, daſs die Sache, welche man befohlen zu ſeyn vorgibt, dem Geſetze der Natur nicht zu wider ſey? Wenn Gott jemanden von demſelben in einem Fall freyſprechen kann: So kan er dieſes auch in allen andern Fællen thun.

B. Kan denn nicht eine Sache, welche in ſo weit unrechtmæſſig iſt, daſs ſie die Menſchen nicht für ſich thun dærffen, durch den Befehl des hæchſten Weſens rechtmæſſig werden?

A. . . Da das Licht der Natur uns lehret, und uns so gar durch einen Beweiss davon überführet, dass Gott unendlich weise und gütig sey: beweiset uns dann dasselbe nicht dadurch zugleich, dass kein Befehl, welcher nicht mit diesen Eigenschafften bezeichnet ist, von demselben herkommen könne; und noch viel weniger ein solcher Befehl, der mit denjenigen Pflichten streitet, welche Menschen als Menschen, einander schuldig sind.

Prolixior paulo in adducendis Averſarii verbis fui, ne quidquam omittam, quod ad difficultatis robur tendit, dum argumentum hoc contra Veteris Teſtamenti divinitatem acutiſſimo Adverſario noſtro ſummi momenti imo inſolubile videatur.

§. CLXXXV.

Paucis nunc diſpiciendum, num argumentum hoc ita comparatum ſit, ut omnis ſpes illud ſolvendi pereat; ut dicam quod de eo ſentio, illud multum probare mihi videretur, niſi nimium probaret. Nimirum Juris Naturæ Principia generalia hæc ſunt: Faciendum quidquid ad propriæ & proximi perfectionis promotionem tendit, contrarium omittendum. Nemo ſine cauſſa eſt lædendus. Alteri id faciendum quod nos vellemus ut nobis faciat, illud omittendum quod ut nobis à proximo fiat nollemus.

§. CLXXXVI.

At quid hic faciunt Iſraëlitæ? Homines invadunt atque occidunt, qui ipſis nullum unquam attulerunt damnum; nemini nec parvulis innocentibus parcunt; ex uno Regno expulſi alterum, in quod nullum ipſis Jus competebat, expugnant; Idque absque antecedente Belli juſte ſuſcepti declaratione, quod TINDALIUS addit

pag.

pag 474. *Wenn die Iſraëliten einen gœttlichen Befehl gehabt hætten, die Cananiter auszurotten, hætten nicht die Cananiter ſolches wiſſen ſollen, damit ſie nicht Leuten, welche aus gœttlicher Gewalt handelten, ſich widerſetzet hætten? Würden nicht ſonſt zwo entgegen geſezte Rechte zu gleicher Zeit ſtatt gefunden haben, ein Recht bey den Juden, nach der Offenbahrung den Cananitern das Leben zu nehmen, und ein Recht bey den Cananitern, nach dem Geſetz der Natur ihr Leben zu vertheidigen?* Unde clariſſime Antiſcripturarii patere exiſtimant, Deum (ſi mandatum hoc divinum fuiſſe ſupponatur) hac ratione Iſraëlitis præcepiſſe, ut contra Jus Naturæ agant.

§. CLXXXVII.

Sed argumentatio hæc probat, 1.) Omnem illum contra Jus Naturæ agere, qui alium Criminis Perduellionis aut Rebellionis reum ſupremi Principis Juſſu occidit, dum alium lædit qui ipſi nihil mali fecit, & ſic Princeps præciperet ut hic, quem Judicii ſui Executorem facit, contra Jus Naturæ ageret, adeoque ſummo gradu injuſtus foret.

Ad rem explicandam ſupponendus eſt caſus aliquis; ſi nimirum Rex aliquis diverſas ſub Imperio ſuo habet Provincias, fieri poteſt, ut in una Provinciarum ſuarum ſubditi contra Principem ſive Regem rebelles fiant, & Regi debitum honorem tribuere, Juraque ad quæ obligati ſunt exſolvere recuſent; ad malo huic magis ac magis graſſanti juſtum remedium adhibendum, opus eſt, ut Rex Duci alicui Exercitus ſui præcipiat, ut cum certo militum numero ſubditos Provinciæ hujus expugnet & vi ad obſequium cogat, pervicaces vero immorigerosque exercitui reſiſtentes absque ulla venia internecioni det; Dux mandata Regis exequitur, immorigerosque ſubditos ſeveriſſime punit, neque cuiquam ſeſe opponenti parcit; Nemo

vero illorum quos occidit vel Duci vel militiæ Præfectis aut militibus quidquam mali adtulit aut quenquam læsit: quis autem hoc in casu diceret, Ducem cum suo Exercitu Provinciæ hujus incolas invadentem contra Jus Naturæ agere? Aut quis Regis Mandatum ita explicaret, quasi præceperit, ut contra Jus Naturæ ageretur, quod ipsemet Rex ille rigidissime observatum vult, dum hos illius transgressores propter violatum Jus Naturæ Politicum punit & severissime injuriam sibi illatam ulciscitur. Quo ergo Jure dici potest, Israëlis Ducem cûm suo Exercitu Jus Naturæ violasse, aut Deum, ut contra illud agerent, præcepisse; dum nihil aliud fecere quam quod eos, qui nefandis criminibus contra Jehovam reos sese reddidere, ipso summi Imperantis jussu exterminarunt, neque magis contra Jus Naturæ egisse censeri possunt quam Dux qui Rebelles exterminat. Ex quibus patet, Viri acutissimi Argumentum Nimium probare, proptereaque nihil probare. Aut ergo supponendum est, majus Jus Regi in subditos Rebelles competere, quam Deo in pessimos sui contemtores, & Regi aliquid licitum esse, quod Deo nequaquam licitum est. Aut concedendum, Deum idem Jus in Rebelles habere, quod Rex habet. Si autem Rex præcipiens, ut Rebelles puniantur, minime præcipit ut contra Jus Naturæ agatur, etiam dici neutiquam potest, Deum aliquid Juri Naturæ adversum mandare, si jubet ut à pessimis Regni sui Rebellibus severissima vindicta sumatur.

§. CLXXXVIII.

2.) Objectio hæc probat, nemini licitum esse Regionem aliquam occupare, in quam antiquius Jus habet eo qui illam usurpat; Justi enim Terræ Cananeæ Possessores fuere Israëlitarum Patriarchæ, & juramento ipsis à Deo promissum fuit, illorum posteros eam hæreditario Jure possessuros. Unde Israëlitæ nihil aliud fecere, quam quod Terram justo titulo ipsis debitam recuperavere, &, resistentibus Regionis illius incolis, armorum vi uti coacti sunt. Gra-

§. CLXXXIX.

Gratis autem Vir acutissimus assumit: Bellum illius Terræ habitatoribus nunquam indictum fuisse; neque adeo modo legitimo susceptum. Nam α. licet Belli declaratio (*das Kriegs-Manifest*) in libris V. T. non reperiatur, inde tamen minime sequitur: Cananitis Belli caussam non fuisse notam; quod β. ex eo patet, quod MOSES dicit Num. XIV. 15. 16. *Si occideres Populum hunc ceu virum unicum, dicerent Gentes hanc famam audientes, non poterat Deus introducere Populum in Terram quam ipsis juraverat:* Unde juramentum illud, sive promissio Israëlitis data, circumjacentibus Gentibus nota fuerit oportet. γ. Insuper ne permittere quidem volebant, ut nonnulli cum Israëlitis pactum inirent, unde Gibeonitis Bellum inferebant eam solum ob caussam, quod cum Josua pacem iniverant. Ex quo patet quam iniquus illorum animus fuerit. Jos. X. 4.

§. CXC.

Instat Vir acutissimus, pag. 471. non opus fuisse, ut Deus ad Terræ Cananeæ Incolas, propter Idololatriam puniendos, hominibus usus fuisset, adeoque contra Jus Naturæ peccare præcepisset, dum mille aliis modis ad pœnas has infligendas uti potuisset.

B. Kann dann nicht Gott gewisse gottlose Vœlcker
„ am Leben straffen, um andere von Begehung sol-
„ cher Laster abzuschrecken?

A. Hat Gott nicht tausend Wege dieses zu bewerk-
„ stelligen, ohne dass er den Menschen den Befehl
„ geben darf solche Dinge zu thun, welche er den-
„ selben durch das Gesetze der Natur verbotten hatte.

„ Würde er nicht dieſes auf eine ſolche herrliche und
„ übernatürliche Weiſe verrichten, daſs jedermann er-
„ kennen müſste, es ſey ſein eigenes Werck.

§. CXCI.

Sed α. Iſraëlitas non contra Jus Naturæ egiſſe ex præcedentibus patet. β. Nemo Deo Leges præſcribere poteſt, quibus modis homines punire debeat, ſufficit modum quo Deus Canaanis Incolas exterminavit, ſuis Perfectionibus minime contrariari; dum & ipſe Exercitibus ſuis eodem modo, quo Rex terreſtris, ad puniendos Rebelles uti poteſt.

§. CXCII.

At nemo, inquit TINDALIUS, magis huic Judicio exequendo ineptus fuit ipſis Iſraëlitis, dum Populus fuit Idololatriæ non minus ac ipſi Cananitæ deditus.

„ Ueber dieſes, vvaren nicht die Juden in Betrach-
„ tung ihrer damahligen Umſtænden, da ſie aus Ægyp-
„ ten heraus kamen, ein Volck, vvelches am aller-
„ vvenigſten geſchickt vvar, die Welt zu überzeu-
„ gen, daſs ſie ſolches nicht aus Eigennutz thæten,
„ ſondern bloſs, um das gœttliche Gericht an einem
„ abgœttiſchen Volcke zu vollſtrecken? Würde vvol
„ Gott in dergleichen Fall hiezu ein Volck ervvecken,
„ vvelches zur Abgœtterey eben ſo geneigt vvar, als
„ die Cananiter ſelbſt.

§. CXCIII.

Tenendum autem primo, illa contra Cananæos Bella Iſraëlitis ab animo ſuo Idololatrico revocandis fuiſſe aptiſſima. Ex hoc enim conjicere poterant, eandem ipſos etiam ultionem manere, ſi per divinam Gratiam ab Idololatria liberati rurſus

sus in illam inciderent, ac Cananæorum Criminum reos se facerent. Uti revera id experti sunt dum ab Assyriæ Regibus captivi ducebantur; unde hoc quod gesserunt Bellum ipsis fortissimi semper motivi loco inservivit, ne in Idololatriam reciderent. Proptereaque hac in re plane nihil deprehendo, quod divinæ Sapientiæ contrarium esse possit.

§. CXCIV.

β. Non hæc unica Belli hujus caussa fuit, ut Gens Idololatrica exterminaretur, sed Israëlitæ justam Terræ illius possessionem recuperare debebant; unde negari nequit, propriam etiam utilitatem accessisse.

§. CXCV.

Huic difficultati aliam adjungit pag. 455. ab exemplo aliquo desumtam, quod Juri Naturæ non minus ac præcedens contrariari videtur.

„ Wie viele Beyspiele, ausser Ehuds (vvelcher Krafft „ eines Befehls von Gott einen Kœnig über einen „ hauffen stiess, zu dem er von seinem Volck mit ei„ nem Geschencke vvar abgeschicket vvorden), füh„ reten nicht die Papistischen Geistlichen aus dem Al„ ten Test. an, die Ermordung der zvveenen Heinri„ che von Franckreich damit zu entschuldigen? Und „ vvenn die Pulver-Verschvverung bey uns zu Stan„ de gekommen vvære, so vvürden sie ohne Zvveiffel „ sich derselben gleichfalls bedient haben, um solche „ zu rechtfertigen.

§. CXCVI.

α. Mandato Dei expresso Eglonem ab Ehudo Jud. III. 15. 20. 21. interfectum fuisse inquit TINDALIUS: Quod ipsum indicat, exemplum hoc ad casus alios trahi minime posse, cum Deus

Jus

Jus ſupremum Vitæ & Necis habeat; adeoque de hominis cujusvis mortis genere juxta Sapientiæ ſuæ Regulas diſponere poteſt. Sed β. nullibi invenio, quod Ehud expreſſo Dei Mandato hoc fecerit; licet enim verſu 15. dicatur, illum à Deo excitatum fuiſſe, ut Judicis & Liberatoris inter Iſraëlitas munere fungeretur, inde tamen minime ſequitur, à Deo ipſi fuiſſe præceptum, ut Eglonem hac ratione interficeret. Et forſan ipſum factum hoc Deo diſplicuit, neque ullibi id ab eo approbatum legimus.

§. CXCVII.

Ex JEREMIÆ porro Cap. XXIX. 7. coll. cum PSALM. CXXXVII. 8. 9. acutiſſimus Vir tum contradictionem, tum Juris Naturæ impugnationem eruere vult.

„ Obgleich Gott den Juden befiehlet, Jer. XXIX. 7.
„ für die Wolfahrt Babylons zu bitten, - - heiſſet es
„ aber nicht dennoch in den Pſalmen CXXXVII. 8. 9.
„ O Tochter Babylon, glückſelig vvird derjenige ſeyn,
„ vvelcher deine kleine Kinder nihmt, und dieſelbe
„ vvider die Steine ſchmeiſſet? Und dieſes aus kei-
„ ner andern Urſache, als vveil ſie von ihren Gefan-
„ genen begehrte, daſs ſie ihr ein Lied von Zion ſin-
„ gen ſolten.

§. CXCVIII.

Ne minimam vero hic repugnantiam invenio: Nam ab una parte Iſraëlitæ jubentur orare pro Regni Aſſyriaci ſalute, ut in illius felici ſtatu & ipſimet felices eſſe queant. Ab altera autem parte Pſalmiſta præſentem triſtiſſimum captivorum Iſraëlitarum ſtatum cum meliori comparat, temporaque illa, eumque Populi Iſraëlitici ſtatum felicem prædicat, quo de hoſtibus ſuis ultio ſume-

sumetur, & quando Regni Babylonici totalis perditio atque interitus adest, ut illud plane destruatur, quoniam cum hac Babylonis vastatione etiam Israëlitarum liberatio conjuncta futura sit. Quod vero Vir acutissimus addit: Eam ob caussam à Psalmista felicem illum prædicari, qui Regnum Babylonicum vastat, quoniam Cives Babylonis ab Israëlitis petierint ut Hymnum ipsis canerent, id gratis adjungitur, vix enim credibile est, quod maximum illud fuerit malum propter quod Israëlitæ Liberationem suam tantopere optaverint, sed omnia ea hic concurrunt, quæ statum illum Captivitatis miserum molestumque reddiderunt.

§. CXCIX.

Sed & hoc TINDALIO cum Veteris Testamenti divinitate pugnare maxime videtur, quod summis laudibus extollantur & ceu sanctissimi describantur ii homines, qui maxima commisere Crimina, Juri Naturæ è diametro adversa.

Ad hoc probandum Davidis adducit exemplum pag. 418. 419. postquam multa de Abrahamo dixerat, dicens: „Hat nicht David, obgleich derselbe ein Weis„ser und ein Mann nach Gottes eigenem Hertzen „ware, verschiedene grobe Verbrechen begangen, von „der Zeit an, da er willens war alle Manns-Perso„nen in Nabals Hause umzubringen, weil ihm die„ser nicht Tribut geben wolte, und solchen Leuten, „welche um Schulden, Missvergnügens und wiedri„gen Schicksals willen sich zu ihm geschlagen hat„ten. Was kœnte eine treulosere That seyn, als dass „derselbe ein Volck gewaltsamer Weise überfiel, „welches, wo nicht gar in Bündnisse, doch zum „wenigsten in guten Vernehmen mit dem Kœnige zu „Gath stuhnd, zu dem er um seiner Sicherheit wil„len seine Zuflucht genomen hatte, und dass er kei„nem Menschen, weder mænnliches noch weibliches

„Ge-

„ Geschlechts leben liefs, damit sie die Sache nicht „ verrathen mœchten, und hernach zu seinem groß- „ müthigen Beschüzer sagte: Er hætte einen Einfall „ in Judæa gethan. Mit einem Worte (des Verfah- „ rens mit Uria nicht zu ervvehnen, an vvelches kein „ rechtschaffener Mann ohne entsetzen gedenken kan) „ schied derselbe nicht mit einem recht unverscehnli- „ chen Gemüthe aus der Welt, da sein letzter Befehl, „ vvelchen er seinem Sohn Salomo hinterliefs, dieser „ vvar: Dafs derselbe Simei solte umbringen lassen; „ ob er gleich demselben vor Gott den Schvvur gethan „ hatte, er vvolle ihn nicht umbringen lassen, und „ er solte nicht sterben, 1. Reg. II. 8. 9. Hisce addit pag. 455. „ Je heiliger die Menschen in dem Alten „ Testament abgebildet vverden, desto grausamer „ scheinen dieselben zu seyn, so vvohl als geneigter „ andere zu verfluchen. Wie mit vollem Masse schüt- „ tet nicht David in dem 109. Psalm die bittersten „ Flüche über seine Feinde aus? Und vvie grausam „ gieng derselbe nicht mit den Ammonitern um, nach- „ dem er ihre Stædte erobert hatte; indem er die „ Leute mit Sægen, mit eisernen Eggen, und mit Aex- „ ten zertheilen liefs? 1. Chron. XX. 3.

§. CC.

Primo quidem non defendimus illorum hominum peccata, qui ceterum sincero corde coram Deo ambularent, neque unquam illa à Deo approbata fuisse ullibi legimus; Sed Deus potius severissime etiam, haud una vice, propter commissa scelera eos castigavit, uti præcipue Davidis exemplo constat, qui per magnam Vitæ suæ partem peccatorum suorum castigationes tulit.

§. CCI.

Secundo maxime vero nobis obesse videtur mandatum, quod David Salomoni successori suo de judicio in Simejum exercendo dedit; moriens enim

enim adhuc vindictæ cupidus & implacabilis fuisse videtur. Unde, licet juramento Simejo promiserat, se illum non interfecturum, attamen nunc moriens præcipit, ut Salomon supplicium de eo sumeret.

§. CCII.

Sed si alio animo hanc Davidis instructionem legimus, quam eo solum, ut inveniamus quod S. Litterarum divinitati obesse posse putamus, aliter se hic res habet. Nam α. in *Genere* præcepit, ut Salomon exactissime in Viis Dei & secundum illius Legem ambularet. β. In *Specie* vero, ut statim in Regiminis sui initio, ab una parte *Misericordiam*, ab altera *Justitiam* & quidem cum Sapientia administraret. *Misericordiam* in filios Barsillai, *Justitiam* tam erga Joabum, qui duos Belli Duces absque regio mandato & sine justa caussa internecioni dederat, quam erga Simejum, qui rebellem sese exhibuerat, atrocissimumque læsæ Majestatis crimen commiserat: Unde talem sese monstravit, qui ut in Regno vel Societate humana toleraretur indignus erat. Promiserat quidem ipsi David, se internecioni illum nequaquam daturum, & promissum quoque servavit. Nunc vero Successori suo mandat (non ex vindictæ cupidine, aliâs ipsemet eum durante adhuc Regno suo mille modis perdere potuisset, & si non vita eum privasset, quod ipsi juramento confirmaverat, saltem ad molestam corporis pœnam ipsum condemnare potuisset), non quidem stricte, ut supplicium de eo propter crimen commissum sumat; sed ut juxta sapientiam suam ita cum eo agat, ut non impunis abeat. Salomonem enim Davidis mentem recte præcepisse

pisse non habemus cur dubitemus ; Joabum, scilicet, de cujus supplicio expressum mandatum accepit, statim interfici curat ; Simejum vero ex Davidis intentione tentat, num adhucdum subditus immoriger futurus sit, ipsique præceptum exploratorium dat, quod cum transgressus est, novi criminis reum sese fecit, mortemque secundum ipsum Jus Naturæ politicum denuo meritus est. David vero animi implacabilis non magis accusari potest, quam quilibet Rex qui criminis læsæ Majestatis reo scelus condonare non vult : & si supplicium propter certas causas differt, & Successori suo ut justitiam exerceat, mandat, an id ex vindictæ cupidine facere censendus est? id neutiquam credibile, cum Ratio status & Lex tam Naturalis quam Civilis id requirat.

§. CCIII.

Tertio, quæ ex Psalmo CIX. de maledictionibus Davidis contra hostes suos afferuntur, facillime evanescunt, si illorum interpretationem ex Novo Testamento desumimus, ex quibus intelligitur, de quanam re Rex Psalmista vaticinatus sit, ut procul absit de propriis illius Adversariis id explicandum esse.

§. CCIV.

Quarto, Davidem vero, juxta TINDALII animum, tam crudelem fuisse haud quaquam credibile est, ut Incolas tot Ammonitarum Urbium modo crudelissimo internecioni tradere jusserit, eosque ita in frusta dilacerari curaverit ; sed ipse textus, historiæque circumstantiæ, potius ostendunt, quod ipsos ex Urbibus suis educens ad varii generis operas publicas condemnaverit,

verit, ita eos dividendo, ut quilibet ad id adhiberetur, ad quod maxime idoneus erat; & ita labores maxime molesti ipsis efficiendi fuerunt, uti adhucdum hodie Bello captis haud raro fieri solet.

§. CCV.

Aliam huic adjungit TINDALIUS difficultatem, ut ostendat in Sacris Litteris Viros Dei ceu homines crudelissimos describi; dum dicit de Elisa: *Wer muß nicht erstaunen, vvenn er findet, daß der heilige Prophet Elisa, 2. Reg. II. 23. 24. kleine Kinder im Namen des Herren verfluchet, vveil sie ihn einen Kahlkopf geheissen haben? Und vvas kan entsetzlichers gehört vverden, als daß zvvo Bærinnen auf seine Vervvünschung zvvey und vierzig kleine Kinder so gleich auffressen.*

§. CCVI.

Si absque exaggeratione loqui velimus, Pueri hi admodum teneri fuisse non videntur, uti illos Vir acutissimus describit; vocantur quidem נְעָרִים קְטַנִּים; Vox vero hæc nihil aliud significat, quam homines non adultos fuisse. Si vero ipsimet parvi fuerint, saltem illorum malitia parva non fuit, dum hominem, qui nil mali ipsis attulerat, & quidem Virum Senem, ita scommatibus proscindunt; & ex ipsa hac agendi ratione malitiam non uno modo illos exercuisse apparet; sed pessimæ indolis fuerint oportet, quod Deus vita non amplius dignos illos judicaverit, sed occasionem solum hanc exspectaverit, ut mensura scelerum impleta eos tali modo perderet, qui aliis documento servire posset. Unde Propheta non proprio nomine agit, sed Jehovæ

nomine eos execratur, & ſecundum illius Voluntatem id factum eſſe ex hoc patet, quod ſtatim ſic dirigente divina Providentia duæ ex ſylva adjacente prodiere Urſæ.

§. CCVII.

Nihil magis TINDALIO ejusque generis hominibus placet, quam ſi Verbi divini Miniſtros avaritiæ accuſare, eosque donorum cupidine teneri arguere poſſunt; Unde exemplum Eliſæ non una vice urget, quod magni pretii Summam à Syriæ Rege acceperit. Neſcio qui fiat, ut Eccleſiaſticis id ſemper imputetur. Neſcio an inde ſit, quod revera multi illorum Auri & Argenti fame laborent? An vero apud multos ex inopia id fiat, dum illorum Salaria tanta non ſint, ut vitam ſuſtentare queant? An denique ex odio erga eos illorum nævi magis quam aliorum hominum exaggerentur?

De Eliſa Adverſarius noſter ait: pag. 443. „ Und „ dieſes (quod ſcil. Syriæ Regi veritatem non dixerit) „ ſchien um ſo viel mehr eine groſſe Undankbarkeit „ von dem Propheten zu ſeyn, vveil derſelbe eine La„ dung Gut von vierzig Kamelen aus Damaſcus be„ kommen hatte, dem Kœnige die Wahrheit zu ſa„ gen, & pag. 456. Eben derſelbe gab auch ſeinem „ Diener Gehaſi, und ſeinem Samen auch evvig den „ Fluch des Auſſazes, vveil derſelbe ohne Vorvviſſen „ ſeines Herren von dem Aſſyrer Naaman ein kleines „ Geſchenk genommen hatte, obgleich der Weiſſa„ ger ſelbſt nach der Zeit ſich eine Ladung Gut von „ vierzig Kamelen von Damaſcus zum Geſchenke ge„ ben lieſs, um dem daſigen Kœnig vvegen ſeiner Ge„ neſung die Wahrheit zu ſagen, und dennoch den„ ſelben betrog. 2. Reg. V. 27. Cap. VIII. 9. ſeqq.

At

§. CCVIII.

At non video, quo jure hæc Elisæ objici queant; nihil enim ex Naëmanis manibus, magni pretii donum ipsi offerentis, sumere volebat, sed plane id recusabat, licet Naëman valde instaret. 2. Reg. V. 16. in præsenti vero octavo Capite quidem dicitur: Hasaëlem jussu Regis dona Elisæ offerenda sumsisse, ea vero ab ipso accepta fuisse, nullibi invenio. Sed supponamus Elisam ea sumsisse, nihil mali ipsum fecisse arbitror, avarum enim eum minime fuisse ex exemplo præcedente patet; unde ut illius inopia sublevaretur id factum fuisse censendum est.

§. CCIX.

Quod vero Gehasi lepra percussus fuit, id miraculo factum judiciumque divinum fuit. Neque parvum crimen erat, quod commisit; sciverat enim Elisam Virum Dei juramentum fecisse, se nihil accepturum, & tamen Domino suo nolente & insciо Gehasi Naëmanem prosequitur, & Elisæ nomine argenti summam ab eo petit; unde non modo Elisæ voluntatem transgressus, sed nec bonæ Domini sui, Prophetæ divini, famæ pepercit, dum Elisam se jussisse dicit, ut petat quod mox juramento recusaverat. Sed insuper mendaciis adhuc absentiam suam excusat, Prophetamque fallere studet.

§. CCX.

Quænam vero fuerint rationes, cur tale responsum Benhadado referri Elisa jusserit, mihi satis perspectum non est; neque de hoc hic proprie agitur. Aegre uti videtur tulit, quod Ben-

hadad donis ipsum flectere aut corrumpere studuit, neque illum alia responsione dignum judicavit.

§. CCXI.

Quæ de Eliæ crudelitate afferuntur, non probant quæ probare deberent, 2. Reg. I. 9. 12. 1. Reg. XVII. 1. dum singularia Dei, aut in Personas singulas, aut in integras Regiones fuere judicia, Prophetaque jussu & vi divina egit, quæcunque in allatis exemplis fecit.

§. CCXII.

Illud argumentorum genus, ad divinam Librorum Vet. Test. originem impugnandam, inde desumitur, quod multa in illis Deo quammaxime indigna ipsi adscribantur. Primo quidem, quod contra Jus Naturæ agat, cum æternas Justitiæ regulas transgrediens, ipsos innocentes nocentum loco punire dicatur. Quod si verum esset, Deum hac ratione agere, nullum etiam in hominibus hoc scelus futurum, si & ipsi Deum hac in re imitentur.

Pag. 458. seqq. nonnulla hujus rei TINDALIUS affert exempla, inquiens: „ Diesem ungeachet, gibt es „ nicht Beyspiele in der Schrifft, vvelche nach ihrem „ Wortverstande angenommen, zu verursachen schei„ nen, dass Gott den Lauff der Natur, und die ordent„ lichen Regeln seiner Vorsehung breche, um die „ Menschen vvegen solcher Verbrechen zu straffen, „ an vvelchen sie keine Schuld haben. Affert loca 2. Sam. XXI. 1. XXIV. 15. 17. Addit pag. 461. „ Inzvvüschen muss man doch gestehen, dass dieser Geist „ (ich vvolte nicht gerne sagen, der Geist der Grau„ samkeit) nicht durchgehends auf gleiche Weise im „ Alten Test. herrschet, sondern je näher man auf „ die Zeiten Christi kommt, desto sanfftmüthiger trift „ man

„ man denſelben an. Denn obgleich Gott in den ze-
„ hen Gebotten ſaget, er vvære ein eiferſüchtiger
„ Gott, vvelcher die Miſſethat der Aeltern auch noch
„ an ihren Kindern biſs in das dritte und vierte Ge-
„ ſchlecht ſtraffe; und auch nach dieſem Ausſpruch
„ Achan bloſs um ſeines perſœnlichen Verbrechens
„ vvillen mit ſeinem ganzen Hauſe vertilget vvürde:
„ So erklæret doch der Herr nach der Zeit diejenige
„ Perſon, vvelche die Miſſethat begangen hætte,
„ dieſelbe ſolte ſterben: Der Sohn ſolte nicht vve-
„ gen der Miſſethat ſeines Vaters leiden, u. ſ. vv. Ob
„ es gleich klar iſt, daſs vorhero der Sohn in dieſem
„ Fall allerdings leiden müſste, indem Gott zu Abra-
„ ham ſaget, der unbeſchnittene Knab ſolte aus ſei-
„ nem Volcke ausgerottet vverden, vvobey dennoch
„ nicht im geringſten gedacht vvird, daſs ſeine Ael-
„ tern deſsvvegen, vveil ſie ihn nicht beſchnitten
„ hatten, einige Straffe leiden ſolten.

§. CCXIII.

Priora exempla ex Davidis hiſtoria deſumta quod attinet, tenendum eſt; quod non is locorum illorum ſenſus ſit, quod ſolum Principis peccatum in cauſſa ſit, cur Deus integram Regionem puniverit; Nam & variis modis ſubditi peccati Principis participes eſſe poſſunt. Et corruptio aliqua univerſalis, quæ in Populo invaleſcit, meretur, ut ſubditi iis etiam judiciis implicentur, quibus Rex vel Princeps punitur. Et licet peccati illius, quod Princeps commiſit, proprie rei non ſunt, ſufficientes tamen poſſunt adeſſe rationes, aliaque crimina, quæ pœnarum illarum eos dignos faciunt, & propterea apud Deum pœnæ obnoxios reddunt.

§. CCXIV.

Ex priori enim apparet exemplo, non ſola Sauli domusque illius crimina in cauſſa fuiſſe,

cur Deus fame Regionem Judaicam visitaverit; aliâs pœnam tamdiu, ad Davidis usque regimen, non distuliſſet, ſed Saulo adhuc vivente Populum judiciis ſuis viſitaſſet. At expectare voluit, usque dum menſura ſcelerum Populi Iſraëlitici repleta eſſet, & ita caſtigationibus ſuis, ut pœnitentiam agant & ad frugem redeant, eos monere.

§. CCXV.

Sed inquiunt Adverſarii: Judiciis ejusmodi generalibus pios æque ac impios implicari, adeoque noxios & innoxios in eundem apud Deum cenſum venire. Hæc vero difficultas ex iis facile ſolvi poteſt, quæ Cap. VII. ad hanc objectionem Deiſtis reſpondimus. α. Enim Deus juxta Regulas quasdam univerſales, Sapientiæ ſuæ conformes, agit; ut perpetuis opus eſſet miraculis, ſi mala phyſica iis ſolum contingere deberent, qui ingentis alicujus criminis reos ſe fecerunt. β. Juxta divinam Sapientiam mala illa, quæ Piis etiam accidunt, ita diriguntur, ut vel majora ab iis avertantur mala, vel in bonum eorum tendant, omniaque denique ad finem Mundi univerſalem & Univerſi perfectionem concurrant.

§. CCXVI.

Si deinde Deus peccata parentum in ipſis infantibus punire dicitur, non ita hoc intelligendum, ac ſi poſteros propter ipſa parentum peccata puniret, ſed ipſa infantum corruptio, propter quam parentum crimina ſequuntur, etiam pœnæ cauſſa eſt. Unde non dicitur, quod Deus infantes puniat propter parentum ſcelera, ſed quod illorum ſcelera in ipſis etiam infantibus ea imitantibus viſitet. Quod

§. CCXVII.

Quod vero Achan cum integra sua familia perditus fuerit, non ita concipiendum, ac si ejus filii filiæque nullis criminibus Deo fuissent obnoxii, propter quæ hac occasione ex divino mandato supplicium ab iis sumi potuisset; sed potius non minus ac Patrem suum reos se fecisse censendum est, ut integra familia scelesta fuerit; & hoc sensu Deus crimina parentum in ipsis etiam infantibus visitare dicitur.

Ne & hic contra peccati primi imputationem, adeoque etiam contra *Formulam Consensus Helveticam* aliquid dixisse videar, Lector Benevolus monendus mihi videtur, differentiam esse inter primi parentis peccatum ejusque sequelas, & peccatum cæterorum parentum. Propter prius omnes posteri justo divino judicio in foro Dei rei censentur Imputatione immediata, quia Adamus Caput fuit, non naturale tantum, sed & repræsentativum atque fœderale, ut omnes illius Liberi propter adstipulationem Fœderi cum primo parente pacto cum eo idem feciſſe, adeoque eandem etiam Pœnam meruisse, reputari possint. Non eadem vero ratione parentum post Adamum viventium peccata sese habent, ea enim nonnisi mediate Liberis imputari, inque iis puniri possunt, quatenus eorundem scelerum participes, iisdem etiam cum parentibus Pœnis implicantur.

§. CCXVIII.

Exemplum ex Gen. XVII. 14. allatum plane nihil probat. α. Enim falso Vir acutissimus affert & supponit[3], nullam parentes, infantum suorum circumcisionem negligentes, pœnam mansisse; ipsum enim Mosen Deus propter neglectum huncce occidere volebat. Unde concludere licet, quod, etsi in loco citato nulla pœ-

næ parentum mentio fiat, illis tamen non ignotum fuerit, inobedientiæ mercedem sibi exspectandam esse, si expresso Dei mandato non satisfacerent. β. Cum Deus circumcisionis mandato addit: Puerum non circumcisum exscindendum: Hoc est, non pro Ecclesiæ membro habendum esse, *primo*, Parentes tanquam motivo ad exactam præcepti hujus observationem obligare vult, *Secundo* ostendit, quam necessarius sit ritus hicce, & quænam illius sit vera ratio; quod scilicet sit signum & sigillum, tam communionis cum Deo, quam cum reliquis Ecclesiæ membris. Unquam vero supplicium de infante non circumciso sumtum, ut neglectus parentum pœnam ille luerit, nullibi invenio.

§. CCXIX.

Ut porro Adversarii probent, *Rationem unicam esse Religionis normam & principium*, ex quo S. Scriptura explicari debeat: Et ut Sacrarum Litterarum divinam Originem, si possibile, labefactent, talia, ex Libris præcipue Vet. Test. afferunt loca, quæ ideas de Deo parum dignas nobis præbere, quæque si non indigna Deo affingere velimus, ex Rationis principiis ut interpretemur necesse sit.

Multa hujus rei à TINDALIO afferuntur exempla Cap. XIII. pag. 429. seqq. Ut quod Deus Juret in ira sua Deut. I. 34. Psalm. XCV. 11. addit pag. 430. „ Was muß der gemeine Mann sich für Begriffe von „ Gott machen, daferne das Licht der Natur ihn nicht „ zu recht weisen kann: Wenn derselbe findet, daß „ es heisset: *Gott sey eiferſüchtig und wütig.* „ Nah. I. 2. Ezech. XXXVIII. 18. 19. Daß Gott sei- „ nem geliebten Volcke Rechte gab, *welche nicht* „ *gut*

„ *gut waren, und Geſetze nach, welchen ſie ihr*
„ *Leben nicht erhalten kœnten?* Ezech. XX. 21. 25.
„ Act. XV. 10. Pag. 431. Was für vvunderliche Be-
„ griffe müſſen nicht die Menſchen überhaupt, vvenn
„ die Vernunft dieſelben nicht zu recht vveiſen kan,
„ von dem hœchſten Weſen bekommen, vvenn ge-
„ ſaget vvird: *Er habe geruhet, und ſich wie-*
“ *der erquicket; Und daſs der Wein ſo wol Gott*
„ *als Menſchen munter macht.* Exod. XXXI. 17.
„ Jud. IX. 13. Und vvelches noch ſeltſamer iſt, vvenn
„ demſelben ſolche Handlungen beygelegt vverden,
„ vvelche nur Geſchœpften von dem niedrigſten Range
„ zukommen kœnnen, dergleichen *Ziſchen* iſt, da es
„ in dreyen Stellen der Propheten heiſſet, *daſs Gott*
„ *ziſche.* Jer. V. 26. Zach. X. 8. Jeſ. VII. 18. pag. 433.
„ *Daſs Gott kœnne geſehen werden.* Exod. XXIV.
„ 10. 11. XXXIII. 11. Da es doch in eben demſel-
„ ben Capitel heiſſet, kein Menſch vverde ihn ſehen,
„ und bey Leben bleiben, vers 20. Pag. 434. Nach
„ eben dieſen eingeſtandenen Reglen, vvelche ſie vor-
„ hin aus denen Gottesgelehrten angeführet haben,
„ müſſen vvir die zvvo Unterredungen nicht den Wor-
„ ten nach verſtehen, vvelche Hiob I. 11. zvviſchen
„ Gott und dem Satan erzehlet vverden: Da der Sa-
„ tan in einer recht artigen Geſellſchaft mit den Kin-
„ dern Gottes vor dem Herren erſcheinet, und vvor-
„ auf Gott, vveil der Satan auf keine andere Weiſe
„ Hiobs Aufrichtigkeit eingeſtehen vvill, demſelben
„ erlaubet, Hiobs Kinder und Sclaven umzubringen,
„ und denſelben in das æuſſerſte Elend zu verſezen,
„ um die Probe davon zu machen. Affert etiam lo-
„ cum Zach. III. 1. 2. Müſſen vvir, pergit Autor,
„ nicht dencken, daſs es Gott eben ſo vvol unanſtæn-
„ dig ſey, mit einer Schlange, vvie mit dem Satan,
„ zu reden. Addit pag. 436. Es glauben auch eini-
„ ge, der Verfaſſer dieſes Buchs (Geneſeos) habe
„ den Grund nicht eingeſehen, vvarum bey dem An-
„ vvachs des menſchlichen Geſchlechts die Verſchie-

„ denheit der Sprachen nothvvendig erfolgen müſſen,
„ vveil derſelbe Gott einführet, daſs er herunter kom-
„ me, die Stadt und den Thurm zu ſehen, deſſen Spi-
„ ze, dem Vorhaben nach, biſs an den Himmel rei-
„ chen ſolte. Gen. XI. 4. 6. 7. *Adducit etiam Jacobi*
„ *certamen cum Deo per noctem integram.* Gen.
„ XXXII. 24 - 29. Pag. 437. *In Hiſtoria Bi-*
„ *leami multa Autori etiam abſurda videntur, di-*
„ *centi:* Was für eine Menge Begriffe muſste nicht
„ Bileams Eſel haben, daſs er im Stande vvar, mit ei-
„ nem Herren vernünfftig zu ſtreiten, nachdem der-
„ ſelbe den Engel ſahe und erkante. Und obgleich
„ Petrus ſaget, der ſtumme Eſel hætte mit menſchli-
„ cher Sprache geredet, und dem Weiſſager ſeine Un-
„ ſinnigkeit vervvieſen, 2. Petr. II. 16. ſo kan man
„ doch aus der Geſchichte ſelbſt nichts erkennen,
„ vvelches einer Unſinnigkeit æhnlich vvære. Denn
„ dieſer Weiſſager that nichts, als vvas ihm der Herr
„ befahl, und erklærete ſich ausdrücklich: Wenn mir
„ Balack ſein Hauſs voll Silber und Gold geben vvol-
„ te, ſo kan ich doch nicht gegen das Wort des
„ Herren meines Gottes mitgehen. Da er auch mit
„ Balacks anderer Geſandſchaft gieng, ſo geſchahe
„ dieſes auf ausdrücklichen Befehl Gottes: Und den-
„ noch ſtehet an dem gedachten Orte dabey, Num.
„ XXII. 22. Der Zorn Gottes vvürde entzündet, vveil
„ er mitgieng. Und hierauf folget das Geſpræch zvvi-
„ ſchen dem Herren und ſeinem Eſel. *Accedunt his-*
„ *ce Mandata quædam Prophetis data, quæ Deo non*
„ *admodum digna videntur.* Pag. 436. Wie viele
„ Befehle hat nicht Gott ſeinen Weiſſagern gegeben,
„ vvelche den Worten nach angenommen, Gott unan-
„ ſtændig zu ſeyn ſcheinen, vveil ſie nach denſelben,
„ vvie unſinnige und dumme Leute hætten handeln
„ müſſen. So gieng zum Beyſpiel, der Prophet drey
„ Jahr nach einander nacket. Jer. XX. 3. Jeremias be-
„ kommt Befehl ſeinen Gürtel vveit vveg biſs an den
„ Euphrat zu tragen, und daſelbſt zu begraben, und

„ nach

„ nach geraumer Zeit vvird er hingeſchickt, denſel-
„ ben vvieder auszugraben. XIII. 4. 6. Es vvird ihm
„ befohlen, Bande und Joche zu machen, XXVII. 2. 3.
„ Ezechiel bekommt von dem Herren Befehl, die
„ Stadt Jeruſalem auf einem Ziegelſtein abzureiſſen,
„ und hierauf ſolche zu belageren &c. Ezech. IV.
„ 1-4. Unmittelbar darauf vvird ihm befohlen 390.
„ Tage lang auf einer Seite, und 40. Tage auf der
„ andern zu liegen, und vvæhrender ſolcher Zeit
„ Brod mit Menſchen-Kath angemacht zu eſſen, E-
„ zech. IV. 12. 15. In ſeinem Hauſe ein Loch durch
„ die Wand zu brechen. Cap XII. 5. 6. Addit.
„ Apoc. X 9. Ezech. III. 1. 3. Cap. V. 1. 2. 3. 4.
„ *Ut & exemplum Prophetæ Hoſeæ Cap. I. 2. ſeq.*
„ Welcher zugleich ein Prieſter vvar, bekommt den
„ Befehl, ſich eine Hure beyzulegen, (unerachtet die-
„ ſes nach Moſis Geſetzen einem Prieſter verbotten
„ vvar), und Huren-Kinder anzunehmen, mit die-
„ ſer Frau zeugte derſelbe drey Kinder, vvelchen der
„ Herr ſelbſt ihre Namen beylegte.

§. CCXX.

Ad eas Phraſes quod attinet, quæ divinis Perfectionibus atque Majeſtati parum convenientes videntur, tenendum eſt, α. Deum duplici modo in S. Litteris ſeſe revelare, nempe qualis *in ſe* eſt, & qualis, præcipue ratione effectus, *erga Creaturas* ſuas eſt. Seſe, inquam, patefacit qualis in ſe & ratione eſſentiæ ſuæ eſt, cum ſe deſcribit ceu *Spiritum infinito intellectu præditum.* Pſal. CXXXIX. 7. ſeq. ceu *Omniſcium*, qui omnia è longinquo videt & prænunciat, Jes. XLIV. 7. XLV. 21. cui omnia nuda & patentia ſunt Heb. IV. 13. Deſcribitur porro ut *Immutabilis.* Mal. III. 6. qui in hoc ab hominibus diſtinguitur, quod ipſum non pœniteat, Num. XXIII. 23. Ut *Omnipræſens*; nam cœli cœlorum non capiunt ipſum.

sum. 1. Reg. VIII. 27. Sese etiam manifestat ut omnium rerum *Creatorem, Conservatorem ac supremum Dominum*; legantur præcipue Cap. XLIV. XLV. Jesajæ.

§. CCXXI.

Sed talem etiam Deus sese describit, qualis ad Creaturas & ratione effectus sui est. In quibus locis talibus utitur phrasibus, quæ de hominibus effectum huic aliquo modo similem edentibus usurpari solent. Quæ vero locutiones ex illis explicandæ sunt Scripturæ locis, quæ de divinis Perfectionibus ita loquuntur, uti Essentiæ divinæ convenit. Cum scilicet Deus dicit se esse *Immutabilem*, patet pœnitentiam, quæ ipsi adscribitur, involvere mutationem non consilii, sed solummodo operis. Quoniam dicitur *Omnipræsens*, apparet, illum proprie nec descendere nec adscendere, sed de effectu solum & singularibus præsentiæ illius signis methaphoram hanc intelligendam esse: Ita *Ira* respectu Dei affectum minime significare potest, cum sit immutabilis; sed talis eam ob caussam dicitur, quod homines punit, & Gloriam suam vindicat, quod inter homines ut effectus Iræ considerari solet.

§. CCXXII.

At dicere possent Adversarii, ejusmodi locutionibus minime opus fuisse, dum multis aliis Deo dignioribus idem sensus exprimi potuisset. Observandum ad hæc β. quales fuerint circumstantiæ, & Populi illius, ad quem Sermo fit, idoles; & qualis sit lingua illa, qua hæc pronuntiantur, nam Populus Judaicus sensibus quasi immersus fuit, ut crassissimos plerumque de rebus

rebus divinis habuerit conceptus ; unde pauciſſimi illorum intellexiſſent, ſi Deus modo plane ſubtili & metaphyſico ſolum de ſemet locutus eſſet ; propterea illorum ruditati ſeſe accommodare voluit, & cum ipſis balbutire atque humano more de ſeipſo loqui, ita tamen, ut omnia tendant ad Veram Pietatem hominibus inculcandam, eosque ut Deum revereantur & timeant coñovendos. Lingua porro Hebræa & Orientales omnes ita comparatæ ſunt, ut allegoriæ & metaphoræ ipſis ſint familiariſſimæ, neque phraſes in illis adhibitæ tales conſiderandæ ſunt, quales in linguis noſtris apparent, ſed quales ex genio illius Linguæ, qua divinæ Litteræ conſignatæ ſunt, explicari & intelligi poſſunt.

§. CCXXIII.

Narrationes quasdam quod attinet, quæ Adverſariis incredibiles videntur, & à ratione abſonæ *a.* negari nequit, multa in multis Vet. Teſt. narrationibus nobis remanere obſcura, quæ haud facile explicari queant ; ipſum Factum tamen propterea non magis negari poteſt, quam quæ in aliis Hiſtoriographis fide digniſſimis reperiuntur. Unde ſi talia facta, in Libro divinis plane characteribus cæteroquin prædito occurrant, quæ nobis abſurda & à veritate aliena videntur, id intellectus noſtri imbecillitati, omnium circumſtantiarum ignorantiæ potius adſcribendum, quam vero res ipſa neganda. In rebus enim, quæ non apertiſſimam involvunt contradictionem, prudentia magis requirit, ut judicium noſtrum ſuſpendamus, quam ut imprudentes & temere rem quam non concipimus rejiciamus.

Ut

§. CCXXIV.

Ut tamen nonnulla ad exempla allata reſpondeamus, in Hiſtoria lapſus primorum parentum nihil plane occurrit à ratione abſonum, niſi quod id contigerit impulſu maligni cujusdam ſpiritus, qui propter aſtutiam ſerpentis nomine inſignitur, quod nullam plane involvit contradictionem, neque adeo impoſſibile eſt.

§. CCXXV.

Hiſtoria Luctæ Jacobi id indicatur, quod fideles à precibus ſuis deſiſtere non debeant, ſed quod Deum pro benedictione ſua orando & obſecrando indefeſſos illos eſſe oporteat, donec ipſum ad exauditionem quaſi movendo vicerint.

§. CCXXVI.

Narrationem vero illam Hiobi Cap. I. de colloquio Satanæ cum Deo allegorice eſſe interpretandam, modo populis linguisque Orientalibus familiari, nemo habet cur dubitet; indicatur illa, quænam ratio ſit, cur Deus ſæpiſſime pientiſſimos etiam gravibus afflictionibus caſtiget; nempe ab una parte, ut ipſos adhuc magis humiliet, ab altera vero parte, ut malignis Spiritibus, hominibus præcipue aliis monſtret, quousque ſui in veræ Virtutis tramite proceſſerint. Filios vero Filiasque Hiobi non eam ob cauſſam fuiſſe necatos, quia malignus illius Adverſarius id petivit, ſed morem illorum vivendi in cauſſa fuiſſe, ex ipſius Hiſtoriæ narratione clariſſime patet. Uti dives Epulo nimirum quotidie ſplendide vivebant; & Timorem Domini ab illis abfuiſſe haud obſcure indicatur, ut adeo juſtam ſcelerum ſuorum pœnam luerint.

Bilea-

§. CCXXVII.

Bileami vero Historiam ejusque cum Asino colloquium si consideramus, patet illud omnino rem plane extraordinariam & miraculum fuisse, quod nemo admittit, nisi qui prius de Librorum Sacrorum divinitate convictus est; Sed nemo negare poterit, rem illam per Dei Omnipotentiam possibilem esse, ut Asini lingua ita præparetur & moveatur, ut sonos articulatos formare queat. Neque illud etiam Sapientia Dei hoc in casu indignum fuisse, is facile convincitur, qui veritatis amore tenetur, ut vero eousque progrediamur, uti TINDALIUS opinatur, ut statuamus, Asinum ea, quæ locutus est, percepisse & intellexisse, opus non est, neque id in Historia illa asseritur; fuit hoc jumentum ex creaturis illis gemebundis vanitati subjectis, quæ sæpius possessori iis abutenti obloquerentur si possent.

§. CCXXVIII.

Contradictio vero illa, quam TINDALIUS ibi invenire sibi videtur, facile evanescit, si consideramus, Deum quidem Bileamo ut ad Balackum migret permisisse, imo ut ad illum abeat, & populo suo benedicat jussisse. Id autem quod Deo in hac actione displicebat erat Bileami animus, qui non recte comparatus erat; licet enim Dei mandatum transgredi minime audebat, dum pœnam insequentem metuebat, lubens tamen Balacki Voluntati, nisi prohibitus esset, satisfeciisset; Unde distinguendum inter actionem illam externam & internam, inter ipsum Bileami actum & illius animum ac desiderium. Non prius erat propter quod Deus iratus fuisse dicitur;

tur, sed quia internum cordis Bileami desiderium cum divina Voluntate non conforme erat.

§. CCXXIX.

Mandata Prophetis, Jesajæ, Jeremiæ & Ezechieli nec non Hoseæ data à sapientissimis etiam interpretibus non ad litteram, sed sensu mystico & allegorico explicantur, si vero concedamus, sensu proprio ea intelligenda esse, observandum est, quasdam consuetudines a nostris alienissimas, aliosque docendi mores per signa, per repræsentationes, gestus externos visibilesque, nobis absurda videri, quæ talia non sunt, si ex consuetudine, moribus & circumstantiis illius populi, in quo facta sunt, dijudicentur. Et si ipsum etiam Præceptum Hoseæ datum sensu proprio exponamus, nihil Sapientia Dei indignum ibi deprehendimus. Populus nimirum Israëliticus per Idololatriam à Deo defecerat, scelus committens, quod in S. Codice Adulterii spiritualis nomine venit. Ut autem Deus Populo rudi illi ob oculos poneret, quo loco crimen illud ab ipso habeatur, & quam turpe in oculis illius sit, Prophetam aliquid facere jubet, quod in se nec execrabile nec Juri Naturæ adversum est. Judæis tamen propter statuta sua maxime execrabile videbatur; per quod propterea enormitas sceleris, à Judæis commissi, optime Populo illi rudi depingi poterat, dum Deus Prophetam & Sacerdotem jubet, ut Scortum matrimonio ducat & cum illa liberos generet. Verum quidem est, Deum præcepisse, ut Sacerdos summus nonnisi Virginem intemeratam uxorem ducat; cum vero lex illa non Naturalis, sed mere arbitraria fuit, etiam negari nequit, illum cer-

certis in casibus de ea dispensare & aliud jubere posse. Id ergo hoc mandato quæsivit, ut stupido atque rudi illi Populo, sensibus quammaxime immerso, re aliqua visibili, illisque maxime detestabili ob oculos poneret, & quasi depingeret, quam execrandum coram Deo Idololatriæ scelus sit, utque illos hac ratione ab illo avocaret, idque in illorum animis detestabile redderet.

§. CCXXX.

Hisce difficultatibus porro addunt, in Libris V. T. Deo haud una vice peccata tribui, ut quod cor Pharaonis induraverit; quod Simei jusserit, ut Davidi malediceret; quod Davidem incitaverit, ut Populum numeraret; quod efficaciam erroris immittere dicatur, & quæ ejusmodi alia plura.

§. CCXXXI.

Ad hæc ante omnia observandum: Nihil tantopere in S. Litteris inculcari, quam Deum esse peccati osorem, eum esse sanctissimum scelerum vindicem. Unde facile patet, illa loca, quæ, absit blasphemia, Deum nonnullorum factorum illicitorum autorem facere videntur, benigne esse interpretanda, dum linguæ orientales duras ejusmodi locutiones amant, quæ in linguas nostras vernaculas translatæ rigidissimo sensu accipiendæ non sunt.

§. CCXXXII.

Multoties nimirum phrases illæ de sola peccati *permissione* explicandæ, quam divina Sapientia non indignam esse suo loco demonstravimus. Aut sola circumstantiarum & *occasionis oblatio* in-

telligitur, ita comparata, ut cum sapientissimo rerum nexu optime cohæreat, proptereaque Deum deceat; præcipue cum eventus divinarum illarum dispensationum à liberrima hominis determinatione dependeat. Vel *auxilii* divini *denegatio* indicatur, quod Deus non tantum hominibus illud nequaquam petentibus conferre neutiquam tenetur, sed & propter hominum sceleratorum & obduratorum resistentiam justissime illud denegat, uti Pharaoni contigit. Vel denique duræ ejusmodi locutiones sapientissimam mali ad finem optimum directionem denotant.

§. CCXXXIII.

Novam hisce difficultatibus Adversarii *Objectionem* adjungunt, desumtam ex controversiis & contradictionibus nonnullis magis apparentibus quam veris; præcipue Historicis, Chronologicis, Genealogicis, Geographicis, & Arithmeticis. In quibus locis vel Libri illius Autorem fefellisse, vel corruptionem admittendam esse Antiscripturarii existimant.

Unde TINDALIUS Cap. XIII. pag. 460. „ Was sie „ hier gedencken, mag vvohl vvahr seyn (scilicet „ in der Geschicht von Davids Zehlung des Volcks). „ Denn es haben sich viele Fehler in das alte Testa„ ment eingeschlichen: so dass nicht leicht ein Ca„ pitel in demselben befindlich ist, in vvelchem eini„ ge Begebenheiten oder Nachrichten berühret vver„ den, vvorinnen nicht Dinge enthalten sind, vvelche „ in der ersten Urkunde unmœglich auf solche Art „ kœnnen gestanden seyn. Eben in diesem Buch der „ Chronicke vverden Sachen erzehlet, vvelche viel „ zu neu sind, als dass sie von Esra oder Nehemia „ kœnnen eingerückt seyn: Ich kan noch hinzu se„ zen, dass die jüdischen Geschichte meistentheils

„ aus

„ aus vveitläuftigen Urkunden genommen vvorden;
„ so ist es kein Wunder, dass die Auszüge darvon
„ nicht allezeit richtig genug gemacht sind. Pag.
„ 574. Hæc affert TINDALIUS: Wir müssen vvahr-
„ haftig uns auf das genaueste an das Licht der Natur
„ halten: Wenn dasjenige vvahr ist, vvas ein gelehr-
„ ter und Hoch-Ehrvvürdiger Kunstrichter anmerket,
„ (NYE von der natürlichen und geoffenbahrten Re-
„ ligion pag. 198. 199.) Nemlich, alle scharffsinnige
„ und unpartheyische Personen müssen gestehen, dass
„ in unsern gegenvværtigen Abschrifften der heiligen
„ Bibel viele Verfælschungen angetroffen vverden, und
„ dass vvir dieses theure Buch jezo nicht mehr in der-
„ jenigen Vollkommenheit und Richtigkeit haben,
„ vvorinnen dasselbe Anfangs geschrieben vvorden.
„ Es ist an vielen Orten geændert, und zvvar in eini-
„ gen Stücken, vvelche von der grœsten Wichtigkeit
„ sind. . . Ich glaube, ich kœnnte dasjenige durch
„ unleugbare und unvviederlegliche Beyspiele ervveis-
„ lich machen, vvas Herr Gregorius zu Oxford saget,
„ in der Vorrede zu einigen critischen Anmerckungen
„ über die Schrifft, vvelche derselbe heraus gegeben
„ hat. Es ist kein Schrifft-Verfasser in der Welt, sa-
„ get dieser gelehrte Kunstrichter, vvelcher durch die
„ Gevvaltthætigkeit der Zeit so viel gelitten hætte,
„ als die Bibel.

§. CCXXXIV.

Ad has difficultates destruendas præmittendæ obsevationes quædam generales, & deinde ad responsiones particulares deveniendum est. α. Tenendum, ea quæ ad Religionis Essentiam pertinent evidentissime in S. Litteris tradi, ut quæ ad promovendam propriam felicitatem scitu factuque necessaria sunt quilibet facile intelligere possit. Si vero ponamus, remanere obscuritates Historicas, Chronologicas &c. nihil inde metuendum periculi, dum eæ absque Salutis dispendio ignorari possint.

§. CCXXXV.

β. Perpendendum, quisnam hujus ignorantiæ fons sit ? Nempe ab una parte historiarum brevitas, dum antiquissimorum temporum narrationes compendiosissime exhibentur, neque aliter fieri potuit, ut ne nimis prolixis voluminibus mundus oneraretur. Unde si plura nobis superessent documenta, plures etiam difficultates sponte evanescerent. Ab altera parte ignorantiæ hujus & dubitationis de Historiarum Sacrarum Veritate caussa est, perversus multorum ratiocinandi modus, dum dubia eorum hisce & similibus nituntur principiis : *Illa quæ hodie non fiunt, olim fieri non potuerunt.* Vel , illa quæ sunt tantisper stupenda, vera esse non possunt , neque iis fides adjungenda est. Vel denique, nihil credendum, quod propriis oculis à nobis conspectum non sit &c.

Vide Celeberrimi JOH. ALPHONSI TURRETTINI Vol. II. Disputationum Differt. III. §. XXXVI. Diss. XI. §. X. Diss. cit. §. XLII.

§. CCXXXVI.

γ. Quod si in Historiis & Chronologiis sacris multa obscura videantur, in profanis major difficultatum numerus , multa adhuc obscuriora in iis, multa magis perplexa erunt ; quarum tamen autoritas ac generalis veritas propterea non negatur.

§. CCXXXVII.

δ. Nihil denique Sacri Codicis divinæ Autoritati, aut Sacrosanctæ Religionis essentiæ, detrimenti afferri, pro certo habendum est, licet statuamus, in Chronologicis quibusdam parvi momenti mendas irrepsisse, dum nemo statuere vel

posce-

poſcere queat, ut omnes Librarii ſive Exſcriptores & Typographi, tam veteres quam moderni, infallibiles & non-errandi privilegio donati ſint; ſufficit in iis, quæ alicujus momenti ſunt reſpectu Salutis noſtræ conſequendæ, nullos aut errores aut difficultates demonſtrari poſſe, ſufficit etiam tales reperiri Codices, in quibus vera Lectio adhucdum obtinet.

Dum dico difficultates, quæ deprehenduntur, Chronologicas, non res magni momenti reſpicere, non hoc volo innuere, quod narrationes nullius uſus in S. Litteris invenias; ſed hoc dico, ita comparatas eſſe difficultates illas, ſive errata apparenter talia, ut rei Veritati nullum afferre poſſint damnum, & licet, quomodo illa concilianda ſint, ignoremus, notitiæ noſtræ Theologicæ id nihil nocere queat.

§. CCXXXVIII.

Ab obſervationibus nonnullis generalibus accedimus nunc ad reſponſiones ſpeciales. *Prima* nimirum *Objectio* ad hoc genus pertinens, reſpicit integram Veteris Teſtimenti Chronologiam, tam ante quam poſt diluvianam, quæ cum Chinenſium, Ægyptiorum aliorumque Populorum minime convenit: Neque ſufficientem adeſſe rationem, arbitrantur Adverſarii, cur omnium reliquorum Populorum Hiſtoriæ & Chronologiæ, ceu mere fabuloſæ, rejiciendæ ſint. Chinenſium præcipue ſubleſtæ fidei eſſe nequaquam poſſe, dum omnia Hiſtorica ac Chronologica ibi ſumma cura, & nonniſi publica autoritate, adhibitis omnibus veritatis cautelis, litteris conſignentur.

Le MARQUIS D'ARGENS, celebris Autor ex iis qui hodie cogitandi Libertatem quammaxime amant, sententiam suam hac de re hisce exprimit verbis, *Philosophie du bon-sens Reflex.* I. §. IV. „ Nous n'avons „ jusqu'au déluge aucune Idée de ce qui est arrivé, que „ dans les Livres de Moïse, car si nous voulions con- „ sulter les autres Historiens, qui peuvent nous instrui- „ re des tems plus éloignés, & si nous nous arrêtions „ aux Annales des Chinois ou des Ægyptiens, nous „ serions obligés de rejetter la Genese comme un li- „ vre apocriphe; puisque les Ecrivains de cette na- „ tion font remonter les commencemens de leur Hi- „ stoire à plusieurs milliers d'années avant la Creation „ du Monde. La foi & la Religion nous obligent à „ ne point approfondir cette question : Ainsi de ce „ qui s'est passé avant le déluge nous ne savons que „ ce que Moïse nous en a appris, & qui n'est pas „ bien considerable. . . Il ne marque rien des pre- „ miers Ægyptiens, des Æthiopiens & des Chinois. „ Nous avons cependant des fragmens de leur Hi- „ stoire, qui n'ont point été inventés après coup, & „ dont la Verité est authentique, mais il y a appa- „ rence que chaque Nation a eu son Moïse, (je le „ regarde ici comme un simple Historien,) qui aura „ voulu faire honneur à sa Nation, sans se soucier d'il- „ lustrer les autres. Quand nous aurions les Ecrits „ perdus, ils nous deviendroient inutiles pour notre „ éclaircissement : Nous ne pourrions en faire plus „ d'usage, que des Annales des Chinois & des mor- „ ceaux qui nous restent dans Herodote & Diodore „ de Sicile; & comme sans doute ils ne s'accorde- „ roient pas avec la Genese & les autres Livres saints, „ la Foi nous interdiroit un examen, dont le resul- „ tat pourroit lui être contraire. *In Notis adhuc se- „ quentia adjicit :* Les Historiens Chinois supposent „ comme une chose constante que Fo-hi, leur pre- „ mier Roi, a monté sur le Trône 2982 ans avant „ Jesus-Christ, ce qui fait remonter la fondation de „ leur Empire de trois cens ans audelà du Deluge. „ *LENGLET, Methode d'étudier l'Histoire dans „ ses Cartons retranchés, & conservés dans Beyeri*

„ *Me-*

„ *Memoria Hist. Crit. Librorum variorum.* pag. „ 171. Moïse à la Verité ne marque rien des premiers „ Ægyptiens, des Æthiopiens, des Scythes & des „ Chinois; cependant on n'oseroit avancer que les „ fragmens si sûrs qui nous restent de leur Histoire, „ soient des Fables inventées après coup, pour orner „ chacune de ces Nations. LENGLET là même. Si „ l'on convient, cher Eunuque, de la vérité de ces „ Histoires qui font mention de ce que les Rois d'Æ- „ gypte ont fait avant le deluge, quelle raison au- „ rons nous de douter des fragmens de Manethon, „ Prêtre Egyptien, ou de la Genealogie & Succession „ des Rois d'Egypte, que nous a donnée Herodote, „ ou de la Chronologie du même, puis demélée „ par Diodore, qui porte le Regne des Ægyptiens „ plus de mille ans audelà de toutes les autres anci- „ ennes Epoques de la Création, à la reserve de „ celles des Assyriens, ou des Chinois, & des Indiens, „ qui vont encore plus loin dans l'Antiquité : MA- „ RANA Espion dans les Cours des Princes Chrétiens „ Tom. IV. Lettre XLVI. pag. 189.

§. CCXXXIX.

Non dubitamus magnam iis hanc difficultatem videri, quibus nihil magis curæ cordique est, quam ut Libros Biblicos omni sua autoritate privare queant: Longe aliter ipsis videretur, nisi tanto adversus revelatam Religionem odio tenerentur. At si dicant, quemvis Populum suum habuisse Mosen Historiographum, qui Gentis suæ gloriam quæsiverit. Quæso *a.* ex ipsis, quare potius supponant, alia scripta, quam vero Mosis, esse authentica? Quosnam hujus rei characteres, quænam documenta habeant? Annon ex præconcepta contra Revelationem opinione id fiat, ut potius aliis quam Mosi credant? Annon aliæ interveniant rationes, quæ proprie ad hoc

nihil pertinent, cujus gratia Moſen ceu teſtem fide minime dignum rejiciunt ?

§. CCXL.

β. Judicem infallibilem hac in re nullum habemus, qui judicium ferre poſſit, quisnam ex vetuſtiſſimis illis Hiſtoriographis alteri præferendus ſit. Ex Characteribus ergo ſcriptorum illorum intrinſecis id dijudicandum eſt : Moſen jam Capite VI. ab impoſtura liberavimus, illumque ex mandato divino egiſſe monſtravimus, & Librorum Biblicorum divinam Originem Cap. III. in genere demonſtravimus,

§. CCXLI.

γ. Sed licet hæc pauliſper ſeponamus, Moſenque ceu merum Hiſtoriographum humanum conſideremus, haud exigua tamen deprehendimus in Libris illius præ omnibus reliquis illius temporis Hiſtoriographis prærogativa, quæ authentiæ illorum fidem faciunt. Integer enim *primo* in ſcriptis ejus deprehenditur Hiſtoriarum nexus atque ordo, ut narrationes illius non tantum ſint manca quædam fragmenta. Nullæ *ſecundo* ibi deprehenduntur contradictiones, ſed optime omnia inter ſe conſpirant & conciliari poſſunt. *Tertio* nullis referta eſt illius Hiſtoria abſurditatibus craſſisque fabulis. Ut licet quædam videantur ſtupenda, & ab iis quæ hodie fiunt aliena, haudquaquam tamen ſunt impoſſibilia ; ſed illarum rerum aut cum principiis rationis conformitas, aut ſaltem eas rationi non contrariari, facile demonſtrari poteſt. *Quarto* Hiſtoriam ſuam ab ipſis Mundi deducit originibus, illamque continua ſerie ad ſua usque tempora

pora prosequitur; quod nullus unquam præter eum Historiographus præstitit. *Quinto* Mundi generisque humani ortum ita describit, uti Rationi conforme est; In hoc omnes reliqui cœcutiunt. *Sexto* non in hoc vanam gloriam quærit, ut Populi sui Origines à multis abhinc retro milleniis deducat, sed per integram Genealogiam à stirpe derivat, ejusque ortum non admodum antiquum esse ostendit. *Septimo* miseram Populi sui conditionem, ejus vitia, scelera propriaque peccata minime tacet, sed fideliſſime omnia hæc litteris mandat. *Octavo* simpliciſſimo insuper utitur scribendi genere, non ambiguis dictionibus, non figmentorum involucris, non jactationibus grandiloquis, sed simplici & plano stilo omnia profert; ut alia brevitatis causſa nunc transeamus.

§. CCXLII.

♪. Ast quantum alia vetustiſſimæ Historiæ Documenta ab his distant! Nulla in iis Populorum origo ostenditur; Nullus ibi deprehenditur ordo; mera fragmenta; nullæ rerum gestarum circumstantiæ, quæ saltem probabilitatis speciem habeant; omnia fabulis involuta, ut verum à falso in plurimis dijudicari haudquaquam possit. Huc omnia tendunt, ut ostendant Populum suum antiquiſſimum esse. Verum quidem est juxta DIODORUM Lib. I. Sect. II. Tom. I. Ægyptiorum Sacerdotes Regni sui initia jam à quindecim millenniorum tempore ante Olympiadem centesimam quartam deducere: Et HEROD. Lib. XII. Tom. I. asserit: Quod Sacerdotes trecentorum triginta Regum nomina post Menes regnantium sibi monstraverint. Sed quis nescit

in Hiſtoria Ægyptiorum confuſiſſima eſſe omnia, ut res longe difficillima ſit verum à falſo diſtinguere. Nuda Regum ſuorum proferunt nomina, ſine juſta Chronologia regiminisque circumſtantiis ; plerorumque Regum nomina ex columnarum inſcriptionibus depromſerunt & verosimiliter ita, ut ſi inſcriptio aliqua integram aliquam Sententiam effecerit, Sacerdotes, aut imperiti aut fraudulenti, ex qualibet voce Nomen proprium confinxerint & ita Regum ſuorum numerum magnopere auxerint.

§. CCXLIII.

e. Chinenſium Hiſtorias quod attinet ; Licet ſequioribus temporibus in conſcribendis geſtis ſuis ſatis accurati fuerint, ab his tamen concluſionem univerſalem inferre minime licet, quod eadem cura omni tempore fuerit adhibita; cum multa fabuloſa ſive mythologica ibi occurrant, & ipſimet etiam ratione fundationis Regni ſui non omnes inter ſe conſentiant.

Le Pére *du* HALDE *Deſcription Géographique, Hiſtorique & Chronologique, de l'Empire de la Chine & de la Tartarie Chinoiſe* Tom. II. pag. 2. citante MARQ. D'ARGENS dit. „ Les Hiſtoriens „ les plus celebres diſtinguent dans la Chronologie „ Chinoiſe ce qui eſt manifeſtement fabuleux, ce qui „ eſt douteux & incertain, & ce qui eſt ſûr & indu„ bitable. Ainſi ne voulant s'attacher qu'à qui leur „ paroit avoir quelque fondement de Verité, ils mar„ quent d'abord comme une choſe ſûre, qu'on ne „ doit faire nulle attention aux tems qui ont précé„ dé Fo-hi, lesquels ſont incertains c'eſt-a-dire, „ qu'on ne peut les ranger ſuivant une exacte & „ vraie Chronologie, & que ce qui précede Fo-hi „ doit paſſer pour mythologique. . . C'eſt là le ſen„ timent

„ timent de presque tous les Lettrés ; *Monarchiæ autem Chinensis fundationem per Fo-hi optimi Historici non trecentis ante diluvium annis, sed ducentis post illud collocant, notante eodem autore : Addit his.* D'autres Auteurs Chinois ne font remon-
„ ter leur Monarchie qu'au regne d'Yao, qui selon
„ l'opinion des premiers, n'est que leur cinquieme
„ Empereur.

§. CCXLIV.

Alteram huic Autor supra citatus adjungit *difficultatem*, quæ ipsi Libri Geneseos Veritatem subruere videtur ; incredibilis scilicet & simul impossibilis hominum, spatio ducentorum annorum Diluvium insequentium, multiplicatio ; quæ omnem fidem plane excedat.

Le *MARQUIS D'ARGENS Philos. du Bon-Sens* l. c. pag. 62. hisce eam objectionem proponit verbis : „ Les trois enfans de Noé sont la source com-
„ mune de toute l'Humanité, ou du moins l'assûre-
„ t-on ainsi ; & cependant ces Empires, & ces gran-
„ des peuplades que nous decouvrons peu de tems
„ après le Déluge semblent s'opposer à cette croian-
„ ce. La seule soumission que nous devons aux Li-
„ vres saints, peut autoriser cette opinion qui s'ac-
„ corde peu avec la raison, quoi qu'elle ne la heurte
„ pas demonstrativement. Et pag. 68. En effet, l'Hi-
„ stoire des Nations est contraire à cette inondation
„ générale de toute la terre. On trouve dans les
„ tems les plus voisins du Déluge plusieurs grands
„ Empires formés & excessivement peuplés, la Syrie
„ la Chine, l'Egypte, l'Ethiopie, &c. Il est impos-
„ sible que sept ou huit personnes, dans l'espace de
„ trois cens, & même de cent cinquante ans, si l'on
„ veut pousser les choses à l'étroite rigueur, puissent
„ peupler d'aussi vastes provinces que les pais que le
„ Tigre & l'Euphrate parcourent, & qui furent ha-
„ bitées par les Enfans de Noé - - - en suivant les
„ Histo-

„ Hiſtoriens qui ont écrit le plus exactement, tels „ que Manéthon, Herodote &c. on trouve l'Egypte „ très peuplée cent cinquante ans après le Déluge, „ & on y appercoit les Arts cultivés. . . Il paroit „ donc impoſſible que la terre ait pû être repeuplée „ auſſi promptement, & ces grands Empires, où nous „ voions la perfection des Arts & des Sciences, la di- „ ſtinction des conditions, & des Etats, un gouver- „ nement, une Religion & un culte différent, marque „ presque evidente d'un peuple qui n'eſt point nou- „ veau, ſemblent s'oppoſer fortement à l'Univerſalité „ du Déluge.

§. CCXLV.

Ad quam difficultatem obſervandum eſt: *α.* quod ſi Scriptores vetuſtiſſimi de Imperiis aut Monarchiis loquantur, illarum magnitudo & ſubditorum numerus non tantus concipiendus ſit, qualis ſequentibus temporibus fuit. Ab initio enim aliquis ceu magnus & potentiſſimus Monarcha conſiderabatur, licet Imperium illius ſatis arctis adhuc circumſcriberetur limitibus. Et quamvis Monarchia aliqua in potentiſſimum & maximum Regnum pedetentim excreverit; inde tamen minime ſequitur, illud tale ſtatim poſt diluvium fuiſſe.

§. CCXLVI.

β. Mirum non eſt, ſi Hiſtoriographi, qui Populi ſui gloriam per hoc maxime extollere ſtudebant, ut illum antiquiſſimum eſſe oſtenderent, antiquiſſimis etiam temporibus eum jam numeroſiſſimum fuiſſe perhibeant; parum enim ſibi conſtitiſſent Hiſtorici, ſi à multis annorum millibus Populi ſui origines derivaſſent, ſimul vero ante parvum temporis ſpatium illum numero exiguo fuiſſe dicerent.

γ. Ad

§. CCXLVII.

γ. Ad Manethonis & Herodoti autoritatem ab Adversariis provocatur. *Priorem* quod attinet, qui Dynastiarum Ægyptiacarum Chronologiam contexuit, hoc tenendum: quod & ipse fabulis atque commentis indulserit, ut antiquitatem, quam posset maximam, genti suæ tribueret, & ita illius vanitati consuleret. Unde ipse SYNCELLUS eum dicit ψευδηγορεῦντα καὶ αὐτὸν, *falsa tradentem & ipsum*; scilicet æque ac Berosum, Chaldaicarum rerum autorem pag. 18. Et illius scripta plena mendacii esse pag. 16. Neque ullo fundamento Chronologia illa nixa est; & probante HERMANNO CONRINGIO in *Adversariis Chronologicis* Cap. 16. pag. 188. Ægyptii rerum suarum paulo antiquiorum certam Historiam Litteris consignatam non habuerunt, sed omnia sua aut ex meris traditionibus, aut ex nonnullis monumentorum inscriptionibus compilabant, eaque omnia pro lubitu explicabant, mutabant, augebantque.

§. CCXLVIII.

δ. Quam debili vero ea omnia, quæ ex Manethone afferuntur, nitantur fundamento, ex eo patet, quod aliter Dynastiæ istæ exhibeantur ex Veteri Chronico apud SYNCELLUM, aliter apud AFRICANUM, aliter apud EUSEBIUM, licet uterque sua ex Manethone hauserit. Ipsum enim Manethonis opus injuria temporum perditum, sed quæ supersunt nobis conservata à JULIO AFRICANO, EUSEBIO & FLAVIO JOSEPHO. Chronicon vero Ægyptiacum, quod à SYNCELLO habemus, nihil aliud nonnullis videtur

detur

detur quam Historiæ Manethonis compendium, in quo nomina tantum Regum in istis Dynastiis cum temporum designatione exhibentur. Ut breviter rem comprehendam, tam obscura, tamque incerta ac fabulosa in Ægyptiorum Historia pleraque sunt, ut illorum historica fides cum Mosis æquiparari minime possit, nedum ut Mosaicæ narrationis Veritas per illam labefactari queat.

Vide quæ habet Cel. BUDDÆUS Hist. Eccles. Vet. Test. Tom. I. Per. I. §. X. pag. 70. 71. & in Proleg. §. XIII. pag. 21. 22. & ipsemet supra citatus Autor MARQ. D'ARGENS id, quod de fabulosa Ægyptiorum Historia diximus, non negat, dum l. c. pag. 68. dicit: „ Sans avoir égard aux fabuleuses Chroniques „ des Egyptiens, qui font remonter à trente quatre „ mille deux cens & un an la formation de leur Em„ pire avant l'Etablissemeut de leur premier Roi.

§. CCXLIX.

HERODOTUM quod spectat, is nihil aliud præstare potuit, quam ut bona fide Sacerdotum Ægyptiorum traditiones & Historiæ Ægyptiacæ monumenta consuleret, eaque quæ veritati proxima sibi videbantur in sua transferret. Unde si fontes, ex quibus Historiam suam hausit, impuri, si documenta quibus usus est falsa fuere, ipse vera nobis tradere nequaquam potuit; unde quæstio semper eo redit: Num Historia ab ipsis Ægyptiis tradita non subleste fidei & fabulosa sit? quod nemo Adversariorum negare audet.

§. CCL.

6. Quæ Adversarii nostri de impossibilitate tantæ humani generis multiplicationis proferunt, indeque contra universalem hominum per Diluvium

vium perditionem argumentantur, tanti ponderis non sunt, uti videntur ; Nam licet probare possint, aliquot sæculis post cataſtrophen illam, Ægyptum aliasque Regiones maxime fertiles haud parvo incolarum numero habitatas fuisse ; nullam tamen hæc contradictionem involvunt ; *Ab una* enim *parte* non nimis exaggerandus est hominum illorum temporum numerus ; licet enim Chinensium Ægyptiorumque Monarchia duobus post Diluvium Sæculis fundata fuerit, & de iis ceu potentissimis Historiographi loquantur, id comparate ad alia minora Regna intelligendum, quæ insequentibus temporibus extiterunt. Ab altera parte etiam hoc tenendum, quod si omnes circumstantiæ humani generis multiplicationi faveant, illorum numerus brevi temporis spatio magnopere augeri possit.

Non nimirum opus est ut eousque progrediamur, ad hujus rei possibilitatem ostendendam, quo progressus est Monachus ille citatus ab Autore sæpius laudato, dans ses Lettres Juives Tom. II. Lettre XXXV. p. 35. „ Un Moine Nazaréen, qui a entré dans la discussion „ de ces faits, pour en montrer la clarté & l'éviden„ ce, n'a pas trouvé de meilleur moien que de faire „ des hommes à coups de plume. Il a fait une ex„ acte supputation de fils, petits-fils, arriere-pe„ tits-fils &c. que quatre hommes pouvoient avoir „ en deux cens ans de tems, & il a produit deux cens „ soixante huit milliers sept cent dix-neuf millions „ de personnes ; C'est-à-dire beaucoup plus qu'il „ en faudroit pour peupler cinq ou six Mondes com„ me le nôtre. Son calcul d'Arithmétique n'a point „ persuadé ses adversaires. Ils ont dit qu'on ne fai„ soit pas les hommes en realité, comme on les fait „ à coups de plume. In hoc quidem Acutissimus M. d'A. Monachum hunc recte exsibilat, quod in supputatione hac nimis accuratus fuit, & talia supposuit, quæ univer-

universaliter vera esse & semper accidere nequeunt. Neque etiam tanto hominum numero opus habemus, & infra unicam millionem subsistere possumus. Unde si supponamus excurrentibus duobus post Diluvium sæculis sexcenta hominum extitisse millia, Adversariis incumbit, aut ut demonstrent multo majorem eo tempore jam fuisse hominum numerum; vel ut demonstrent, impossibile esse intra hoc tempus tot homines progenerari potuisse.

§. CCLI.

5. Quæ de artium cultura afferuntur, contra Diluvium universale plane nihil probant; cum ii, à quibus artes discere poterant homines, jam ante Diluvium vixerint. Noachus nimirum cum filiis suis plurima scire poterat, quæ ad artium culturam spectant; ut necesse haud quaquam sit statuere, omnes artes post Diluvium nova inventione opus habuisse. Quæ de Religionum differentia dicuntur, nihil aliud probant, quam corrupto hominum statu brevi tempore plurimas sectas, diversas circa Religionem sententias oriri posse. In Regiminis forma non potuit non statim aliqua oriri differentia, cum mox ab initio plura extiterint familiarum capita & Domini.

§. CCLII.

Ex mera vero contradicendi libidine *alia objectio* formatur ab acutissimo Viro, de Gigantum genere adhuc post diluvium existente, & de nuptiis filiorum Dei cum filiabus hominum Deo displicentibus desumtam. Quibus tum Historiam antediluvianam, tum ipsam hominum per Diluvium perditionem dubiam reddere conatur, & magnopere sibi in hac re applaudere videtur Vir celebris. Sed cum ipsa Biblia Sacra non inspexerit,

xerit, ipsemet aliorum tantum fide agens, deceptus fuit.

M. d'A. l. c. pag. 62. in Not. ex *Lenglet Cartons conservés par Beyer* pag. 183. „ De-là vient „ une nouvelle difficulté dans l'histoire sainte, savoir, „ quelle etoit cette race de Géans, qui subsista même long-tems aprés le Deluge, & quelles etoient „ ces filles des hommes, dont Dieu desapprouva si „ fort l'alliance avec ses propres enfans, qu'il se repentit pour cela d'avoir créé les derniers. Auroit-„ il condemné cette Union, si les filles & les garçons etoient sortis d'une même source, lui, qui a „ quelquefois permis sous la Loi des alliances avec des „ étrangers? l'Ecriture ne marque point qu'avant le „ Deluge il y eût dans les enfans d'Adam une race ou „ un peuple choisi. Ces alliances n'auroient dont „ point eté alors regardées comme étrangeres; elles „ n'etoient pas défendues, & par consequent elles „ n'auroient pas été si execrables que Dieu les a declarées, si elles étoient faites avec des filles de la „ même famille. Vir Illustris deinde JUSTINI Apolog. I. pro Christianis Edit. Colon. 1636. pag. 44. & ATHENAGOR. Legat. pro Christian. pag. 27. Edit. Colon. 1636. Interpretationes affert, de Angelorum cum hominibus concubitu; Auctoribus hisce addere potuisset IRENÆUM Lib. IV. Cap. VII. CLEMENT. ALEXANDR. Lib. III. Stromat. TERTULLIANUM de velandis Virgin. LACTANTIUM. Lib II. de Orig. Error. Addit Vir illustris: „ *Et „ voici un autre Pére, qui traite tous ces raisonnemens de fables puérilles.* Divi CYRILLI allegatis verbis Lib. IX. *contra Julian.* Tom. II. pag. 206. Edit. Basil. 1545. tandem concludit. „ Quel est l'homme sage & sensé, qui au milieu de „ tant de difficultés, debattues si vainement par les „ plus grands, les plus respectables Ecrivains, ôse „ prendre un parti? Combien de choses aussi obscures que la race des Géans dans l'Histoire sainte, & „ expliquées aussi contradictoirement?

§. CCLIII.

Aſt liceat mihi hic tanto Viro obloqui, & α. quidem de Gigantibus. Neſcio enim unde hancce Gigantographiam Vir acutiſſimus hauſerit, ut homines hos ceu peculiare quoddam genus, & ſtupendæ forſan magnitudinis, conſideret. Cavendum autem hic Adverſariis noſtris eſt, ne idem ipſis accidat, quod famoſo illi Don Quixottio de la Manche, qui Gigantomachias ſomnians in ipſas moletrinas, ceu Gigantes debellandos, fortiter, ſed fruſtraneo conatu incurrit. Vide l'admirable Don Quichote Tom. I. cap. 8. Vocabulum nimirum hoc, quod hanc hominum ſpeciem denotat, in Hiſtoria Antediluviana occurrit. Gen. VI. 4. & in Poſtdiluviana Num. XIII. 33. Unde celebris Autor noſter concludit, homines hosce, ſi vera nimirum ſit Hiſtoria Sacra, eſſe aliquod genus à reliquo humano genere diſtinctum, ab eadem vero proſapia originem ducens, quia certis hominibus ante & poſt diluvium idem epitheton imponatur; hæc enim niſi Viri illuſtris mens eſſet, argumentum hoc contra univerſalem humani generis per Diluvium perditionem, excepta Noachi familia, nihil valeret.

§. CCLIV.

Tenendum autem א. vocabulum נפילים, quod Beatus LUTHERUS haud male per *Tyrannos* reddit, derivari à נפל, quod ſignificat *cadere* ut & *irruere*: ותפל שבא Hiob. I. 15. ut *violentam invaſionem* denotet, & per conſequens נפילים *violentos invaſores*, qui fortitudine ſua imprimis præcellunt. Unde Chaldæus vertit per גבריא

גבהיא *viros fortes*; & Rabbi S. JARCHI eos ita nominari putat, *quoniam irruerent & mundum sibi subjicerent* שנפלו והפילו את העולם; à SYMMACHO hoc sensu vocantur οἱ βιαῖοι. Ut adeo fortitudinis laude hi celebres sese fecerint. Illos vero etiam Corporis robore & præstantia excelluisse non est quod negemus; sed ab altera parte nec opus est, ut statuamus, molem corporis & magnitudinis staturam tantam fuisse, ut necesse sit statuere, illos plane aliud hominum Genus fuisse. Neque alio sensu vox hæc Num. XIII. 33. venit, ubi etiam homines fortissimos, violentos invasores atque latrones denotat; qui propter res strenue gestas terribiles aliis sese fecere, quique omnino corpore etiam robusti erant, uti hodierno etiam tempore Populi, Familiæ, Homines, hac fama alios præcellunt. Exploratores vero terræ Cananeæ eorum proceritatem studio exaggerarunt, uti ex historia liquet. ב. Non vero unicam etiam post diluvium familiam hanc ob caussam celebrem fuisse, patet ex Deut. II. 10. 11. ubi duo Populi sive familiæ hac in re comparantur, Emim & Enakim, qui ambo Populus magnus & robustus fuerunt.

§. CCLV.

Sensus ergo loci Gen. VI. 4. hic est: Inter alia scelera, propter quæ Deus humani Generis extirpationem decrevit & judicium illud universale secum statuit, etiam injustitia fuit, dum tales extitere qui vi alios oppresserunt, & propter commissa homicidia maxime terribiles aliis fuere; uti autem jam antea inter Caini posteros

fuere, qui *violentos invasores* sese exhibuerunt, ita exemplum illorum etiam secuti, quos Viri ex Sethi familia oriundi, cum filiabus hominum sive Cainitidis procrearunt, qui etiam ad instar Cainitarum homines violentos & fama terribiles sese ostenderunt. Unde locus ita verti debet; *Erant eo tempore in terra Cainitarum homines audaces atque violenti. Accedebant eo ex illis potentum connubiis nati Heroës, homines ab omni memoria celebres.*

§. CCLVI.

β. In hoc porro magnopere cœcutit LENGLETUS à Viro illustri citatus, dum asserit in S. Litteris nullibi indicari, quod ante Diluvium Populus aliquis aut Familia electa fuerit, alia vero rejecta, neque adeo commixtionem per nuptias Deo displicere potuisse. Sed nemini, qui vel quartum tantum Geneseos Caput perlegit, non constat, inter ipsum jam Cainum & Abelem fratrem magnum apud Deum discrimen fuisse, ut alterius Deum colendi ratio à Deo approbata, alterius vero rejecta fuerit. Et cum Cainus perversum suum animum in hoc præcipue ostenderet, quod fratrem suum occidit, à Deo maledictus fuit; loco Abelis autem Deus alium, scilicet Sethum, substituit Gen. IV. 25. ut adeo totum Genus humanum in duos hosce cœtus divisum fuerit; quemadmodum alias probitas improbitasque duos semper hominum cœtus facit; uti autem moribus & vitæ instituto diversi erant Sethitæ & Cainitæ; ita etiam sedibus ipsos distinctos fuisse, neque una habitasse admodum probabile fit ex Gen. IV. 16. Ex hac diversitate factum fuit, ut posteri Sethi בני אלהים *Filii Dei*; posteri

posteri autem Caini בני אדם *Filii hominis* vocarentur.

Vide Celeb. BUDDEI Hist. Eccles. Vet. Test. Per. I. §. XXXVII. pag. 126.

§. CCLVII.

Promiscui autem Sethitarum cum Cainitidis concubitus Deo eam præcipue ob causſam displicebant, quod ob cupiditates solum carnales fierent, & per familiare illud commercium etiam Sethitæ ad vitam scelestam abriperentur, ut ratione vitæ morumque nulla amplius inter duas has lineas differentia fuerit. Cum enim antea vitæ innocentia atque sanctitate Sethitæ præcellerent, per matrimonia illa libidinosa effectum fuit, ut Civitas Dei cum Civitate Diaboli commiſceretur, & totum Genus humanum in universalem perniciem prolaberetur. Siquidem etiam liberi, ex matrimoniis istis Deo displicentibus nati, Cainitarum exempla plane sequebantur, à majorum suorum Virtute degenerantes illi vitæ instituto sese dedebant, propter quod Cainitæ Nephilim dicti sunt; Quæ ratio illa est, à Lengleto non perspecta, cur Deus concubitus illos non approbaverit.

§. CCLVIII.

Si vero Veteres Ecclesiæ Patres in explicanda hoc Historia inter se dissentiant mirum non est, dum hoc in omnibus disciplinis accidere soleat, & cuivis id eligere liceat, quod veritati maxime consentaneum sibi videtur, quodque cum verbis & contextus significatione convenit. Et id præcipue cavendum, ne difficultates ibi quæ-

rantur, ubi revera nullæ sunt, aut si sint, falsa tantum aliqua explicatione nituntur.

§. CCLIX.

Nihil porro magis, quæ *nova Difficultas* est, Adversariis nostris Mosis Historiam improbabilem reddit; quam illa Diluvii universalitas, quo universum Genus humanum perditum fuit. Cum illud caussis physicis adscribi haudquaquam possit, ex quo concludunt, dubia esse quæ hac de re in S. Litteris traduntur.

Propterea Vir illustris M. D'ARGENS *Philos. du Bon - Sens* Reflex. I. §. IV. ut Historiæ antiquissimæ incertitudinem ostenderet, etiam hic difficultatem quærit, dum pag. 65. dicit: „ La possibilité Physique d'un Deluge universel dans l'état présent de la „ terre, forme une seconde difficulté, qui n'est pas „ moins considérable, que la promte multiplication „ qu'on soutient s'être faite après cette inondation. „ *Et Lettres Juives* Tom. II. Lettre XXXV. pag. 36. 37. ostendit Diluvii impossibilitatem ex eo, quod ex observationibus MERSENNI viginti quatuor horarum tempore imbre etiam fortissimo aqua non altius quam ad mensuram sex pedum ascendere possit, ut adeo quadraginta dierum spatio supra altissimos Montes excrescere minime possit: Ex Lengleto autem l. c. eandem impossibilitatem probare allaborat, & nonnisi caussas physicas inundationis alicujus particularis esse potuisse ex eo ostendit, quod S. Litteræ nonnisi caussas naturales proferant, per quas diluvium hoc ortum fuerit & inundatio iterum cessaverit.

§. CCLX.

Non diffitemur, magnum inter Viros Eruditos in hujus rei explicatione esse dissensum. Neque aliter fieri potest in re, quæ vetustissimis jam temporibus semel tantum contigit, ab historiogra-

grapho breviſſime delineata, & omnino plane particulare quid fuit, cujus modum propterea totum nobis perſpicere non licet. Ignorantia vero noſtra rei certitudini nihil officit, neque factum aliquod ideo à Philoſopho negatur, eam ſolum ob cauſſam, quia nonnulla in illo deprehendit, quorum veram rationem & cauſſam non concipit; Sed manifeſtæ adſint oportet contradictiones, antequam ceu impoſſibile quid negari poteſt. Quoad certitudinem vero moralem, oportet aliud proferat & contradicat Hiſtoriographus aliquis fide longe dignior.

§. CCLXI.

Tota de Diluvio quæſtio ad hæc tria referri poteſt: α. An illud ita univerſale fuerit, ut totus Terrarum orbis circumquaque tanta Aquæ copia tectus fuerit, ut illa altiſſimos etiam montes quindecim ulnis ſuperaverit? β. An vero per Diluvii univerſalitatem nihil aliud intelligatur, quam regiones tunc temporis habitatas ſolas inundatas fuiſſe, ut univerſalitas tantum reſpectu hominum intelligenda ſit? γ. An denique in una tantum Regione magna quædam inundatio facta fuerit, & magna in aliis regionibus pars ex humano Genere conſervata ſit?

§. CCLXII.

Primæ qui addicti ſunt Sententiæ in genere putant, ſatius eſſe admittere miracula, quam Moſaicæ narrationis veritatem in dubium vocare; ſtatuunt propterea miraculum maximum: Scilicet aquam in orbis terreſtris ſuperficie ita auctam fuiſſe, ut quacunque patet Terrarum orbis aquis involutus fuerit; ut tanta circumquaque

fuerit earum altitudo, quanta in S. Litteris in locis illis fuisse describitur ubi Noachus cum suis commorabatur. Ad hanc tuendam opinionem iterum statuunt, aut aquas à Deo creatas fuisse, aut immensam aquarum subterranearum copiam divina Potentia erupisse, & omnes cœli nubes atque vapores in aquas condensatos fuisse, ut hac ratione ad orbem inundandum aquæ suffecerint; aut aliam telluris ante Diluvium fuisse formam, uti BURNETUS in *Theoria Telluris Sacra*. Lib. I. Cap. II. pag. 4. seqq.

§. CCLXIII.

Alii autem, qui secundam fovent sententiam, Miracula præter necessitatem augere nolunt, neque ad humanum genus perdendum opus fuisse putant, ut totus qua patet Orbis aquis involveretur; sed ad finem Diluvii consequendum satis fuisse, ut ea Terræ pars inundata fuerit quæ tunc temporis habitata erat, ut hac ratione Diluvium quidem particulare fuerit respectu Orbis terrestris, universale tamen ratione Generis humani perdendi.

Nihil obesse, quo minus Diluvium hoc sensu etiam particulare dici possit, existimat Eruditiss EDUARDUS STILLINGFLEETUS Orig. Sacr. Lib. III. cap. IV. §. III. Et CLERICUS etiam ad Gen. VIII. 19. huic favet sententiæ dum dicit: „ Fortasse Regiones, „ quæ inter quatuor Maria, Persicum, Caspium, Euxinum & Syriacum, inter quæ Tygris & Euphrates, „ pluraque alia flumina maxima intercipiuntur, erumpentibus omnibus aquis, & illuc divina Potentia „ congestis, omnium terrarum nubibus, atque in humorem densatis, inundatæ fuere.

Ultimi

§. CCLXIV.

Ultimi denique omnes homines excepta Noachi Familia aqua ſuffocatos fuiſſe negant, ſed tantum Provinciam aliquam hoc divino judicio afflictam perhibent. Quam vero ſententiam cum Hiſtoria Sacra conſiſtere non poſſe ii præcipue oſtenderunt, qui ISAACI PEYRERII de Præadamitis opinionem refutarunt, uti NATALIS ALEXANDER & Celeberrimus BUDDEUS H. E. V. T. Per. I. Sect. II. §. III. pag. 147. Hoc præcipue nomine quod Deus diſerte juſſerit ex omni carne & omni animante paria in arcam intromittere ad ſpeciem conſervandam Gen. VI. 19. & quoniam Moſes confirmet, omnia reliqua periiſſe animalia Gen. VII. 21. Addi poteſt Gen. VI. 17. Cap. VII. 22. 23.

§. CCLXV.

In hoc igitur Sententiarum divortio aut ea eligenda eſt, quæ cum S. Litteris & ſimplicitate verborum optime convenit; aut alia & melior afferenda; aut denique demonſtrandum, univerſi Generis humani per Diluvii aquas perditionem, qualem illam Moſes deſcribit, plane impoſſibilem eſſe; aut Moſen Hiſtoriographum fide dignum non eſſe, oſtendendum eſt, ut tota illa hiſtoria falſa ſit. Hoc ſi non præſtent Adverſarii, ex noſtra ignorantia fruſtra contra rei hujus veritatem argumenta afferunt; propter id enim quod in re aliqua obſcurum nobis videtur, ipſa res negari à nemine ſapiente poteſt.

§. CCLXVI.

Ea vero, quæ Illuſtris Autor ex MERSENNI obſervatione affert, plane nihil probant, non tantum

tum quia inundationis illius præter pluviam alia additur cauſſa, ſed ipſa etiam obſervatio illa Merſenni falſa eſt, ex noviſſimis enim experientiis abunde conſtat, vel intra quartam horæ partem tantam pluviæ copiam in ſpatio ſatis anguſto decidere poſſe, ut breviſſimo tempore integræ domus & muri ſubruantur, pecora cum hominibus ſuffocentur.

§. CCLXVII.

Uti res maximi momenti, quæ in Geneſeos Libro narrantur, Antiſcripturariis ſuſpectæ videntur, ita etiam multo probabiliora ipſis apparent, quæ Hiſtoriographi Gentiles de Populi Iſraëlitici ex Ægypto exitu dicunt, quam quæ Moſes hac de re prodidit.

M. D' ARGENS *Phil. du Bon-Sens* l. c. p. 72. dit: „ Moïſe, Joſeph & tous les Ecrivains Juifs ont „ parlé magnifiquement de la célébre ſortie de leur „ nation hors de l'Egypte, & ils ont inféré dans leurs „ Ouvrages des Miracles qui arrivérent pour en favo„ riſer l'execution. Nous trouvons que les Auteurs „ Egyptiens, & ceux des autres Nations, Gens d'auſſi „ grande Autorité que Joſeph, en ont parlé avec le der„ nier mépris. Pluſieurs Hiſtoriens, & Manéthon, „ Prêtre Egyptien, appellent les Juifs une troupe „ de Gens ſales & lépreux. Ils diſent qu'ils furent „ chaſſés du païs par Amenophis, qui regnoit alors & „ qu'ils s'en allerent en Syrie, ſous la conduite de „ Moïſe, Prêtre Egyptien. Si cette opinion n'étoit „ point contraire à l'Ecriture, elle ſeroit d'autant „ plus probable, qu'il paroit que Moïſe avoit con„ ſervé dans la Religion judaïque bien des cérémonies „ Egyptiennes. - - Tacite, dont l'autorité eſt d'un ſi „ grand poids, entre dans un détail beaucoup plus „ circonſtancié. Il dit que Moïſe, un des lépreux „ éxilés, étant un homme d'Eſprit, & qui avoit par„ mi eux de la reputation, voiant leur accablement, „ les

„ les pria d'avoir bon courage, & que s'étant fait de-
„ clarer leur Capitaine, il devint leur Legislateur,
„ & les conduisit par les deserts de l'Arabie. *Plurimi Autores consentiunt, orta per Ægyptum tabe quæ corpora fœdaret; Regem Occhorim, adito Hammonis Oraculo, remedium petentem, purgare Regnum, & id genus hominum, ut invisum Diis, alias in terras avehere jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, cæteris per lachrimas torpentibus, Mosen unum Exulum monuisse, ne quam Deorum hominumve opem expectarent, ab utrisque deserti, sed sibimet ut Duci cœlesti crederent, primo cujus auxilio credentes præsentes miserias pepulissent.* TACITUS Lib. V. addit illustris Vir: „ Si l'Ecriture ne
„ determinoit pas notre sentiment, vous voiez, com-
„ bien il seroit difficile de pouvoir fonder aucune cer-
„ titude sur des opinions aussi opposées les unes aux
„ autres. Les auteurs Juifs nous assûrent des faits dé-
„ mentis par les Egyptiens. L'apparence semble être
„ pour ces derniers; mais la Religion parle en faveur
„ des autres.

§. CCLXVIII.

At nescio, quare fides potius habenda sit hominibus extraneis, falsa veris miscentibus, historiæ narrationem ab Ægyptiis, qui Judæos odio quam maxime prosequuntur, habentibus, rerum vero judaicarum plane imperitis, quam vero Mosi scriptori non tantum domestico, sed omnes etiam veracis Historiographi Characteres habenti. Et licet hæc TACITI atque JUSTINI fabula tam probabilis Viro acutissimo videatur, maxime tamen ab ipso TOLANDO Antiscripturariorum Principe ceu inepta atque insulsa improbata est; Ut adeo id, quod uni ex Revelatæ Religionis

gionis hoſtibus maxime probabile videtur, ab altero exſibiletur ; unde apparet, quam varium ſit contradicendi ſtudium atque pruritus.

Illuſtris M. D'ARGENS TACITUM conſiderat ceu Hiſtoricum maximæ Fidei atque auctoritatis, neque à nobis negatur, illum unum ex probatiſſimis profanis Scriptoribus eſſe ; ſed quæ Gentis Judaicæ originem atque ex Ægypto exitum ſpectant, gravis hic Autor magnopere cœcutit, & nonniſi Ægyptiorum, Gentis Judaicæ Hoſtium infenſiſſimorum, fide ſtetit. Hauddubié vero Vir illuſtris, & qui cum eo faciunt Naturaliſtæ, lubentius TOLANDUM quam me audient, quapropter illius, quæ hac de re habet, verba citabo : Extant illa Originum Judaicarum §. XI. pag. 141. 142. „ Rejicienda, inquit, penitus ſunt, quæ „ Tacitus habet de Cretica eorum proſapia cui nec „ ipſe fidem facit ; quaſi Judæi ab Ida monte ſic dicti „ eſſent. Non firmiori nituntur fundamento, quæ „ narrat de Ducibus Juda & Hieroſolymo, aut de ortu „ Judæorum Aethiopico. Minus adhuc attentionem „ meretur infelix illa conjectura, quaſi Solymi Home„ merici Urbi Hieroſolymitanæ nomen feciſſent. Nec „ ſine riſu audienda, quæ de Saturni aut Bacchi cultu „ haud minori fuerunt ſtoliditate credita quam ficta. „ Libenter inſuper concedo, quod eo tempore, quo „ vixit Tacitus, multa falſa adverſus Judæos, tanquam „ vulgo odioſam gentem, paſſim jactabantur : Inter „ quæ non negaverim iſtam eſſe calumniam, qua „ multoties vexati ſunt, illos nempe fuiſſe hominum „ colluviem, ſcabie, lepra, ac impetigine affectam, „ qui, à Rege Bocchori ex Ægypto expulſi, Syriæ par„ tem occuparunt. Eadem eſto de Juſtino, Helladio, „ aliisque cenſura. Hactenus TOLANDUS. Hæc ideo allegavimus, ut inde appareat uni Antiſcripturario præ ipſa Hiſtoria Judaica id majorem veri ſpeciem habere cenſeri, quod alter pro mera calumnia habet. Hanc vero calumniam ex perverſa Ægyptiorum ergaPopulum Judaicum mente originem duxiſſe oſtendit JAC. FAYUS in defenſione Moſis & Gentis Judaicæ Cap. VI. §. II. pag. 209. „ Hoſtes enim, inquit, Judæorum his & ſimili-

„ similibus opprobriis Gentem illam adspergendi oc-
„ casionem arripuerunt ab illis plagis, nominatim ab
„ illis pustulis ulceribus, quibus sui populi caussa Æ-
„ gyptios afflixit Deus : Deinceps Ægyptii, ex odio
„ & invidia & ad illam infamiam detestandam, illos
„ putidos morbos, quibus ipsimet afflicti fuerant, in
„ Hebræos verterunt. Alii autem populi ab Ægyptiis
„ decepti Judæos iisdem probris adsperserunt ; unde
„ factum est, ut plures Scriptores Græci & Latini, ut
„ Diodorus Siculus, Appion, Trogus Pompejus, Ta-
„ citus &c. falso tradiderint, Judæos scabie, lepra &
„ impetigine tactos, ex Ægypto pulsos esse, ne eorum
„ morbis inficerentur Ægytii : Hucusque FAYUS. Vi-
de etiam Ven. BUDDEUM H. E. V. T. Per. II. §.
XII. pag. 439.

§. CCLXIX.

Mosen vero Imperatorem Legislatorem, qui commercium cum Deo finxerit, minime fuisse, Cap. VI. probavimus, unde hic responsioni ad hanc difficultatem supersedemus.

Non nimirum improbat, sed approbat TOLANDUS, quod etiam Moses à Diodoro & Strabone inter eos numeretur, qui simulabant se suas Leges & Dogmata à Diis accepisse. Verba hæc habet *Adeisidæmon.* §. VI. pag. 8. „ Eadem omnino de multis aliis Legislatori-
„ bus, præsertim vero cum Religiones aut sacra insti-
„ tuissent, referunt probatissimi Scriptores, & simplex
„ credidit Vetustas. Ita Delphis Lycurgus ab Apolli-
„ ne, & Minos à Jove in antro Dictæo, sua omnia di-
„ dicisse, cominiscebantur ; ut homines nempe, divi-
„ na Autoritate devincti, legibus ab ipsis prolatis obe-
„ dirent. His atque similibus Moysen, Hebræorum
„ Nomotheten, assimilare non addubitat Diodorus Si-
„ culus Lib. I. Sed in hac Moysis cum aliis Prophetis
„ & Legislatoribus comparatione, multo adhuc copio-
„ sior est Strabo Geographus Lib. XVI. Non quidem hic expressis Verbis celebris Autor hanc Diodori & Strabonis Sententiam approbat, sed tamen nec eam vult

vult improbare ; Unde *Orig. Jud.* §. II. pag. 103. hæc de his addit : *At dicis* (loquitur ad Augustum Samsonium) *te summopere mirari, quod tam fidenter scripserim, Strabonem Geographum, Moysen cum aliarum gentium Prophetis & Legislatoribus comparasse, quasi eodem esset usus commenti genere, Leges nempe suas ad Deum Auctorem referendo : quum maximus imprimis Huetius, Episcopus Abrincensis, in Demonstratione Evangelica Strabonem vocet Virum pretii quantivis, qui de Moyse & Judæis summo candore disseruit. Prop. IV. Cap. I. §. 42. Ut summum ergo ipsius Huetii candorem perspicias, Vir candidissime, non solummodo nunc, ut antea, Strabonem assero Moysen cum Minoe, Lycurgo, Zamolxi, & id genus plurimis sine ullo discrimine comparasse ; sed eum quoque de Religione Judaica, de Gentis Origine, deque ipso Moyse, narrationem omnino discrepantem ab illa, quæ habetur in Pentateucho, instituisse.* Optime Autor Serenissimus tentaminis Critici in Machiavelli Principem ; *Anti-Machiavel ou Essai de Critique sur le Prince de Machiavel ;* Edit. Mars. pag. 45. ad Cap. VI. observat, Mosen cum reliquis Legislatoribus comparandum minime esse. MACHIAVELLUS asserit : „ Moïse, Cirus, Tesée & Romulus n'eussent ja- „ mais pû faire observer longtems leurs loix, s'il eus- „ sent été désarmés, ainsi qu'il est arrivé de notre „ tems au Jacobin Jérome Savanarole, qui se perdit „ faute d'avoir la force de faire persévérer dans leur „ Créance ceux qui avoient cru ses paroles, & de les „ faire croire aux Incredules. Et Livre III. de ses di- „ scours au Chap. XXX. asserit : Quicunque lira la „ Bible de sens rassis verra que Moïse, pour rendre ses „ loix inviolables, fut forcé de faire mourir une in- „ finité d'hommes, qui par envie s'opposoient à ses „ desseins. Moïse ayant assemblé les Israëlites, il

„ leur

„ leur dit ces paroles. *Hæc dicit Dominus Deus*
„ *Iſraël. Ponat Vir gladium ſuper femur ſuum :*
„ *ite & redite de porta usque ad portam per me-*
„ *dium Caſtrorum, & occidat unusquisque fratrem*
„ *& amicum, & proximum ſuum. Feceruntque*
„ *filii Levi juxta ſermonem Moyſi, ceciderunteque*
„ *in die illa quaſi viginti tria millia hominum*
„ (Exod. 32.). De Savanarola vero dicit : qu'il avoit
„ perſuadé au Peuple de Florence, qu'il parloit avec
„ Dieu. (Diſc. Lib. I. Cap. XI. *Ad hæc Sereniſſimus*
„ *Commentator hæc habet :* Il ſemble d'ailleurs que
„ Machiavel place aſſez inconſidérément Moïſe avec
„ Romulus, Cyrus & Theſée : Moïſe étoit inſpiré ;
„ s'il ne l'avoit pas été, on ne pourroit le regarder
„ alors que comme un impoſteur qui ſe ſervoit de
„ Dieu, à peu près comme les Poëtes employent
„ leurs Dieux pour ſervir de Machines quand il leur
„ manque un denouëment. Moïſe, regardé comme
„ un inſtrument unique de la Providence, ainſi qu'il
„ l'étoit, n'a rien de commun avec les Legislateurs qui
„ n'ont eu que la Sageſſe humaine en partage - - il
„ faut adorer en lui la Providence, & examiner la
„ prudence des autres.

§. CCLXX.

Multo probabilior etiam TACITI Hiſtoria quam MOSIS videtur Adverſariis noſtris, de modo, quo Moſes Populum Iſraëliticum aqua carentem potavit ; dum in Sacris Litteris miraculo id tribuitur, apud Tacitum vero Moſes fontem aliquem, Aſinorum ſylveſtrium ope, inveniſſe dicitur.

MARQUIS D'ARGENS Philos. de Bon-Sens Reflex. I. §. V. fere ab initio hac de re Sententiam ſuam profert : „ Si nous n'étions pas obligés de nous
„ ſoumettre dès que l'Ecriture a parlé, je Vous prie
„ de juger, de ce que nous penſerions de cet endroit

„ de

„ de la Bible, où il est dit que les Israëlites, mou-
„ rant de Soif dans le désert, Moïse fit sortir de l'eau
„ d'un Rocher, qu'il frappa avec une Verge. Voici
„ comme Tacite raconte ce fait. *Sed nihil æque*
„ *quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud pro-*
„ *cul exitio totis campis procubuerant, cum grex*
„ *asinorum agrestium e pastu in rupem nemore*
„ *opacam concessit. Secutus Moses, conjectura*
„ *herbidi soli, largas aquarum venas appulit.*
„ TACITUS Lib. V. Je ne comprends point comment
„ ce morceau s'est conservé jusqu'à nous, & que les
„ Moines ne l'aient pas fait disparoître dans le tems
„ d'ignorance, comme tant d'autres Manuscrits, qu'ils
„ ont supprimés, ou châtiés. Addit hisce, comme
„ l'esprit saisit toujours le Vraisemblable & se porte
„ de lui-même au naturel, si Moïse n'étoit qu'un sim-
„ ple Historien, tous les suffrages seroient en faveur
„ de Tacite; mais aucun des Juifs ne changeroit de
„ sentiment; ils tiendroient opiniatrement pour leurs
„ Historiens, & leur Vanité seroit plus flattée que
„ leurs Peres se fussent desaltérés dans le désert par
„ le secours de la divinité, que par un moïen sim-
„ plement produit par le cours ordinaire des choses.

§. CCLXXI.

Ut Responsionem hic è longinquo petamus opus non est, dum in ipsis Viri illustris verbis contineatur; dicit nimirum, persuasissimos esse Judæos, aquam hanc immediato divino auxilio productam esse; dum vero Judæi juxta Autorem de hoc miraculo sint convictissimi, & superbia hujus populi tanta semper fuerit, ut malint suam ab interitu Liberationem Deo quam naturali alicui caussæ adscribere, ipsimet Judæi Fabulæ hujus, quam Tacitus refert, vix fuere Autores, dum hoc in illorum ignominiam cederet: Unde patet, Gentiles Historiographos hoc à Judæis

dæis nequaquam habuisse. Si vero à Judæis non habuerint, oportet Ægyptius aut alius quisquam Ethnicus præsens fuerit, cum Moses fontem huncce detexit. Sed & hoc nulla asseri potest probabilitate, quis enim crediderit, vel quosdam ex Ethnicis tunc temporis inter Israëlitas commoratos fuisse, vel si adfuerint, Mosen dum decipere voluisset Populum, proque Miraculo venditare quod tale minime erat, eos advocasse & fraudis suæ testes fecisse; nullum vero aliud supereſt medium, quo impostura hæc ad Ethnicorum aures pervenire potuisset. Unde liquet, Taciti narrationem omni plane certitudinis fundamento carere, adeoque nil nisi commentum in Judæorum odium excogitatum esse; & tamen Vir illustris putat, si quis sepositis Religionis præjudiciis judicare velit, Veritati atque certitudini historicæ Tacitum magis quam Mosen accedere.

§. CCLXXII.

Difficultates illas, quæ ex reliquis Mosaicis Scriptis, nec non ex Libris Samuelis, Regum ac Chronicorum afferuntur, ut singulas prosequamur necesse non est; eæ adeo omnibus notæ & sæpissime jam solutæ sunt, ut mea opera hac in re inutilis & supervacanea plane foret.

§. CCLXXIII.

Numerum illum Israëlitarum Exod. XII. 37. possibilem esse, nemo habet cur dubitet, qui USSERII Chronologiæ Sacræ Caput XI. perlegit; ut nihil dicamus de singulari Dei promisso Abrahamo de seminis sui multiplicatione dato, aut quod terra Ægyptiaca præ reliquis regionibus populosissima fuerit.

§. CCLXXIV.

Neque impossibilem esse calculum illum 2. Sam. XXIV. 9. & 1. Chron. XXI. 5. facile credit, qui Palæstinæ fertilitatem perpendit, & quod ab exteris etiam populis, cum quibus commercia habebant, fruges apportari potuerint; nec non quod Davidis tempore Regni Israëlitarum limites quammaxime extensi fuerint.

§. CCLXXV.

Nec sequitur in duobus hisce locis contradictionem esse, quia numerus in uno loco multo major est quam vero in altero; in uno enim loco legionarii solummodo milites numerati videntur, in altero quicunque ad rem militarem idonei erant.

§. CCLXXVI.

Summam illam stupendam auri argentique, quam David in thesaurum reposuit quod attinet 1. Chron. XXII. 14. ea omnem fidem excedere putanda non est, si consideremus, commercia illa, quæ cum dissitissimis etiam Populis à Davide fuere instituta; & Minas auri argentique tunc temporis nondum fuisse exhaustas; & denique in Historiis tam Græcis quam Romanis immensarum etiam Regum nonnullorum divitiarum mentionem fieri.

§. CCLXXVII.

Locum illum 2. Chron. XXI. 20. XXII. 2. coll. cum 2. Reg. VIII. 26. ubi filius patre biennio major fuisse videtur, corruptum esse statuunt Theolog. celeberrimi, neque id sacrarum litterarum Autoritati quidquam derogare posse, patet ex

ex (§. 237.). Ad difficultatem etiam hanc solvendam à Viris Doctissimis multa non improbabilia allata sunt, quorum varias Solutiones recenset JO. MEJER in *Seder Olam.*

Quamobrem (verba sunt Celeb. JOH. ALPH. TURRETTINI Vol. II. Dissert. XI. Apolog. I.) hæc & his similia, utcunque animadversa aut existimata erunt, haud in magno ponemus discrimine. Nec enim in litterarum aut numerorum apicibus sita est Religio, majora sunt quibus illa constat. Et hoc divinæ indicium Sapientiæ est, quod Doctrina Sacra ejus sit naturæ, ita clara, ita aperta, toties tradita, tot modis exposita, ut à minutiis illis, literarumque varietatibus, ne minimum quidem detrimentum accipere possit.

§. CCLXXVIII.

Ad *aliud* nunc *Objectionum genus* progredimur, *Prophetias* respiciens. Inter ea enim opera, quibus Deus Verbi à se traditi tam auctoritatem quam divinitatem monstravit, etiam recensendæ sunt Prophetiæ, quarum hæc est ratio, ut prædicti fuerint per Viros Dei eventus non solum mere contingentes, sed & à liberrima hominum nonnullorum Voluntate pendentes; Quique adeo à Sapientissimo etiam & longa rerum experientia eruditissimo homine divinari neutiquam potuerint; qui propterea à solo Intellectu divino, qui totum rerum nexum prævidet, & à liberrima illius Voluntate, quæ cuncta moderatur, dependent; atque ideo ab illo solo prænuntiari possunt. Unde Deus, ut à falsis sese distinguat Diis, ad Vaticinia non una vice provocat, præcipue Esajæ XLI. XLII. XLIV. XLV.

§. CCLXXIX.

Naturaliſtæ ut hujus pro Sacrarum Litterarum Autoritate argumenti vim eludant, varia contra Prophetias afferunt, dum perhibent; Aut poſt rem geſtam demum litteris eas fuiſſe conſignatas; Aut adeo obſcure & æquivoce prolatas, ut ſenſus illis affingi poſſit multiplex, omniaque ænigmatico dicendi genere meris tenebris involuta eſſe; Aut nunquam ea, quæ prædicta ſint, eſſe impleta; Aut talia in iis contineri, quæ humana etiam ſagacitate prædici queant; Aut Gentiles etiam ſua habuiſſe Oracula, ſua Vaticinia, & quæ hujusmodi alia plura, quibus Adverſarii probare contendunt, nec Libros Propheticos divinæ eſſe Originis, nec Argumentum à Vaticiniis deſumtum quidquam valere.

Quid Acutiſſimus TINDALIUS de Prophetiis teneat, patebit ex iis quæ nunc adducemus, extant illa Libro Sæpius citato cap. XIII. pag. 440 - 444. „ Allein auf „ andere Dinge zu kommen, vvelche etvvas vvichti„ ger ſind, vvenn die Schrifft nicht voraus ſezte, daſs „ die Vernunfft geſchikt ſey, auch Leute von der ge„ ringſten Fæhigkeit zu lehren, daſs Gott vveder ſelbſt „ betrogen vverden, noch uns betriegen kœnne, ſo „ vvürde der Prophet Jeremia Cap. XX. 7. gevviſs „ nicht geſaget haben: *O Herr! du haſt mich be„ trogen, und ich bin betrogen worden, du biſt „ ſtærcker, als ich, und haſt die Oberhand behalten.* „ Cap. XV. 18. *Wilſt du dich gænzlich gegen „ mich verhalten, wie ein Lügner, und wie W„ſſer, „ welche betriegen?* Und bey einem andern Prophe„ ten ſaget der Herr, Ezech. XII. 22. 28. *Die Tage „ ſind verlængert worden, und die Geſchichte ins„ geſamt treffen nicht zu.* Ob nun gleich der „ Herr hinzu füget: *Keines von meinen Wor„ ten*

„ *ten soll auf solche Art länger aufgeschoben wer-*
„ *den, sondern dasjenige, was ich geredet habe,*
„ *soll geschehen.* So saget doch derselbe nach
„ der Zeit, Cap. XIV. 9. *Wenn ein Prophet,*
„ *welcher eine Sache verkündiget hat, betrogen*
„ *worden ist, so habe ich der Herr denselben Pro-*
„ *pheten betrogen.* Wenn nun der Prophet betrogen
„ wird, muss denn nicht das Volck, welches sich
„ auf einen solchen Propheten verlässet, eben so wol
„ betrogen werden? Saget nicht der Prophet Jere-
„ mia, Cap. IV. 10. *Ach! Herr Gott, du hast*
„ *wahrhafftig dieses Volck gewaltig betrogen?*
„ Und bey Esaja heisset es auf gleiche weise Cap.
„ LXIII. 17. *O Herr! du hast uns in Irrthum ge-*
„ *führet.*

„ Es giebt andere Stellen, welche noch weiter ge-
„ hen, und, wenn man solche nach dem Wortver-
„ stande annihmt, Gott so vorstellen, dass derselbe
„ nicht nur seine Worte, sondern auch so gar seine
„ Eidschwüre breche. Ich will zwo dergleichen
„ anführen. Die erste betrifft die Israëliten, zu wel-
„ chen der Herr saget: *Ihr solt nicht in das Land*
„ *kommen, wovon ich geschworen habe, euch sol-*
„ *ches zur Wohnung einzugeben, und ihr solt in-*
„ *nen werden, dass ich mein Versprechen halte.*
„ Num. XIV. 30. 34. Die andere stehet Psalm.
„ LXXXIX. in dessen ersten Theile die Versprechen
„ Gottes, welche derselbe David bey einem Bünd-
„ nisse und Eid gethan hat, ausführlich erzehlet wer-
„ den: In dem andern Theil hingegen beklaget sich
„ David, *dass Gott so wohl sein Bündniss, als*
„ *seinen Eid gebrochen habe.* Und wenn er diese
„ Brüche zusammen fassen will, so saget derselbe:
„ *Du hast das Bündniss mit deinem Knechte zer-*
„ *nichtet; Herr! wo bleiben die vorigen Liebes-*
„ *Bezeigungen, welche du David nach deiner*

 „ *Wahr-*

„ *Wahrheit eidlich versprochen hast?* So vverden „ auch verschiedene Begebenheiten in der Schrifft er- „ zehlet, vvelche, vvenn man sie den Worten nach „ verstehet, so heraus kommen, als vvenn die Weis- „ sager entvveder selbst betrogen vvorden, oder vvil- „ lens gevvesen vværen, andere zu betriegen. (Jere- „ mia Cap. XXXIV. 5. prophezeiet, *daſs der Kœnig* „ *Zedekia geruhig sterben werde*, und dennoch „ Cap. LII. 10. 11. *müſste der gute Kœnig er-* „ *fahren, daſs man seine Sœhne vor seinen Augen* „ *umbrachte; und ihm selbst die Augen ausstache;* „ vvorauf derselbe in Ketten geschlossen vvurde, und „ im Gefængnisse starb. Ob gleich dieser Weissager „ voraus verkündiget, *daſs Joachim ein Begræbniſs* „ *bekommen solte, wie ein Esel, und daſs man sei-* „ *nen Cœrper vor die Thore der Stadt Jerusalem* „ *hinaus schleiffen und werffen würde*, Jer. XXII. „ 19. So kommt doch dieses ganz und gar nicht mit „ demjenigen überein, vvas in dem lezten Capitel des „ andern Buchs der Kœnige von demselben erzehlet „ vvird; Oder einmahl, vvas in dem lezten Capitel „ Jeremia stehet.) Die Prophetin Hulda versichert „ den guten Kœnig Josia, 2. Chron. XXXIV. 28. „ *daſs er geruhig in sein Grab kommen solte:* „ und dennoch *empfienge er* kurz darauf *eine* „ *tœdtliche Wunde.* Cap. XXXV. 23. und starb an „ derselben. Der Prophet lasset dem Kœnig Benhadad „ in Syrien sagen, als ihn derselbe vvegen seiner Ge- „ nesung um Nachricht fragen liess: *Er kœmte*, „ (oder besser, *er wolte* oder *werde*, wie man „ es eigentlich übersezen muss) *ganz gewiss* „ *wieder gesund werden*; und dennoch sagt dersel- „ he zu gleicher Zeit zu Hasael, vvelcher ihm nach „ der Krone und nach dem Leben strebete (und vvel- „ cher bereits vorhero von Elia zum Kœnige in Sy- „ rien vvar gesalbet vvorden): *Er werde unfehl-* „ *bar sterben.* 2. Reg. VIII. 7-10. 1. Reg. XIX. 15.

„ Doch

„ Doch ich habe nicht nœthig, einzele Weiſſager
„ anzuführen, vvelche andere betrogen haben, oder
„ ſelbſt ſind betrogen vvorden, da die Schrifft vier-
„ hundert derſelben ervvehnet, vvelche auf einmahl
„ ſind betrogen vvorden. 2. Chron. XVIII. 5. 12. und
„ vvelches einer groſſen Anzahl unſchuldiger Perſo-
„ nen zum Untergang gereichet iſt, 21. 22. vers.
„ *Ich ſahe*, ſaget der Prophet Micha, *den Her-*
„ *ren auf einem Thron ſizen, und das ganze Heer*
„ *des Himmels zu ſeiner rechten und linken Hand*
„ *ſtehen. Da ſagte der Herr: Wer kan den Kœ-*
„ *nig Ahab in Iſraël verführen, daſs er hinauf*
„ *ziehe nach der Stadt Ramoth in Gilead, und da-*
„ *ſelbſt umkomme?* worauf einer dieſen, der
„ andere einen andern Anſchlag vorbrachte.
„ Endlich kam ein Geiſt hervor, ſtellete ſich
„ vor den Herren hin und ſagte: *Ich will ihn*
„ *dazu verführen. Der Herr fragte ihn: Wie*
„ *wilſt du es denn anfangen? Der Geiſt antwor-*
„ *tete: Ich will ausfahren, und einen lügenhafften*
„ *Geiſt abgeben in dem Munde aller ſeiner Weiſ-*
„ *ſager. Der Herr verſezte: Recht, du ſollſt ihn*
„ *verführen, und wirſt auch dein Vorhaben zu*
„ *ſtande bringen. Fahre hin, und mache es alſo.*

§. CCLXXX.

Ut ad ſingula nunc Adverſariorum argumenta etiam ſeorſim reſpondeamus, obſervandum *primo*: Talia in Prophetarum Scriptis extare oracula, quæ poſt implementum demum exarata dici minime poſſunt, quæque adeo clara ſunt, ut de illorum interpretatione nullum remanere dubium poſſit. Vaticinatur Moſes, ut primo ex illius Scriptis exemplum afferamus, qualis Populi Iſraëlitici pertinacis, immorigeri & Fœdifragi eventus ſit futurus, dum dicit: Levit. XXVI.

Deut. XXVIII. 1.) Quod illorum Urbes diruendæ, Loca illorum Sacra vastanda sint. 2.) Quod Terra Cananæa ab ipsis deserenda, & ab illorum inimicis habitanda sit. 3.) Terram per Sabbatha sua incultam mansuram. 4.) Quod gladio perituri, & misera eorum conditio inter hostes futura sit. 5.) Quod sua Patrumque suorum crimina confessuri sint in Terra inimicorum suorum degentes. 6.) Quod Deus propterea illos non deserturus, sed in Terram eorum reducturus sit; Et loco posteriori dicitur. 1.) Quod Deus illos captivos ducturus sit inter Populum, quem nec ipsi nec illorum Patres cognoverint. 2.) Id futurum esse tempore quo Regem habituri sint. 3.) Quod Deus contra illos missurus sit Populum admodum remotum, cujus linguam non callerent. 4.) Illorum Urbem obsidione cingendam, muros & fortalitia illorum diruenda. 5.) Quod fames, obsidionis illius tempore, tanta futura, ut infantes suos devoraturi sint, & terror magnus futurus sit. 6.) Quod plane mirabilis fors illorum futura. 7.) Illorumque numerus valde diminuendus sit. 8.) Quod non tantum ejiciendi sint ex terra sua, sed etiam dissipandi in toto terrarum orbe, ab una cœli plaga ad alteram. 9.) Quod inter Populos illos nullum certum habitationis locum habituri sint, ubi quiescere possint. 10.) Quod ludibrio habendi sint ab omnibus iis Populis, & abominationi inter Gentes inter quas disjiciendi sint. 11.) Quod in signum & prodigium futuri sint cum semine suo in æternum. 12.) Et jugum illorum humeris imponendum plane ferreum futurum, ut semper quasi ipsorum Vita in suspenso futura sit, &c.

Ad

§. CCLXXXI.

Ad hæc notandum: א. Res in hac prophetia contineri, quæ nulla unquam humana ſagacitate præſciri potuiſſent; non tantum enim א. Moſes certo ſupponit, illos terram illam poſſeſſuros, ibique ante plagas illas Templum habituros. Sed ב. illos Regem habituros, quem proprio arbitrio conſtituerint. ג. Captivitatem illam futuram eo tempore, quo ipſorum Monarcha Rex futurus ſit. ד. Regem cum ipſis ex Terra ſua deportatum iri. ה. Terram cum Urbibus non tantum expugnandam, ut ſub alius Principis Imperio futuri & Palæſtina alius Regni Provincia futura ſit, ita, ut ipſi nihilominus eam incolant, uti aliâs in Bellis fieri conſuevit ut non Incolæ ſed Regimen tantum mutetur; ſed ipſos omnes in aliam terram deportatum iri, ut Palæſtina partim inculta manſura ſit, partim ab inimicis ſuis habitanda. ו. Quænam porro humana ſagacitas prævidere potuiſſet, quod Deus illos reducturus ſit in terram ſuam, poſtquam ſeriam pœnitentiam egiſſent, imo Moſes non tantum conditionate loquitur, ſi pœniteret ipſos malefactorum, ſed modo maxime determinato affirmat illos convertendos & in terram, Dei clementia, recordantis Fœderis cum Patribus illorum, reducendos. ז. Neque quisquam præſcire potuiſſet captivationem illam alio tempore talem futuram, ut nulla amplius recuperationis Terræ ſuæ ſpes ſuperſit, ſed quod per omnes totius orbis Populos diſſipandi ſint, ita quidem ut nullum propriæ habitationis locum acquirant. ח. Judæorum porro Characteres, & modum illorum inter alias Gentes commorationis & locum quo ab illis habendi ſint, ita accurate de-

scribit, ut nemo etiam modernum Judæorum statum considerans melius eum delineare posset. Reliqua, quæ addere possemus, præterimus.

§. CCLXXXII.

β. Ex dictis colligere licet, *Religionem & Gentem Judaicam mirum quoddam Phænomenon esse, cui explanando increduli omnino impares sunt; sed quod, posito Religionis Judaicæ (qualis olim fuit) Veritate & divinitate, optime resolvitur.* Sunt verba Celeb. TURRETT. Vol. II. Diss. IV. in adjecto Corollario. pag. 110

Et hoc quidem verissimum est, revelatæ Religionis hostes multum impendere laborem, ut Gentis Judaicæ tum Originem, tum Religionem, tum mirabilia illius fata explicent atque evolvant: sed incertitudine, conjecturis ac figmentis clarissimis omnia quæ proferunt nituntur. Et licet vera ea esse supponantur, multa tamen remanent obscura, quorum ratio reddi minime potest. Si vero Historiæ Biblicæ Veritas admittatur, omnia tam clara fiunt, ut nihil deprehendatur in tota illorum Historia, Religione & omnibus mirabilibus illorum fatis, cujus ratio non facillime à quovis perspici queat. Quis contra unquam illorum in Ægypto commorationem, Populus enim fuit ab Ægyptiis plane diversus? quis illorum ex terra illa exitum mirabilem, populi numerosissimi in Desertis Arabiæ Annorum quadraginta commorationem? quis singularem eorum ab omnium reliquorum populorum placitis diversam, sed maxime excellentem Doctrinam? quis omnia Religionis eorum instituta explicabit? Quis porro mira post tempus possessionis Palæstinæ illorum fata exponet, Assyriacam Babylonicamque captivationem, & in terram Patriam reductionem? Quis fatalis illorum per Romanos Vastationis, non Vastationis & Subjectionis totalis, sed exterminationis, ex terra Cananæa plenariæ ejectionis, absque ulla reditus spe, rationem reddet? Quis ænigma illud evolvet, quod nobis Populus hic ab omnibus aliis plane diversus & singu-

singularis præbet, Populus cui Maledictio quasi fronti inscripta est. omnibus exosus, plane mirabilis, ubique extorris. Quis, inquam, Historiam Sacram non admittens, omnia hæc solvere poterit, Mosen vero & Prophetas si audiamus, Via plana ac facilis est.

§. CCLXXXIII.

γ. His addendum, omnia hæc qualia ea Moses prædixerat, licet admodum contingentia & à liberrima nonnullorum hominum Voluntate dependentia, accuratissime impleta esse. *Captivatio* enim *Assyriaca* octingentis post Mosen Annis contigit; *Babylonica* vero ultra nongentos ab hoc Vaticinio annos; & quidem non modo tunc temporis Israëlitæ Regem habebant, sed ipsemet etiam cum illis deportatus est, idque factum non à vicinis sed à dissitis Populis. Urbes ipsorum principes Hierosolyma ac Samaria cum templo dirutæ sunt. Horrenda vero illa fames, quæ tanta fuit, ut infantes etiam suos comederint, obtinuit tam in Urbis Samariæ, quam ultima Urbis Hierosolymitanæ obsidione. Et quis nescit, Terram Cananæam tempore Septuaginta annorum Sabbatha sua (anni Sabbathici enim Judæorum negligentia antea omittebantur) iterum quievisse. Postquam autem seriam pœnitentiam egerunt, in Terram suam remissi sunt. Post ultimam vero Populi hujus per Romanos expugnationem revera ab una cœli plaga ad alteram dispersi omnium populorum ludibrium sunt, & in signum & prodigium omnibus Gentibus, sine quiete, dum nullum proprium Regnum habent, sed aliorum solummodo servi sunt.

§. CCLXXXIV.

δ. Neque Adversarii dicere possunt, Recentiora

tiora hæc Mosis effata ipsis factis hisce esse : Sive Mosis nomine demum sequentibus temporibus ab Esra vel Nehemia aut quodam Legis Doctore Litteris consignata esse ; sed Libros hos extitisse ante divisum Judæorum Regnum , dum à Samaritanis non minus ac à Judæis pro authenticis ac genuinis habiti sint, certissimum est.

§. CCLXXXV.

Nulla etiam Veritatis specie aut fundamento asseri potest, hos quidem Libros tunc temporis extitisse, at loca hæc postea demum fuisse inserta. Haudquaquam enim probabile est, id communi Judæorum consensu fuisse insertum, quod ad maximam eorum ignominiam faciebat, dum tam solenniter præmoniti, tantorum tamen criminum reos sese fecissent ; sed nec ideo hæc Sacri Codicis corruptio locum habere potuit, quia id nonnisi integri populi fieri potuisset consensu. Non enim solum ille Codex extabat, qui in Templo conservabatur ; sed ingens exemplarium numerus omnium manibus terebatur. Si Pentateuchus in solorum Sacerdotum manibus conservatus fuisset, fraudis aliqua suspicio apud Incredulos locum habere posset ; at liber non occultus, sed omnium oculis expositus erat. Porro ad superstitionem usque Judæi curam gerebant maximam , ne vel apex corrumperetur , non enim Politiæ tantum, sed Sacrorum præcipue Lex Mosaica norma fuit. Licet tandem ipsimet Judæi communi totius Populi consensu Sacrum Codicem adulterassent, Codex tamen Samaritanus , propter odium internecinum, quod inter utrumque intercedebat Populum , sartus tectusque mansisset.

Huic

§. CCLXXXVI.

Huic de Israëlitarum deportatione & fatis Vaticinio nonnulla ex Prophetarum Libris addemus, ut sunt illa de Tyri Babylonisque apud Esajam Vastatione, quæ adeo clara sunt, ut vel obscuritatis vel ambigui sensus accusare ea nemo possit. Extant illa Esajæ XIV. & XXIII.

§. CCLXXXVII.

Præprimis vero celebre est illud de Cyro oraculum ESAJÆ XLIV. XLV. *Cyrum meum adpello pastorem, meam omnem perfecturum Voluntatem: quippe Hierosolymam refici, templumque fundari mando: sic mando Jova uncto meo Cyro, cujus dextram prehendo ad deprimendas ejus adventu gentes regumque latera discingo, ad ostia in ejus adventum recludenda, patefaciendasque portas. Ego te præcedens prava corrigam, ærea perfringam ostia, ferreaque claustra convellam, & tibi occultos tradam thesauros, abditasque pecunias, ut scias, me Jovam esse Israëlitarum Deum, qui te nominatim vocem, qui te inquam propter servos meos Jacobeos, propter lectos meos Israëlitas, tuo nomine vocans nuncupem, quum tu me tamen ignores. Ego Jova quo excepto nullus est, excepto me nullus est Deus, te accingo, quum tu me tamen ignores. . . Ego idem illum cum justitia excito, ejus omnia dirigens itinera, qui meam urbem extruat, exulesque meos nullo pretio aut munere dimittat: dicit armipotens Jova.*

§. CCLXXXVIII.

Vaticinii hujus evidentiam nemo est qui inficiari possit, dum omnia ita delineata sint, ut omnis plane ambiguitas evanescat. Oraculi objectum sic comparatum, ut nulla hominum sagacitas,

citas, Cyro adhucdum ne quidem exiſtente, hæc divinare potuiſſet. Duobus porro jam Sæculis ante rei eventum edebantur, ut adeo nonniſi ſola Revelatione divina innoteſcere potuerit.

§. CCLXXXIX.

Nullum hic Adverſariis effugium ſupereſt, quam ut vel integram Eſajæ Prophetiam hisce demum temporibus collectam, & in integrum Librum redactam eſſe perhibeant; vel ut locum hunc, Cyri demum temporibus, inſertum eſſe ſtatuant.

§. CCXC.

Multa vero ſunt quæ huic difficultati vim omnem adimunt; nam α. haudquaquam credibile eſt, Judæos ſumma audacia Cyro Oracula ſpuria ac adulterata monſtrare conatos fuiſſe; univerſalis enim ad hoc omnium Judæorum, in quorum manibus Libri Sacri verſabantur, requirebatur conſpiratio, quod nullo modo fieri potuiſſet, quin à Samaritanis aut aliis eorum hoſtibus ad ſummum illorum opprobrium detectum fuiſſet.

§. CCXCI.

β. Et qui porro novit, quanta Judæi omni tempore reverentia omnia ſua Sacra habuerint; quantum in id collocaverint & collocent adhucdum ſtudium, ut ne minimus quidem in Codice Sacro Apex corrumpatur aut mutetur, illi nullum ſupererit dubium, illorum proterviam nunquam eousque proceſſiſſe, ut in ſacro Canone quidquam adulterarent, & pro Verbo divino venditarent, quod nonniſi proprium figmentum eſt, nulla propterea adulteratio ſubrepere unquam potuiſſet. γ. Ne

§. CCXCII.

γ. Ne corruptissimis quidem temporibus, ubi ejusmodi corruptio ad rem Sacerdotum aut Principum promovendam maxime feciſſet, quisquam hoc impudentiæ genus exercere ausus fuit. Malachia enim fatis functo, nemo inventus est, qui vel novas Revelationes jactare, vel Codici V. T. quidquam addere, aut minimam in illo mutationem tentare conatus fuit. Quinam ergo factum, ut hac sola vice Verbum Dei vitiatum sit?

§. CCXCIII.

Ea quæ DANIEL per integrum fere Vaticiniorum Librum de Alexandro M. & eventibus præcipuis ad Antiochum usque Epiphanem habet, & sub variis ab ipso emblematibus propoſita leguntur Cap. II. VII. VIII. & XI. adeo clara atque evidentia sunt, ut teste HIERONYMO in *proœm. ad Comment. in Dan. Propheta incredulis non futura prædixiſſe, ſed præterita narraſſe videatur.*

Qui præcipue Oracula in Prophetarum Libris contenta & cum Hiſtoriis prophanis ac sacris illius temporis collata & ex iis explicata legere cupit, evolvat Litteratiſſimi & Elegantiſſimi, ROLLINI *Hiſt. Ancienne*, ubi præcipua illorum temporum fata, illorumque cum Prophetiis conſenſus expoſitus, & eoipso etiam Vaticinorum Sacrorum divinitas vindicata legitur.

§. CCXCIV.

PORPHYRIO, omnis revelatæ Religionis Hoſti infenſiſſimo, tanta Danielis Vaticiniorum claritas viſa fuit, ut ſummum illorum cum rebus geſtis conſenſum negare minime potuerit; ſed eo recurrere maluerit, ut Librum huncce Propheticum poſt Antiochi demum Epiphanis tempora

pora exaratum fuisse assereret, sicque Historiam potius quam Oraculum hoc modo contineret.

§. CCXCV.

Hujus Prophetiæ authentiam adversus Hostium Veritatis calumnias vindicat acutissimus JOH. ALPH. TURRETTINUS Dissert. Vol. II. Diss. IV. pag. 108. 109. Cujus argumenta breviter nonnullis mutatis & additis adducam. α. quidem observandum, inter universam Judæorum Gentem nullam unquam hac de re fuisse controversiam, licet dictum Cap. XII. versu 2. & ultimo, Sadducæorum placitis minime faveret.

§. CCXCVI.

β. Unde Genti Sacrorum studiosissimæ, & in Prophetiis expendendis diligentissimæ, ut fidem hac in re habeamus, æquissimum est.

§. CCXCVII.

γ. Adscendendo vero ab uno Seculo ad alterum, patet quam notus olim & quanto in pretio hic liber fuerit habitus, non JOSEPHI tantum historiographi extabat tempore, qui honorificentissimam illius mentionem facit, dum illius de Monarchiis Oracula non sine summa admiratione refert. *Antiq.* L. X. Cap. XII. Christus insuper & Apostoli septuaginta ante Josephum annis Danielem ut Prophetam citant; Imo jam Maccabæorum tempore illius atque Sociorum non sine laude mentio facta est. 1. Maccab. II. 59. 60.

§. CCXCVIII.

δ. Imo teste JOSEPHO *Ant. Jud.* Lib. XI. Cap. VIII. jam Alexandri M. ætate Danielis Liber

ber extabat ; siquidem ei Hierosolymis versanti ostensus fuit, cumque ex eo intelligeret Persarum Imperium à Græco quodam subversum iri, eumque se esse percipiens, lætatus dicitur.

§. CCXCIX.

ε. His, quæ ex TURRETINO attulimus, hoc insuper addimus, quod maximum pondus nobis habere videtur, quod si Liber hic post Antiochi Epiphanis demum ætatem fuisset exaratus, fraus subreptionis hujus Libri in Canonem Sacrum latere nequaquam potuisset, propter nimiam temporis differentiam, quæ inter Danielis vitam & Prophetiæ vel Libri hujus editionem & in Canonem receptionem intercessisset ; quadringentorum enim circiter annorum spatium tempus hoc complectitur. Quis igitur fingere sibi poterit, seris demum hisce temporibus Librum hunc & quidem propheticum præfixo Danielis nomine, rebus maximis in eo contentis jamjam gestis, fraude subrepsisse & communi Populi Judaici consensu, aliter enim fieri non poterat, in Canonem fuisse receptum ; Illud contra PORPHYRII omniumque Revelationis Adversariorum εὕρημα omni plane destituitur fundamento; ex nullis plane id probare possunt documentis historicis ; nec tempus indicare queunt, nec Pontificis nomen, sub quo id factum ; ne minimam quidem ex Scriptis Judæorum hujus rei umbram proferre poterunt. Ut tota hæc conjectura in merum tandem figmentum resolvatur.

§. CCC.

Omnis ergo PORPHYRII argumentatio ita se habet, & conclusio hac ratione infertur: *Omnia*

nia ea, quæ in Prophetia Danielis continentur, cum ipso eventu perfectissime quadrant, E. Oracula illa sunt supposititia.

§. CCCI.

Nos vero ita argumentamur: *Hæc Danielis Prophetia pro genuina semper fuit habita, neque illud apud quenquam Judæorum dubium unquam fuit; neque ulla adest causa cur liber hic suspectus habeatur; & fraudis suspicio nullo plane nititur fundamento. Si ergo inter eam & rei eventum accurata intercedat convenientia, patet, illam non vanam & futilem, sed genuinam ac vere divinam esse.*

§. CCCII.

Ultimum Revelationis hostium *refugium* est, non quidem totum Danielis Librum esse suppositititium, sed plurima loca post memorabilia illa facta fuisse inserta; admodum vero frigidum cuivis videbitur novum hoc εὕρημα, qui considerat, non modo maximam impudentiam & imprudentiam fuisse, si fraus hæc absurdissima committeretur, sed impossibile plane fuisse, ut quadringentis post Danielem annis, & eo tempore, quo Israëlitæ jam per totum fere orbem dispersi erant, in quorum manibus Codex sacer versabatur, tanta textus sacri adulteratio contingere potuisset; & ita quidem, ut non tantum universali id fieret consensu, nec fraus à quoquam detegeretur, sed ut simul ita fieret, ut oblivioni plane ab omnibus traderetur.

§. CCCIII.

Neque unum & alterum tantum hujus Libri adulteratio hæc respiceret versum aut sententiam, sed integras sectiones, integra qualia nunc habe-

habemus capita ; dum Vaticinia ista per integrum Librum sparsa & reliquis ita intertexta sunt, ut ab iis separari minime queant.

§. CCCIV.

Quod vero Prophetia hæc, uti Psalmi Davidici, inter Hagiographa, non vero inter Libros Propheticos relata fuerit, propter Vitæ genus, quo Daniel extra terram Cananæam in aula regia versabatur, factum est.

§. CCCV.

Vocabula illa Musica originis græcæ Cap. III. 5. 15. nihil aliud probant, quam aut Musicos ex Græcia in aula illa fuisse versatos, aut terminos solum Musicos à Græcis apud Assyrios fuisse mutuatos, uti nostris temporibus ex lingua Italica mutuo sumuntur.

§. CCCVI.

Unicum hoc adhuc addimus, quod si Judæis minima corruptionis alicujus, Libri istius sacri, suspicio fuisset, locum illum Dan. IX. 24-27. illis quammaxime adversum, uti ipsimet confitentur, non pro genuino agnovissent : sed nemo unquam illorum ejus Authentiam negare ausus est.

§. CCCVII.

Ita clarum citatus locus de Messiæ adventu ejusque effectu continet vaticinium, ut Judæi illud, quantumvis ipsis contrarium, negare minime possint ; Neque etiam genuinum illud Vaticinium esse inficias ire audeant. Describit autem illud 1.) exactissime tempus quo Messias venturus sit. 2.) Beneficia inde redundantia. 3.)

Fata Populi Judaici tempus illud sequentia, nempe : *Post duos & sexaginta septenarios perimetur Messias, idque destitutus. Urbemque & Sacrum qui depopuletur princeps veniet Populus, eritque finis ejus in grassatione & ad belli finem sævissimæ calamitates. Confirmabit autem fœdus multis unus septenarius, dimidiusque septenarius Sacrificium fertumque tollet & pinnis imponentur calamitosa scelera, idque ad internecionem fluente ad vastitatem sævitia.*

§. CCCVIII.

Dictum hoc de Messia agere nemo dubitare poterit, dum ipso hoc nomine exprimitur ; eventum tempori designato respondere res longe clarissima est ; Judæi id non inficiantur, quantumvis hypothesibus suis contrarium. Calamitates illas, quibus post Messiam ab ipsis peremtum premebantur Judæi, perfectissime delineari, negare nemo poterit. Nulla obscuritas, nulla ambiguitas hic occurrit, omnia plana ac facilia, omne sacrificii genus per templi vastationem cessasse nullum dubium. Humana vero sagacitate hæc præsciri potuisse nemo opinor asserere poterit ; nedum tempus, modum, circumstantias, effectus, causas, consequentias indicare. Visiones ac Vaticinia post illud tempus nulla amplius futura, sed obsignanda tunc esse, quis prænoverit?

§. CCCIX.

At recurrit Argumentum Adversariorum achilleum, nempe *Prophetia sive verba hæc nimis evidenter eventui respondent, ergo non divina, sed ficta & subreptitia sunt, post eventum demum excogitata.*

At

§. CCCX.

At respondemus; Aut Judæos post Jesu Nazareni adventum, mortem, post urbis templique per principem Populum sive Romanos vastationem, cultusque cærimonialis abrogationem, oraculum hoc inseruisse; Aut Christianos fraudem hanc commisisse. Prius ita absurdum ut statui minime possit, nisi dicere velimus, Judæos dictum erroribus suis quammaxime adversum textui Biblico addidisse & hac ratione Adversariis suis arma ministrasse: Hoc est, ad proprias hypotheses debellandas fraudem commisisse, textumque sacrum adulterasse.

§. CCCXI.

Quam absurdum contra si diceremus: A Christianis ad Judæos refutandos pia, ut vocant, fraude crimen hoc commissum fuisse. Exemplaribus quidem Christianorum ut hoc contingeret cum veritatis aliqua umbra asseri posset; at quis crederet, in Judæorum Codicibus fraudem hanc locum habere potuisse; & quantum rei Christianæ detrimentum id attulisset, si ejusmodi figmentum ab infidelibus fuisset detectum, quod non potuisset non accidere, dum Biblia non in Christianorum modo versabantur manibus, sed Judæorum, & Græca Veteris Testamenti translatio Gentilium etiam terebatur manibus.

§. CCCXII.

Quid ergo supereſt, quam ut dictum hoc temporibus Christi adventum antecedentibus prolatum fuisse firmiter credamus; & si vel cum PORPHYRIO statueremus, ante Antiochi Epipha-

phanis tempus Danielis Prophetiam, sive Librum, qui Danieli vulgo adscribitur, nequidem extitisse, nihilominus Oraculum erit eventui exactissime respondens.

§. CCCXIII.

Plura quam clarissima Vaticinia, de Christi Persona, ejus genere ac prosapia, nativitate, illius loco ac tempore, de illius passionibus ac morte, de ejusdem exaltatione, Evangelii inter gentes prædicatione, Judæorum rejectione, Urbis ac Sanctuarii vastatione aliisque eventibus, afferre possemus; instituti vero brevitas, ut hic prolixiores simus, non permittit.

§. CCCXIV.

Ex dictis patet, tales in Sacro Codice reperiri Prophetias, quæ ante eventum rei prædictæ litteris fuere consignatæ, quæque ambiguitatis accusari minime possunt. Si vero talia occurrant Oracula, quibus multiplex affingi potest sensus, id non unam ob rationem fit: Nam 1.) Intellectus nostri imbecillitati id sæpius tribuendum; ab una enim parte nec totam Vaticinii alicujus connexionem perspicimus, ut justum semper de illo judicium ferre queamus; ab altera parte nec etiam totus omnium eventuum in Civitate Dei nexus nobis perspectus est; ut per hanc cognitionem quodlibet Oraculum eventui suo applicare possimus; quoad præterita enim multa nobis desunt historica Documenta; quoad præsentia eventus aliquis subinde majoris, subinde minoris momenti nobis videtur quam revera est, dum illum cum omnibus reliquis, præsentibus, præteritis & futuris comparare propter intellectus

ctus & cognitionis historicæ imbecillitatem & defectum non licet ; unde sæpissime in Vaticinii applicatione erramus , momentum enim rerum gestarum solum respectu nostri, non vero respectu totius nexus ac systematis haud raro metiri solemus. Quoad futura vero, cum ea nos lateant, præcipue quoad modum & varias circumstantias, propterea etiam Oracula nondum impleta accurate explicare nequimus. Ad infallibilem ergo Prophetiarum applicationem requireretur notitia nexus universi rerum in Civitate Dei gestarum & gerendarum, qua omnia uno intuitu comprehendere atque unum cum altero comparare possemus. Sufficit vero Oracula illa, quæ maximi sunt momenti , & quæ ad ipsum Religionis centrum pertinent, quammaxime esse perspicua, ut ab omnibus, qui seponunt præjudicia, intelligi queant.

§. CCCXV.

2.) Etiam hoc attendendum , quod talia extant Vaticinia, quæ non solum ad specialem aliquem eventum , sed ad generalem aliquem respiciunt Ecclesiæ statum , qui vero uno tempore felicior altero est. Inde fit ut haud raro interpretes divinorum Oraculorum hoc modo inter se dissentiant , ut unus Vaticinium aliquod præcise huic casui, alter alteri applicet, & licet dissentiant, facile tamen conciliari queant, utrumque enim verum esse potest.

§. CCCXVI.

3.) Nec hoc omittendum, quod *Mundus Spiritualis* sive *Civitas Dei*, res omnium operum divinorum pulcherrima , duas habeat partes; Mun-

dus enim hic est vel *Typicus* vel *Antitypicus*, & qualis inter Mundum *Physicum* & *Mysticum* summa est harmonia ac consensus, ita in Mundo Spirituali typico & antitypico per summi Opificis Sapientiam admirabilis est conformitas ; ut quæ in Mundo typico eveniunt, etiam in antitypico contingant, ut magna eventuum celeberrimorum sit similitudo. Hinc in plurimis Prophetiis implementum historicum in Mundo typico quærendum, ita ut historia illa typum rerum in Mundo antitypico eveniendarum gerat. Factum hinc ut multi interpretes sensum litteralem in eventu Mundi typici quæsiverint, alii implementum ejusdem Vaticinii in Mundo antitypico invenisse sibi videantur, & hoc modo dissentiunt, proprie tamen consentiunt.

§. CCCXVII.

Multa vero ænigmatico Prophetarum loquendi genere tenebris involvi dicunt, quæ clarius proferri potuissent. Sed tenendum, hunc loquendi modum Linguæ illi, qua Sacra Oracula consignata sunt, esse familiarissimum, Populisque illis, ad quos Prophetæ suum direxerunt sermonem, notissimum. Deinde varia sunt propter quæ Vaticinia summum Claritatis gradum habere non debent ; neque enim necessum est, ut ante eventum ea plane intelligantur ; neque opus ut humana industria atque sapientia ad eorum implementum aliquid contribuat, quod omnino fieret, si homines omnem plane modum ac rationem, qua aliquid fieri debet, clarissime præscirent ; Neque denique divina consilia ab hominibus eventum præscientibus irrita reddi debent.

Si

§. CCCXVIII.

Si talia reperiuntur Oracula, quæ aut nunquam impleta videntur, aut revera nondum impleta sunt, id aut ignorantiæ nostræ adscribendum, dum omnes præteriti eventus nobis noti non sunt, aut sub conditione prolata illa Prophetia est, aut adhucdum implenda.

§. CCCXIX.

Nec Gentilibus, inquiunt, sua defuisse Oracula & quidem celeberrima ut Delphicum & Dodonæum, & illos suas habuisse Prophetias & voces cœlitus missas. Sed nil nisi Sacerdotum fraudes eas fuisse clarissime constat, quibus Principes & Legumlatores in commodum suum utebantur; quod probavit VAN DALE & DE FONTENELLE in Oraculorum historia. Notissimum est illud Demosthenis, qui Pythiam dicebat φιλιππιζειν, dum Oracula in Philippi Macedonum Regis favorem proferret; & quod Julius Cæsar apud SUETONIUM in Jul. Cæs. cap. 77. dixit, dum respondit, cum siniſtra ipsi nunciarentur Oracula, *lætiora futura si vellet.* Sed ambigua etiam erant ut plurimum sacra illa Gentilium responsa, ut illud:

Crœsus Halin penetrans magnam pervertet opum vim.

& illud

Ajo te Æacida Romanos vincere posse.

§. CCCXX.

Ad exempla nunc illa ut deveniamus, quibus acutissimus TINDALIUS Prophetiarum fidem pervertere conatur, speciem quidem ali-

quam habere videntur, si in Viri hujus Docti tractatu citata leguntur, omnis vero perit probandi vis, si in ipsis Sacris Bibliis evolvantur; primum ex Jer. XX. 7. desumtum est; *Decepisti me, Jehova, deceptumque tenes ac vincis, qui quotidianæ sim derisioni, omnibus mihi illudentibus.* Ex toto nimirum contextu apparet, quod sensus horum verborum minime sit, quod Propheta fraude aliqua deceptus sit: excusaverat se Cap. I. 6. se ad munus Propheticum suscipiendum nimis Juvenem esse, ut adeo lubens Ministerium hoc à se avertisset; nunc, propter Conciones suas verberatus ac carceri inclusus, hæc in animum revocat & queritur apud Deum, non quod eum deceperit, sed quod ei persuaserit, ut munus tam molestum ac periculosum susciperet, *persuasisti mihi & persuasus sum, prævaluisti mihi & vicisti*, ut munus scilicet hoc suscipiam, *quo quotidianæ derisioni sim*; at consolatur deinceps se iterum dicens versu 11. *At Jova mihi ferox miles est: ideoque cadent infesti mei:* patet inde, quam parum dictum hoc Adversarii nostri commodis inserviat, & quam male, non dicam absurde, ab illo adhibeatur.

§. CCCXXI.

Neque etiam verba illa, quæ ex Cap. XV. 18. citat, in Bibliis meis talia invenio, qualia ab Autore citantur: *Wilst du dich gegen mich verhalten wie einen Lügner, und wie Wasser, welche betriegen?* Textus sacer sic habet היו תהיה לי כמו אכזב מים לא נאמנו Sensus hic est: *In dolore insanabili meo speratum à te auxilium non adipiscor, ut si quis speratam in fonte aquam non inveniat.*

Modo

§. CCCXXII.

Modo vero plane perverso Autor citat Dictum Ezech. XII. 22. dum dicit: *Bey einem anderen Propheten saget der Herr: Die Tage sind verlængert, und die Gesichte insgesamt treffen nicht zu.* Ita TINDALIUS verba hæc citat ac si Dei verba essent, cum tamen contineant impium aliquod Judæorum Proverbium. Neque alia responsione opus est, quam ut integrum allegemus versum, qui ita habet: *Item Jova mecum verba fecit in hunc modum: Homo, quid vult vobis dictum istud per Israëlitarum terram dicentium? longe abest tempus, periitque omne Oraculum. Ergo illis dicito: Sic dicit Dominus Jova: auferam dictum istud, nec ejus amplius erit usus apud Israëlitas; quia prope est tempus, inquies eis, & omnis Oraculi prædictio.* Liquet ex his quam fraudulenter Adversarii dicta Scripturæ, ut ea in rem suam convertant, citare soleant.

§. CCCXXIII.

Nec quidquam Dictum ex Cap. XIV. v. 9. desumtum probat, nihil enim aliud illud designat, quam Deum malo consultori etiam malum dare vatem, ut Deus quidem permittat homines sceleratos à falsis ejusmodi vatibus decipi, quantopere vero falsus ejusmodi vates Deo displiceat verba sequentia satis indicant. *Qui vates autem, inquit Jova, deceptus aliquid dixerit, illum quidem ego Jova decipi passus sum, at ei manum adferam, & eum de meorum Israëlitarum numero tollam, luentque suam culpam eadem consultoris culpa, qua vatis: ne deinceps Israëlis Posteros à me per Errorem abducant.*

§. CCCXXIV.

Nec majoris ponderis est locus Jer. IV. 10.

At

At ego : ah Domine Jova (inquam) ergo tu huic Populo & Hierosolymis imposuisti, pacem eis pollicitus, quum sit capitale bellum. Sensus verborum hic est: Vaticinium Israëlitarum opinioni minime convenire, dum loco pacis quam speraverant bellum annuncietur ; Promiserat nempe illam Deus Capite præcedente ea sub conditione, si ad Deum rediret Populus Israël. *Redi, defectrix Israëlitis, inquit Jova, & ego non conjiciam in eos vultum meum, quippe qui, ut sum clemens, inquit Jova, non perpetuo recorder injuriæ ; Tantum recognosce tuam culpam.* Hoc si facerent pacem & florentissimum Populo & illius urbi statum promittit. Ad eum vero si non redeant, acerbitatem iracundiæ suæ minatur. Si ergo eventus Israëlitarum expectationi non respondit, id non Dei, sed perversi Populi culpa factum fuit.

§. CCCXXV.

Ex ESAJA Autor locum qui extat Cap. LXIII. 17. ita allegat : *O Herr ! du hast uns in Irrthum geführet.* In Bibliis extat : *Cur nos à tuis Jova viis averti passus es !*

§. CCCXXVI.

Firmissime etiam Deus Promissis suis stetit Num. XIV. 30. 34. dum nemo illorum in Terram Cananæam introivit, quos Deus ex Ægypto eduxerat, duobus exceptis. Nec perjurus propterea fuit, quod eosdem numero homines non introduxit, Populum enim Israëliticum se introducturum juraverat, quod revera præstitit.

§. CCCXXVII.

Et si non semper Fidelibus omnia ex voto cedant,

cedant, inde tamen minime sequitur, Deum factis suis promissionibus deesse, neque juramentum suum implere; quamvis enim læta sequantur tristia, omnia tamen ad optimum finem tendunt, unde *Laudandus Jova in perpetuum etiam atque etiam.*

§. CCCXXVIII.

ZEDECKIAS non armis, uti Deus ipsi promiserat Jer. XXXIV. 4. 5. Sed placide, hoc est non modo violento, licet propter sua malefacta in carcere, mortuus est. Jer. LII.

§. CCCXXIX.

Absque sepulchro futurum esse Joachimum Deus Jer. XXII. 19. minatur, sive sepultura asini sepeliendum. Quale vero illius sepulchrum fuerit, nec extat posterioris Regum Libri Cap. ultimo, nec ex Prophetiæ Jeremiæ clausula erui potest; unde nec contradictio aliqua ex illis locis ostendi poterit.

§. CCCXXX.

Recte etiam Huldæ Prophetissæ responsio 2. Reg. XXII. 20. interpretanda est, Legem Mosis Josias invenerat & horrenda illa Israëlitarum fata, quæ tunc temporis ipsos adhuc manebant, lecta audiebat, scire propterea cupiebat, num sua adhuc ætate ea futura essent? Respondit Prophetissa: hæc mala non illius ætate futura: *Itaque, inquit Jova, te tuis majoribus addam, efficiamque, ut sepulturam rebus salvis adipiscaris, neque tuis oculis videas tantam calamitatem, quam ego sum istum in locum illaturus.* Contigerunt quæ Prophetissa dixerat: Urbis vastatio populique deportatio sequentibus demum temporibus facta, quæ omnium

um malorum in Mosis Libris contentorum initium fuit. Et mortuus Josias Hierosolymis in patris sepulcreto conditus est : Paralip. Lib. II. Cap. XXXV. 24. Quod vero bello alieno sese immiscuit, neque Nechonis verbis divinitus dictatis obedire voluit, sed dimicandi avidus in prælio lethaliter vulneratus fuit, id ad Huldæ prophetiam nihil plane spectat, salva enim dum moriebatur adhucdum res Judæorum fuit, neque mala prædicta hactenus ingruerunt.

§. CCCXXXI.

Elisæi Prophetæ responsum Israëli datum quod attinet. 2. Reg. VIII. 11. ad ea quæ supra diximus, hoc addimus, quod verba illa חיה תחיה etiam Elisæi Votum exprimere possint, ut significent Prophetam quidem optare ut vivendo vivant sive convalescant, at Dominum ostendisse eum moriturum.

§. CCCXXXII.

Quod ex 2. Chron. XVIII. Eruditissimus TINDALIUS citat exemplum, de Prophetæ Michæ Visione, nihil aliud probat quam Deum permittere, ut mali consultores per Pseudoprophetas decipiantur ; nolebat enim Israëlitarum Rex Micham divinum vatem consulere, cujus rei adducit hanc rationem : *Et adhuc unus homo à quo liceat Jovæ Oraculum petere : Sed quem ego propterea odi, quod mihi faustum nihil, sed semper infausta vaticinatur* ; Unde & nuntius qui Michæam vocatum iverat, eum monebat, ut, quoniam cæteri Vates Regi uno ore fausta prædicerent, ipse quoque illorum exemplo fausta prædiceret. Cumque Michæas veritatem proferret, & Regem admo-

monuisset, reliquos Prophetas omnes non divina tulisse responsa, sed fallaces esse, Rex eum comprehendi jussit, atque in carcerem concludi, ibique pane & aqua duriter pasci, donec Rex salvus redeat. Cumque perversus hic Regis animus Deo notus erat, dum nolebat ut vera ipsi indicarentur, sed Virum Dei ipsi responsum divinum ferentem male tractabat, quid mirum quod Deus justissimo judicio, quadringentis illis, munus Propheticum fraudulenter sibi vindicantibus, permisit, ut consultorem illum pessimi animi, quique Veritatem sibi dici nolebat, seducerent.

§. CCCXXXIII.

Aliud Difficultatum genus à Miraculis in S. Codice contentis provenit. Is nimirum Prophetarum mos fuit, ut Litterarum credentialium loco divinam missionem suam Miraculis probarent. At nemini non constat, quot Antiscripturariorum adversus hæc sint exceptiones, ut illa aut per effectus naturales explicent; aut ea contigisse negent, narrationesque de illis falsas aut subreptitias perhibeant; aut illorum testes fraudibus deceptos fuisse arbitrentur; aut denique à falsis etiam Prophetis talia edita asserant.

Ut ipsam Adversariorum mentem melius hac de re cognoscamus nonnullorum verba adducenda sunt. Notissimum est Celeberrimum illum Philosophum ac Atheum B. de SPINOZA nihil aliud per Miracula intellexisse quam effectus naturales, quorum causas ignoramus, unde Caput VI. *Tractatus Theologico-Politici* ita inchoat pag. 67. *Sicuti scientiam illam, quæ captum humanum superat, divinam, sic opus, cujus causa vulgo ignoratur, divinum, sive Dei opus vocare consueverunt homines; Vulgus enim*

enim tum Dei potentiam & providentiam quam clarissime constare putat, cum aliquid in natura insolitum, & contra opinionem, quam ex consuetudine de natura habet, contingere videt. . . Vulgus itaque opera naturæ insolita vocat Miracula, sive Dei opera, & partim ex devotione, partim ex cupiditate adversandi iis, qui scientias naturales coluit, rerum caussas naturales nescire cupit, & ea tantum accidere gestit, quæ maxime ignorat, quæque propterea maxime admiratur. pag. deinde 69. sub finem ita concludit; *Clarissime sequitur, nomen Miraculi nonnisi respective ad hominum opiniones posse intelligi & nihil aliud significare, quam opus cujus causssam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus, vel saltem ipse non potest, qui Miraculum scribit aut narrat.* Pag. 76. *Si igitur quædam in S. Litteris reperiuntur, quorum causssas reddere nescimus, & quæ præter, imo contra ordinem naturæ videntur contigisse, ea moram nobis injicere non debent, sed omnino credendum, id, quod revera contigit, naturaliter contigisse*: citat deinde loca Exod. IX. 10. X. 14. 19. Cap. XIV. 21. 2. Reg. IV. 34. 35. Joh. IX. pag. 82. Tandem addit: *Ex quibus porro evidentissime sequitur, Miracula res naturales fuisse, atque adeo eadem ita explicanda, ut neque nova neque naturæ repugnantia videantur, sed si fieri possit, ad res naturales maxime accedentia.*

Quid acutissimus TINDALIUS de Miraculis eorumque vi probandi sentiat ex sequentibus illius verbis quæ extant Cap. XII. pag. 327. patebit. „ Denn, „ inquit, vvenn man von einer Religion nicht nach „ ihren innern Merckmalen urtheilen soll, so ist nichts „ übrig, als die Wunder, vvodurch man dieselbe ver-

„ thei-

„ theidigen kan, und die Wunder, sie mœgen vvahr
„ oder falsch seyn, vvenn man sie einmahl glaubet,
„ (und vvo glaubet man dieselben nicht?) haben
„ durchgehends einerley Würckung. Ja, da die Wun-
„ der durch bœse so vvol, als durch gute Wesen ver-
„ richtet vverden, so kœnnen bey der schlimsten Re-
„ ligion sich die meisten Wunder befinden, als vvel-
„ che derselben am meisten nœthig hat. Es vvar bey
„ denen griechischen Welt-Weisen ein Sprichvvort:
„ Θαύματα μώροις, Wunder gehœren für die Thoren,
„ und Gründe für die Weisen. Die Bœotier vvaren
„ bekannt vvegen ihrer Dumheit, und auch zugleich
„ vvegen der grossen Menge ihrer Orakel; Und vvenn
„ man sich nicht vveiter, als in der Christenheit um-
„ siehet, so vvird man vvahrnehmen, dass Glaube und
„ tægliche Wunder einander die Hand bieten, und
„ dass für die Leichtglaubigkeit des Volcks nichts zu
„ ungereimt ist. Wenn man auch die Nachrichten des
„ Hochgelehrten Hüets für vvahr annihmt, so sind in
„ der Bibel keine Wunder enthalten: hingegen sind
„ in den Heidnischen Geschichten eine Menge von
„ dieser Art anzutreffen. Würden nicht die Christen
„ selbst es für einen hinlænglichen Bevveis achten,
„ dass eine Religion nicht von Gott herkomme, vvenn
„ derselben einige von denjenigen innern Merckma-
„ len fehleten, vvornach man die Wahrheit der Re-
„ ligion zu prüffen hat, ohne vorhero ihre Wunder,
„ oder einige andere von ihren æussern Bevveisen zu
„ untersuchen? und folglich, vvenn man diese in-
„ nere Merckmale bey derselben antrifft: sind nicht
„ hernach die æusseren Merckmale gænzlich unnüze?
„ Pag. 341. Wenn auch gleich die Menschen sich in
„ natürlichen und übernatürlichen Eingebungen nicht
„ betriegen kœnnten, vvie vvir doch sehen, dass
„ solches tæglich geschieht, so kan dennoch dieses, ob
„ eine Eingebung von einem guten oder bœsen We-
„ sen herkomme (da das leztere die Menschen be-
„ stændig versuchet) blos aus der Natur der einge-
„ gebenen Dinge beurtheilet vverden. Denn es ist
„ eine vergebliche Sache zu den Wundern seine Zu-
„ flucht zu nehmen, da so vvol bœse als gute Wesen
„ dergleichen thun kœnnen; einige sind auch gar

„ so irrglæubig, daſs ſie ſich einbilden, eine von den „ Urſachen, vvarum den bœſen Weſen zugelaſſen „ ſey, Wunder zu thun, vvære dieſe, damit nicht „ die Menſchen durch den Ruf der Wunder (dergleichen allenthalben, und für jede Religion ausgeſprenget vverden) in die Verſuchung, ſich nicht bloſs auf „ den Grund und die Natur der Dinge zu verlaſſen, „ fallen, und ſolchergeſtalt auf unendliche Arten des „ Aberglaubens gerathen mœchten. So vvird auch „ in dem Alten Teſtament von Gott geſaget, derſelbe „ laſſe geſchehen, daſs von falſchen Propheten Wunder verrichet vvürden, Deut. XIII. 1. 3. in der Abſicht, ſein Volck zu prüfen: und in dem Neuen „ Teſtament: Er laſſe ſolche Wunder zu, vvelche, „ vvenn es mœglich vvære, auch ſo gar die Auservvæhlten verführen kœnnten, Math. XXIV. 24.

Autor Epiſtolarum Gallicarum *ſur la Religion Eſſentielle à l'homme* Naturaliſtarum de Miraculis animum *Introduction à l'ouvrage* hisce deſcribit verbis: „ Ce qu'il-y-a de vrai, c'eſt que „ les Preuves ordinaires, priſes des temoignages exterieurs, des Faits miraculeux, ſont des armes uſées, „ qu'il leur eſt aiſé de repouſſer. Tout ce qui conſiſte en Faits, & en Faits très-éloignés de notre Siécle, ils le tiennent pour très-ſuſpect. Ce qui ſe „ paſſe même de nos jours, pour peu qu'il ſoit extraordinaire, ne trouve guères de créance. . . . On „ ſait à n'en pouvoir douter, que des Faits prétendus, atteſtés par des Gens digne de foi, dont ils „ ſe diſoient témoins oculaires, ont été reconnus „ pour faux, après avoir été mieux aprofondis par „ ceux-la même qui en avoient produit des Atteſtations. C'eſt que leur bonne foi avoit été ſurpriſe, „ par l'artifice de gens interéſſés à leur en impoſer. . . „ On éprouve que dans une grande Ville, tout un „ quartier ſera imbu d'un Evénement prétendu arrivé „ dans un autre quartier, où l'on n'en aura pas ſeulement entendu parler. De ſemblables expériences „ ont produit leur effet à un point, que bien de Gens „ ne ſavent plus s'ils en doivent croire leurs propres „ yeux:

„ yeux : & il n'eſt pas douteux, que s'il s'agiſſoit de
„ quelque Effet qui parût tenir du merveilleux, ils ne
„ s'en tiendroient pas à ce qu'ils voient. Quand on
„ ſuppoſeroit qu'il pourroit ſe faire de nos jours des
„ Miracles tout ſemblables à ceux dont l'Evangile
„ fait mention, il-y-a tout lieu de préſumer qu'ils
„ ne trouveroient guères de Créance. Un mort réſu-
„ ſcité, des malades guéris, qu'eſt-ce que cela prou-
„ ve ? Peut être eſt ce l'effet de quelque ſupercherie ?
„ ſi ce n'eſt pas cela, rien n'empêche que ce ne ſoit
„ l'effet de quelque cauſe naturelle. Ce mort pré-
„ tendu qui reſuſcite n'étoit point mort, ce n'etoit
„ qu'un Létargique, rien n'eſt moins extraordinaire
„ que de pareils exemples. Des Guériſons ſubites de
„ diverſes maladies, la nature ſeule peut les produi-
„ re ; elle à des revolutions, quelquefois des excep-
„ tions aux regles ordinaires, qui tiennent quelque
„ choſe du miraculeux. Or pour être aſſuré que tels
„ ou tels effets ſont de vrais Miracles, il faudroit pou-
„ voir demontrer, que ni la fraude, ni la nature ne
„ peuvent en être la cauſe. En général, on pourroit
„ diviſer le monde en deux claſſes oppoſées. Plus ce
„ qu'on nomme de vulgaire eſt facile à ſe laiſſer pren-
„ dre par le merveilleux, plus il donne tête baiſſée
„ dans ce qui en a la moindre apparence ; & plus les
„ gens qui s'en diſtinguent, qui ſavent penſer, pan-
„ chent-ils à prendre le contrepied. *Propterea Do-*
„ *ctiſſimus Autor argumentum à Miraculis deſum-*
„ *tum ommittendum eſſe cenſet :* Voici, *inquit*,
„ ce que je leur dirois. Vous trouvez que les faits
„ miraculeux ſur quoi l'on fonde l'Evangile, ne font
„ pas preuve par raport à vous. Vous remarquez
„ qu'il n'eſt point de fauſſe Religion qui ne ſe fonde
„ ſur des Miracles, & des Miracles en très-grand nom-
„ bre ; que toutes les Religions produiſent des Pro-
„ phetes, dont les prédictions ſe ſont verifiées ; que
„ toutes ſe vantent de leurs Martyrs. Vous vous at-
„ tendez que ſur cela je vai m'appliquer ſérieuſement
„ à comparer Miracles à Miracles, Prophetes à Pro-
„ phetes, Martyrs à Martyrs ; & vous ſavez d'avance,
„ tout ce que vous aurez à repliquer. Mais ne crai-

„ gnez rien: je sai qu'à le prendre de la sorte, nous „ pourrions en avoir jusqu'au siecle prochain. Et „ Tome I. Epist. VI. pag. 64. Si l'on dit que ces „ hommes inspirés ont prouvé la Divinité de leurs „ Ecrits par des Miracles, cet homme n'aura guéres „ moins de peine à s'assurer de la verité de ces Mi- „ racles; il ne s'en tiendra pas au temoignage qu'eux „ mêmes en rendent. Car s'il ne doit tenir leurs „ Ecrits pour Divins que par la preuve des Miracles, „ il faut qu'il soit assuré d'ailleurs que ces Miracles „ sont réels. In nota addit. Il faudra qu'il s'assure „ que les hommes, témoins de ces Miracles, étoient „ incapables de s'en laisser imposer, soit par trop de „ credulité, soit par trop de panchant pour le mer- „ veilleux, soit en prénant pour Miracles des éffets „ purement naturels. Il faudra qu'il examine en de- „ tail la nature de chacun de ces Miracles. Quelle „ étonnante discussion! Quelle longueur pour s'eclair- „ cir de la verité des Faits!

§. CCCXXXIV.

Miraculorum definitionem dedimus Cap. III. §. 395. *Quod sint ejusmodi effectus, qui neque ex essentia, neque ex vi Creaturarum aut Mundi, secundum statum antecedentem consequuntur.* Illorum possibilitatem vero demonstravimus l. c. §. 396. Omnis nunc quæstio huc redit; An ea, quæ in S. Litteris recensentur, non effectus tantum fuerint naturales, sed vera Miracula? Et deinde, an illa vim habeant probandi divinam Doctrinæ cœlestis Originem?

§. CCCXXXV.

Demonstrata Sacri Codicis divinitate independenter à Miraculis, tam diu credendum est, ea quæ ibi narrantur Miracula veri nominis talia fuisse, quamdiu demonstrari nequit, aut Miracula plane esse impossibilia, aut illa meros tantum fuisse effectus naturales.

Prius

§. CCCXXXVI.

Prius probare conatur ſupra citatus Philoſophus B. de SPINOZA, qui in Cap. VI. *Tract. Theol. Pol.* id agit ut oſtendat I. nihil contra naturam contingere, ſed ipſam æternum fixum & immutabilem ordinem ſervare, & ſimul quid per Miraculum intelligendum ſit. II. Nos in Miraculis nec eſſentiam nec exiſtentiam, & conſequenter nec Providentiam Dei poſſe cognoſcere; ſed hæc omnia longe melius percipi ex fixo & immutabili naturæ ordine. III. Ex aliquot Scripturæ exemplis oſtendere vult, ipſam Scripturam per Dei Decreta & Volitiones, & conſequenter Providentiam, nihil aliud intelligere, quam ipſum Naturæ ordinem, qui ex ejus æternis legibus neceſſario ſequitur. IV. Denique de modo Miracula Scripturæ interpretandi.

§. CCCXXXVII.

Nervus vero Argumentationis Spinozianæ, quæ Miraculorum impoſſibilitatem probare contendit, huc redit. Leges Naturæ eſſe ipſa Decreta divina, adeoque ex ipſa Naturæ divinæ neceſſitate & perfectione ſequi; ut ſi aliquid in rerum natura eveniret, quod Legibus hisce univerſalibus repugnaret, id ipſi divino Decreto atque Naturæ ejus repugnare, ut adeo, ſi quis ſtatueret, Deum Miracula committendo contra Naturæ Leges agere, ſimul teneretur ſtatuere; Deum contra ipſam ſuam Naturam agere. Potentiam porro Naturæ cum Dei Potentia eandem eſſe, ut ſi aliquid contra Leges ſive potentiam Naturæ eveniret, id contra ipſam Dei Potentiam contingeret.

§. CCCXXXVIII.

Ad hæc tenendum, totum hoc ratiocinium falso illo SPINOZÆ Principio niti, scilicet præter hoc Universum nullam aliam dari Substantiam, nullam extra Mundum hunc Potentiam, nullam Sapientiam, nullam Voluntatem dari. Omnia, quæ in Mundo eveniunt, fieri nexu absolute necessario & immutabili. Unde liquet, demonstrata nexus hujus Mundi contingentia & existentia Substantiæ à se extra hunc Mundum constitutæ & hujus Universi Autoris, totum hoc de Miraculis ratiocinium per se cadere, quapropter Lectorem ad Caput VI. ubi de Atheismo & Spinozismo egimus, amandamus.

§. CCCXXXIX.

Alia vero huic proxime accedit difficultas, quæ à SPINOZA movetur, & ab Autore etiam Epistolarum *de Religione Essentiali* adducitur, quæ hæc est. Rem longe difficillimam esse universam Naturæ vim ejusque effectus cognoscere, quotidiana enim patere experientia, multorum in Natura effectuum rationes nos latere, ut adeo judicium ferri nequeat, an aliquid per Naturæ vim possibile, an vero impossibile sit? Et multa hominibus rerum physicarum ignaris videri vires Naturæ superantia atque stupenda, quæ Scientiæ physicæ perito mirabilia nequaquam appareant. Unde fieri facillime potuerit, ut decepti olim à Mose fuerint rudes Judæi, ut decepti fuerint ipsimet ingenii simplicis Jesu Christi discipuli, ut deceptus fuerit circumstans superstitiosus & admodum credulus Populus. Neque etiam ignotum esse, quam facile vulgus à circumforaneo quolibet in admirationem rapiatur. Ad

§. CCCXL.

Ad hanc objectionem solvendam tenendum est. α. omnino inter merum Portentum, quod ignaræ Plebis admirationem excitat, & inter Miraculum verum & proprie sic dictum distinguendum esse, quod suo loco fecimus.

§. CCCXLI.

β. Concedimus in nonnullis distinctu difficillimum esse, num aliquid per ipsas Naturæ fieri potuerit Vires, an vero illas excedat? Neque à quoquam petimus, ut id pro Miraculo habeat, de quo dubium supereſt, utrum Naturæ vires ad effectum illum producendum suffecerint?

§. CCCXLII.

γ. Sed ut hominum incredulitati hac in re Deus succurreret, non uno tantum tempore, aut loco, non unius generis tantum Miracula, non ab unica tantum persona, non præsentibus pauciſſimis tantum hominibus, non talia solum patrari curavit, sive potius ipsemet patravit Miracula, quæ essent ambigua & de quibus constare non posset, num ex naturali proveniant effectu nec ne?

§. CCCXLIII.

Ingens nimirum inter ea quæ in S. Litteris recensentur Miracula, occurrit numerus, de quibus per circumstantias omnes liquet, causas omnes naturales abesse, & ubi evidentissimum est, eventus illos ad id operum divinorum genus pertinere, per quæ vocatur id, quod non est, ut fit, & ubi aliquid ex nihilo creatur, dum ex statu Mundi antecedente sequi minime potest. Si

ergo in uno aut altero facto dubium aliquod oriri posset, annon ex causis physicis id productum fuerit, vel an non fraus aliqua adsit, innumera alia adsunt, quæ ut ita explicentur impossibile plane est, neque id unquam ab ullo Adversariorum præstitum fuit.

§. CCCXLIV.

Huic nunc alia succedit quæstio. An scilicet tanta Miraculorum esse queat auctoritas, ut per ea Incredulus Sacræ Scripturæ divinitatis convinci possit? Sive an indubium Doctrinæ revelatæ illa addant Characterem?

§. CCCXLV.

Eum præcipue in finem edita fuisse Miracula, ut tum Doctorum cœlestium divina ostendatur missio, tum Doctrinam ab ipsis allatam divinæ esse Originis, non negamus. Eumque Miraculorum in hominum animis eo tempore fuisse effectum, ut de Revelationis veritate fuerint convicti dubium nullum est, si non omnem plane fidem historicam inficiari & illius autoritatem negare plane velimus. Nostris vero temporibus multas esse difficultates, quas Increduli contra hoc movent, multaque effugia, neminem latet. Ad ea, quæ maximi momenti nobis esse videntur, nunc respondebimus.

§. CCCXLVI.

Miraculorum autoritatem hoc præcipue nomine Adversarii rejiciunt, quod maxima eorum pars, quæ in S. Paginis recensentur, aut sint res mere naturales, aut tales effectus, qui ab hominibus etiam fraudulentis edi possint. Cujus

rei

rei Magorum in Ægypto exemplum extat, quorum prodigia à Moſe ita narrantur, ut ne quidem ulla fraudis ſuſpicio ex illius hiſtoria appareat, ſed *idem* illi homines *quod* Moſes feciſſe dicuntur. Imo in S. Litteris paſſim falſis etiam Prophetis potentiam edendi Miracula adſcribi. *Si quis*, inquit Moſes Deut. XIII. 1. 2. 3, *apud vos aut vates, aut ſomniator extiterit, qui vobis ſignum aliquod aut prodigium edat, idque ſignum aut prodigium vobis ab illo prædictum, evenerit; & tamen idem vos cohortetur ad Deos alienos vobisque ignotos ſequendos colendosque; nolitote illius aut vatis orationi, aut ſomniatoris obtemperare ſomnio; tentat enim vos Jova Deus veſter, ut diſcat, an ſe toto corde atque animo ametis.* Addunt verba Chriſti Math. VII. 22. Math. XXIV. 24. Pauli 2. Theſſ. II. 9, 10. 11.

§. CCCXLVII.

Primam hujus objectionis partem quod ſpectat, qua ad cauſſas mere naturales recurritur, *primo loco SPINOZA* citat loca Exod. IX. 10. de favilla à Moſe & Aharone in aërem ſparſa, quæ in pulverem per univerſam Ægyptum mutata, tam homines quam beſtias puſtulis exulceraverit. Exod. X. 14. 19. De vento locuſtas adportante & deportante. 2. Reg. IV. 34. 35. De Pueri per Prophetæ Eliſæ incubitum tepefactione & reſuſcitatione. Joh. IX. 6. 7. de cœci lotione in fonte Siloa. Ita Miraculum illud Joſuæ X. idem Philoſophus phænomenon naturale fuiſſe perhibet: ipſa illius verba adducam, quæ extant Tract. Theol. Pol. Cap. II. pag. 22. *Malo*, inquit, *igitur aperte dicere Joſuam diuturnioris illius lucis cauſſam veram ignoraviſſe, eumque omnemque turbam, quæ*

aderat simul putaviſſe Solem motu diurno circa terram moveri, & illo die aliquandiu ſtetiſſe, idque cauſſam diuturnioris illius lucis credidiſſe, nec ad id attendiſſe, quod ex nimia glacie, quæ tum temporis in regione aëris erat (vide Joſuæ X. 11.) refractio ſolito major oriri potuerit, vel aliud quid ſimile, quod jam non inquirimus. Sic etiam Eſajæ ſignum umbræ retrogradæ ad ipſius captum revelatum fuit, nempe per retrogradationem ſolis. Nam etiam putabat ſolem moveri, & terram quieſcere. Et de parheliis forte, nunquam nec per ſomnium cogitavit. Quod nobis ſine ullo ſcrupulo ſtatuere licet.

§. CCCXLVIII.

Niſi à Philoſopho atque Atheo tam celebri prolatæ eſſent hæ difficultates, eas reſponſione mea indignas judicarem. α. Fuliginem à Moſe ſparſam, in Regno integro, nullo homine excepto, absque Miraculo tantum potuiſſe edere effectum nemo dixerit, niſi qui ſimul ſtatuerit, per eandem cauſſam noſtris etiam temporibus, eundem produci poſſe effectum. Et ſi Miraculum hic abfuit, qui fit ut ne Magi quidem præ ulceribus, quibus non minus, quam omnes Ægyptii adficiebantur, ante Moſen poſſent conſiſtere.

§. CCCXLIX.

β. Non minus Miraculum fuit, quod præciſe eo, quo Moſes id juſſit, momento ventus ſtupendam locuſtarum quantitatem adduxit, & alius ventus, Moſe mandante, eas iterum fugavit. Miraculum enim propterea non tollitur, quod naturalis aliqua cauſſa acceſſit.

γ. Pueri

§. CCCL.

γ. Pueri per Elisæi incubitum vivificatio si mera caussa naturali fuisset facta, nostris etiam temporibus non minus ac Elisæi ætate mortui hoc modo vivificari possent.

§. CCCLI.

δ. Aquas fontis Siloæ tanta præditas fuisse virtute, ut cœcis ex nativitate visum donarent, haud facile quisquam crediderit, qui considerat, Miraculum hoc immediate Deo adscribi ejusque virtuti, versu 3. hujus Capitis, & Jesu Christi, versu 4. & oculorum aperturam non fonti Siloæ, sed signo hujus Miraculi externo adscribi, quo Christus usus fuit, dum lutum cœci oculis illevit versu 14.

§. CCCLII.

ε. Miraculum illud JOSUÆ Cap. X. descriptum refractioni tantum radiorum solarium per aërem glacie imprægnatum adscribendum esse neutiquam crediderit, qui ipsa Historiographi verba perpendit. Non nimirum dicitur, diem solito longiorem fuisse, sed situm Solis & Lunæ erga terram non mutatum fuisse, dum sol stetisse dicitur in medio cœli, & non maturasse occumbere spatio circiter unius integræ diei, qualis Dies neque antea neque postea fuerit, & idem quod de Sole de Luna etiam asseritur.

§. CCCLIII.

ς. Illud ESAJÆ signum, parhelii effectum fuisse credibile esset, si umbra unicum tantummodo Gradum fuisset retrograda, sed decem Gradus effectum naturalem excedunt. Insuper Mira-

Miraculum etiam hujus ſigni prædictio fuit, quis enim hominum momentum præciſe deſignare poterit, quo parhelium futurum, & quot Gradus umbra retrogreſſura ſit?

§. CCCLIV.

Sed meros etiam homines absque immediata Dei Potentia Miracula patrare, objiciunt Adverſarii, ut divinæ Miſſionis aut Doctrinæ infallibile argumentum & documentum præbere ea minime queant, & quidem primo in medium producunt Magos illos Ægyptios, Moſis Miracula ita imitantes, ut nulla plane interfuerit differentia.

§. CCCLV.

At infinitam inter ea, quæ Moſes patravit & quæ Magi fecerunt opera eſſe differentiam, ex iis quæ nunc dicemus facillime eluceſcit. α. Quod baculos ſuos in ſerpentes converterint, id per impoſturam fieri facile potuit, ut agyrtarum more dexteritate ſua atque celeritate unum alterius loco ſubſtituerent, ita ut ſubſtitutionem ſpectatores obſervare minime potuerint, quod noſtri etiam circulatores præſtare adhucdum poſſunt. In hoc vero patet Aharonis præ Magis hisce prærogativum, quod illius *Veritas Mendacium devoravit*, uti TERTULLIANUS loquitur de Anima Cap. LVII. vide Exod. VII. 12.

§. CCCLVI.

β. Aquarum mutationem quod ſpectat, infinita Moſis inter & Magorum factum eſt differentia; Moſes omnes in tota Ægypto aquas in ſanguinem mutavit tam in lacubus, ac in fluvio;

Magi

Magi vero in vase tantum aliquo aquam mutasse videntur, quod ope fraudis & admixtione materiæ rubrifacientis in Pharaonis aula fieri facillime potuit. Tam arctis vero hoc illorum opus circumscriptum fuisse limitibus, inde patet, quoniam tum temporis aqua omnis in fluviis ac stagnis in sanguinem fuit conversa & quidem in toto Regno.

§. CCCLVII.

γ. Et si Mosis Magorumque factum ejusdem fuit naturæ, & æqualis illorum potentia, qui fit ut Magi plagam hanc avertere nequirent. Cur Mosis & Aharonis auxilium ad malum hoc avertendum implorare Pharao cogebatur? quod omnino non feciset, si eadem præditi fuissent potentia.

§. CCCLVIII.

δ. Nec minus etiam in ranarum adductione impostura aliorum hominum ope uti potuerunt, qui quantitatem aliquam prius alicubi recondiderunt; eodem enim quo Moses modo si eas producere potuissent, eadem quoque potentia malum hoc iterum ab Ægypto avertere potuissent, ad quod faciendum impotentes plane erant.

Non possum quin hic apponam Responsionem Celeb. REINBECKII, quæ extat *Betrachtungen über die in der Augspurgischen Confession enthaltene Wahrheiten.* Betr. XLIII. §. XIX. pag. 136. seqq. ubi inter alia ita habet. *Es ist aber dagegen zu bemercken, dass die sogenannten Egyptischen Zæuberer in der That nicht dergleichen verrichtet haben, was Moses verrichtete. Dass es uns anders vorkommt, solches rühret haubtsæch-*

137 *fæchlich aus den Uebersetzungen der Worte Mosis*
[...] *her, und weil man die Umstände nicht genau er-*
weget; Es ist (aber) offenbar, dass die Worte:
Die Zæuberer thaten auch also mit ihrem Be-
schweren, *an keinem Orth den Verstand haben,*
als ob sie eben das, was Moses hervor gebracht hæt-
139 *ten, . . . Es kommt hier auf einen einzigen Buch-*
staben an, welcher in der hebræischen Sprache über-
haupt ein Verbindungs-Zeichen ist, (scil. Litt. ו
sive Vau); *aber dabey so mancherley Bedeutung*
hat, als sonst ein Wort mit dem andern, ein Satz
mit dem andern, und eine Rede mit der andern
kan verbunden werden. Da nun aber eine solche
Verbindung durch, und aber, auf dass, *oder*
damit, *geschehen kann, so leidet der hebræische*
Buchstaben, welcher im Grund-Text zu finden ist,
alle diese Bedeutungen, und muss hernach an einem
jeglichen Orth diejenige genommen werden, welche
sich zu dem Zusammenhange, und zu den Umstæn-
den schicket. Und also legen wir mehrgedachtem
hebræischen Buchstaben an diesem Orth die Bedeu-
tung, auf dass, *bey, und übersezten* Cap. VII.
v. 12. Ein jeglicher warff seinen Stab von
sich, auf dass Schlangen daraus würden. *Es*
140 *war also dieses ihr Wunsch, der aber seine Erfül-*
lung ganz und gar nicht erreichte. Es waren Stæ-
be, und blieben Stæbe. Deswegen es auch bald
darauf heisst: Aber Aarons Stab, (der würck-
lich zur Schlangen worden war) *verschlang*
nicht ihre Schlangen, sondern NB. *ihre Stæ-*
be. Und Cap. VIII. v. 7. *Uebersetzen wir eben-*
mæssig: Da thaten die Zæuberer auch also
mit ihrem Beschweren, auf dass sie Frœsche
über Egyptenland kommen liessen. *Aber auch*
hier

hier richteten sie nichts aus, welches, daß es Pharao sehr wohl bemercket habe, schon vorhin ist angemercket worden.

§. CCCLIX.

e. In sequenti vero reliquisque prodigiis nulla amplius fraus locum habere potuit, unde omnis etiam impostura cessavit, & longe inferiores illorum vires esse ipso facto demonstratum est.

Vera enim Miracula illos patrasse neutiquam credibile est, „ ab omni enim, inquit Celeb. LOCKIUS cita„ tante JOH. ALPH. TURRET. Vol. II. Dissert. XIV. „ veri specie abhorret, Deum velle prærogativam su„ am eousque deserere, ut patiatur sigilla divinæ suæ „ auctoritatis (Miracula scilicet) ab eo, quem ipse non „ miserit, usurpari, & suæ missioni adponi. Eventus „ illi supernaturales, sunt unicus modus, quem Deus „ sibi reservavit, saltem juxta ideas nostras, ut homi„ nes, quatenus sunt Entia ratione prædita, certiores „ reddat de Veritate eorum, quæ ipsis revelare digna„ tur; neque permittere unquam potest, ut sibi eri„ piatur, consiliisque Entis inferioris sibi adversi fa„ muletur. LOCKE posthum. Works. p. 227. 228.

§. CCCLX.

Recte vero intelligenda sunt verba quibus dicitur *eadem* Magos quæ Moses fecisse, non omnimodam enim verba hæc similitudinem indicare ex iis quæ modo diximus (§. 355. 356.) satis apparet; sed nonnisi imitatio aliqua indicatur, quæ externam quandam Miraculi speciem habuit.

§. CCCLXI.

Dicta Scripturæ quæ (§. 346.) adducuntur quod attinet, ea non indicant, quod Pseudoprophetæ vera Miracula patraturi sint, dum hoc divinæ

vinæ Potentiæ, Sanctitati & Bonitati contrarium esset, & Deum solum Miracula patrare posse demonstravimus (§. 397. 399. Cap. III.): unde hoc solum hisce indicatur verbis, Deum ad populi sui tentationem permittere, ut falsi Doctores res edant stupendas. Verba enim illa non vera Miracula, sed fictitia etiam significant; unde Miracula falsa vocantur, 2. Thess. II. 9. *Cujus scelerosi adventus erit cum omni falsorum prodigiorum portentorum miraculorumque genere, cumque omni scelerum fraude conjunctus.*

§. CCCLXII.

Facile vero à deceptione sibi cavere quilibet potest, dum Pseudo-Doctorum illorum adduntur criteria, dum talem afferunt Doctrinam, quæ cum Dei veri Gloria ac Sacri Codicis Veritate consistere minime potest.

§. CCCLXIII.

Afferunt porro Adversarii Miracula inter Ethnicos etiam patrata, quæ ab historicis profanis referuntur, ut de *Vespasiano*, qui teste TACITO Hist. Lib. IV. cæco visum restituerit, & ægrotum contactu sanaverit; ut & de *Hadriano*, quod duobus cæcis visum reddiderit. Inprimis de *Apollonio Tyanæo* famigeratissimo sub Domitiano Imperatore Philosopho; qui tot & tanta patraverit Miracula, ut Christi & Prophetarum inferiora non sint.

§. CCCLXIV.

α. In genere ad hæc observandum, quod multa sint insolita, quæ imperitum Vulgus in admirationem rapiunt, & à causis naturalibus proficisci poterant, quæque propterea, quod videban-

bantur rara, sequioribus temporibus ab imperita Plebe in Miraculorum numerum fuere relata.

§. CCCLXV.

β. Ea omnia quæ ab Autoribus profanis narrantur, aut sunt res pueriles, quæ fabulam redolent; aut per Fraudem & Impostruram explicari facile possunt; aut denique nulla narrationes istæ nituntur certitudinis specie.

§. CCCLXVI.

γ. Per meras ac incertas plerumque Historiographi eas habuere narrationes, ut & ipsis suspectæ fidei esse viderentur.

Illa, inquit TITUS LIVIUS Lib. I. init. poëticis magis decora Fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis, nec affirmare nec refellere, in animo est. Datur hæc venia antiquitati, ut, miscendo humana divinis, primordia Urbium Augustiora faciat. Sed hæc & his similia utcunque animadversa aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine. Et Q. CURTIUS Lib. IX. post narrata quædam prodigia ait: Equidem plura transcribo quam credo: Nam nec affirmare sustineo de quibus dubito, nec subducere quæ accepi.

§. CCCLXVII.

δ. Ex hisce patet, nonnisi vanos vulgi rumores omnia Ethnicorum Miracula fuisse, quæ nullus testis Fide dignus pro indubiis venditare ausus fuit.

§. CCCLXVIII.

ε. Miracula vero illa, quibus aut olim Judaica aut Christiana Religio confirmata fuit, nituntur testimonio hominum Fide dignissimorum, qui ea aut ipsimet viderunt, aut à talibus acceperunt,

qui teſtes fuere oculati & de quorum fide ne minima quidem ſuſpicio oriri potuit; quique ipſo ſuo ſanguine, variis ac diriſſimis ſuppliciis, rei quam ipſimet viderunt veritatem, & quovis mortis genere confirmarunt & obſignarunt. Tanta etiam Doctrinæ illius per hæc Miracula confirmatæ vis fuit ac efficacia, ut nulla vi humana, non armis, non fraude & impoſturis, non carnis blanditiis, magna orbis habitabilis pars ad Evangelium converſa fuerit.

Ex profanis Scriptoribus duo attulimus loca, ex quibus apparet quam incerta apud eos Miraculorum eorum fama fuerit. Ex Sacris Scriptoribus nunc etiam duo addam loca, ex quibus apparet, longe alium illorum eſſe ſtilum, & teſtimonium illorum ſummum Veritatis gradum attingere. Apoſtolus JOANNES inquit 1. Epiſt. Cap. I. ab init. *Quod fuit à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod & ſpectavimus, & noſtris ipſi manibus tetigimus, id, inquam, & vidimus & teſtamur, & vobis vitam nuntiamus æternam. . . Quod & vidimus & audivimus, id vobis adnuntiamus.* Et LUCAS Cap. I. Evang. ab initio. *Quandoquidem adgreſſi ſunt multi narrationem contexere compertarum apud nos rerum: quemadmodum nobis tradiderunt, qui initio & ſpectatores & adminiſtratores rei fuerunt: viſum eſt etiam mihi, qui omnia à capite diligenter conſectatus ſum, tibi ordine ſcribere, optime Theophile, ut quas auditione accepiſti, eas certo cognoſcas.*

§. CCCLXIX.

5. Quæ de *Veſpaſiano* TACITUS narrat Impoſturam redolent. Ipſa enim illius narratio indicat, nonniſi Ægyptiorum fraudem ac erga Impera-

peratorem adulationem fuisse, quæ ipsum permoverit, ut precibus Alexandrinorum satisfaceret; Ipsemet enim Imperator hac se virtute præditum esse negabat, neque virtutem hanc divinam sibi inesse sentiebat, unde dum ægroti illi adducebantur, Alexandrinos risit: Vespasianus *primo irridere*, inquit TACITUS, *aspernari, atque illis instantibus, famam Vanitatis metuere.* Ut vero Imperatorem moverent, Medicos consulebant, qui respondebant, morbos ope humana superabiles esse, & si salubris vis adhibeatur, posse integrari, quibus verbis omnis Miraculi dignitas plane tollitur. Addunt Alexandrini, patrati remedii gloriam penes Cæsarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Quibus subjungit TACITUS; *Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipse Vultu, erecta quæ adstabat multitudine, jussa exsequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cæco reluxit dies.* Meram hic subfuisse fraudem nemo ex iis quæ diximus non facile intelligit.

§. CCCLXX.

Hadriani Sanationem, quæ à SPARTIANO narratur, meram fuisse simulationem, Autor hic hisce indicat verbis: *Hæc Marius per simulationem facta commemorat.*

§. CCCLXXI.

Ea quæ de *Apollonio Tyaneo* à PHILOSTRATO referuntur Miracula, à Hierocle & Prophyrio Christianæ fidei opposita facile evanescunt, si ad sequentia adtendimus; α. Quod juxta Historiam Celebris hic Philosophus, pessimæ indolis homo fuerit, Reipublicæ perturbator, ad Idolo-

latriam alios seducens; unde liquet, illum ratione Vitæ & Doctrinæ suæ sanctissimo Domino nostro è diametro fuisse oppositum.

§. CCCLXXII.

β. Adeo absurda sunt, adeo ridicula, quæ ipsi adscribuntur Miracula plurima, ut non modo lectori præjudiciis non occupato fabulosa statim appareant, sed & semetipsa refellant.

§. CCCLXXIII.

γ. Nullo porro illorum narratio nititur fundamento fide digno, Scriptor enim Apollonii Vitæ PHILOSTRATUS centum post Philosophum hunc annis vixit; Juliæ Piæ Imperatricis jussu chartis, quæ de Philosopho hoc nobis constant, mandavit. Subsidium, quod hæc Septimii Severi uxor ad vitam Apollonii describendam PHILOSTRATO suppeditavit, fuere chartæ nonnullæ, quæ ipsi ab ignoto quodam fuere traditæ, quas à Damidæ quodam Apollonii discipulo provenire asserebat, ex quibus deinde PHILOSTRATUS historiam quam habemus compilavit, quam incerta ergo hæc omnia sint, quivis perspicere facile poterit, ut in meram tandem resolvantur traditionem & Fabulam.

De Miraculorum autoritate ad Doctrinæ revelatæ veritatem tuendam hic nobis prolixioribus esse non licet, omnia quæ hic dici possunt exhauserunt Viri longe celeberrimi ac acutissimi JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS. Vol. II. Dissert. IV. Dissert. VII. XIV. S. WERENFELSIUS Dissert. quæ extat in Operibus ejus quæ inscribitur, *Solutio quæstionis, num Miracula certa sint Veritatis signa.* NOLTENII quæ inscripta est; *Argumentum pro Veri-*

Veritate Religionis Christianæ ex Miraculis desumtum, ab iis autem qui eadem ope Satanæ patrari posse contendunt, haud parum labefactatum, nativo nunc robori restitutum.

§. CCCLXXIV.

Ad *eas* adhuc *Objectiones* mihi respondendum esset, quæ Adversarii contra Librorum Veteris Testamenti dignitatem inde desumunt, quod multa contineant, quæ cum Principiis Philosophicis consistere minime possint; adeo vero levis pretii illa mihi videntur, ut responsione nulla ad hæc opus sit.

§. CCCLXXV.

Ad *eas* nunc transimus *Difficultates*, quæ in specie contra Nov. Testamenti divinam autoritatem afferuntur. *Prima objectio* inde desumitur, quod talia in eo deprehendantur Dogmata, quæ Principiis Rationis minime conformia, neque Rationi consentanea, sed obscura plane sint; quæ propterea ad Religionem, quæ clarissima esse debeat, pertinere minime possint. Huc referunt in genere *omnia Mysteria* Rationi impervia; in specie *Dogma* illud *de tribus Personis in una Dei substantia.* Alterum huic adjungunt, nempe *quod Deus cum humana Natura ita junctus fuerit, ut ambæ hæ Naturæ unam tantum Personam constituerint.* Hujus quam contra Revelationis veritatem movent objectionis robur duplici nititur fundamento. *Primum* consistit in eo, quod in Religione nihil locum habere queat, quod Rationis principiis contrarium; *alterum* vero quod, cum Religio non tam eruditorum quam vulgi sit, in ea omnia scitu necessaria debeant esse clarissima.

Acutissimus TINDALIUS aperte quidem Mysteria negare videri non vult, ita tamen de Mysteriis loquitur, ut facile appareat eum illa ceu ad Religionem non pertinentia rejicere. Postquam enim Rationem ceu unicum Religionis principium ac normam constituerat, ea quæ ex illius principiis non fluunt ceu falsa respuit; de Mysteriis Cap. XII. pag. 350. seqq. ita loquitur.

B. Die Vernunft, aus vvelcher sie so viel Werks machen, „ kann zvvar bevveisen, daſs nicht mehrere Gœtter „ sind, als nur ein einziger: Allein eben dieſe Ver„ nunft kann uns nimmermehr ſagen, daſs ihrer meh„ rere, als einer sind, vvelcher Gott ist. Die Ver„ nunft lehret uns zvvar, daſs nicht drey Gœtter sind: „ allein eben dieſe Vernunft kann uns nimmermehr „ ſagen, obgleich in dem Begriff einer gœttlichen „ Perſon der Begriff von Gott mit enthalten ist, daſs „ eine jede Perſon für ſich ſelbſt Gott ist; und daſs da„ bey dennoch, vvenn man mehrere Perſonen ſezet, „ man deſsvvegen nicht mehrere Gœtter annihmt. „ Die Vernunft erkennet zvvar, daſs zvviſchen drey „ und einem ein Unterſcheid ist: allein eben dieſe „ Vernunft kann nimmermehr darauf kommen, daſs in „ dreyen Perſonen nicht mehr als in einem zu finden „ ist; indem alle drey zuſammen eben derſelbe Gott „ der Zahl nach ist, vvelcher eine jede für ſich ſelbſt „ ist. Die Vernunft ist nimmermehr im Stande, ei„ nen Zvviſchenſtand auszufinden (betvveen a Nume„ rical ad a Specifick Unity), zvviſchen einem der „ Zahl, und einem der Art nach: und dennoch vvie „ kœnnten vvir ohne denſelben ſagen, daſs Gott be„ ſtændig, und auch nicht ſelbſtændig vvære? u. ſ. vv. „ Eben ſo vvenig kan die Vernunft einen zvviſchen„ ſtand entdecken zvviſchen einem Unterſcheide in „ Worten und in Sachen: und dennoch, vvie kœnn„ ten vvir ohne denſelben die Sabelliſche Kæzerey auf „ der einen, und die Vielgœtterey auf der andern „ Seite vermeiden? Nichts ist, vvas die Vernunft uns „ deutlicher lehren kœnnte, als daſs Gott und Menſch „ zvvo verſchiedene verſtændige Perſonen sind: allein „ kann eben dieſe Vernunft uns vvol ſagen, daſs bey„ de

„ de eine verſtændige Perſon vverden kœnnen, da
„ inzvviſchen ſo gar ihre perſœnliche Naturen und
„ Eigenſchaften unendlich von einander entfernet und
„ unterſchieden bleiben? Hieraus erkennen ſie, vvie
„ die Vernunft dem Glauben ſich untervverffen müſſe.

A. Ich meines Orts, vveil ich dieſe Rechtglæubige
„ vviderſinniſche Dinge (Orthodox Paradoxes) nicht
„ verſtehe, kann für dieſesmal nichts vveiters darzu
„ ſagen, als daſs ich ſie nicht vervverffe. Allein ich
„ muſs dabey hinzu ſezen: Daſs ich ein vernünftiges
„ Geſchœpfe bin, und Gott von mir einen vernünff-
„ tigen Dienſt erfordert, ſo bin ich nicht ſchuldig, ja
„ ich kann auch nicht, einer Sache Glauben beymeſ-
„ ſen, vvelche die Probe der Vernunft nicht aushal-
„ ten kann.

§. CCCLXXVI.

α. Revelationem ſine Myſteriis contradictionem involvere Capitis antecedentis parte ultima demonſtravimus. β. Myſteria licet ſint ſupra Rationis principia, tamen non contra ea eſſe patet ex (§. 986. Cap. III.). γ. Ea vero clara eſſe, ut tantum de iis intelligi queat, quantum ad Salutem neceſſe eſt, neque majorem hac claritatem exigi poſſe, & adæquatam illorum cognitionem impoſſibilem eſſe, liquet ex iis, quæ de Myſteriis jam ad finem Capitis præcedentis diſcimus, ut adeo omnes Adverſariorum difficultates per ſe cadant. Si vero quædam remaneant dubia, ſolutio illorum Cap. XII. invenietur.

§. CCCLXXVII.

His *ſecundo* addunt, Jeſum Chriſtum quidem magnum Religionis Naturalis fuiſſe inſtauratorem, qui multa præcepta dederit pereximia, qui illorum obſervationem ipſo ſuo docuerit exemplo, quique ipſo Martyrio allatam Doctrinam con-

firmaverit; neque propterea cœlitus eum fuisse missum, sed propriis iisque humanis consiliis eum omnia egisse; multa quidem quæ de eo referuntur esse vera, alia vero discipulorum simplicitate addita, neque propterea Jesum illum Nazarenum alio censu habendum, ac alium quendam sectæ alicujus insignis conditorem, qui ab affectis suis magni habetur & ab hominibus superstitioni deditis adoratur.

§. CCCLXXVIII.

Ex hisce colligimus, juxta Adversariorum mentem Jesum Christum nonnisi (omnis à me absit Blasphemia,) impostorem fuisse, unde id nobis agendum, ut ostendamus fraudulenti ejusmodi hominis Characteres ipsi nullo modo competere.

§. CCCLXXIX.

In genere quidem hoc tenendum, demonstrata Revelationis, Medii Liberationis, necessitate & Veritate, sacrarumque Litterarum Autoritate, ut & quod Benignissimo Salvatori nostro Liberatoris Characteres ad unguem competant, omnes jam carnis murmurationes contra vilem ipsius Personam per se cadere; unde omnis quæstio tandem iterum in Erroris Naturalistarum primarii solutione & refutatione resolvitur; Si enim Adversarii de Medii Liberationis necessitate & veritate convicti non sint, omnis de Christi Persona disputatio frustranea erit, si vero necessitatis illius convicti, etiam in hoc dociles erunt.

§. CCCLXXX.

Impostoris Characteres ipsi tribui minime pos-

posse patet tam ex ipsius DOCTRINA, quam FACTIS & VITA, MORIBUSque.

§. CCCLXXXI.

Illius *Doctrinam* quod spectat, erat illa sublimis, ad pietatem tamen, quantaquanta est, composita. Ad sublimitatem quod spectat, Christus quidem non minus ac illius discipuli ex infima plebe natus erat, cui studiis vacare non licuit, unde nullis Disciplinarum præsidiis instructus, à Judæis nonnisi abjectus aliquis Faber lignarius habebatur, qui in Patris sui hominis rudis & illiterati domo educatus, eruditum ex hominibus Magistrum non habuit, à quo Doctrinam hanc accipere potuisset, imo nec habere potuit, dum & Gentilium Placitis, & Judæorum Opinionibus e diametro fuerit opposita.

§. CCCLXXXII.

Doctrina illius, inquam, ita est composita, ut α. longe excellentiora omnibus Philosophis qui hucusque extiterunt de Deo docuerit; ut quæcunque locutus est divinæ Sapientiæ reliquisque illius Attributis sint convenientissima, quod ipsimet nostri Adversarii fateri coguntur, Deum omnia spirant quæcunque loquutus est, nobilissimas supremi Numinis tradidit Ideas. Sed undenam quæsumus hæc hausit; a Sapientioribus ex Gentilibus ea habere non potuit, cum ipsimet hac in re cœcutiverint. Nec à Judæorum Magistris, omnia enim quæ de perfectissimi Spiritus spirituali cultu protulit, Judæorum principiis, vel potius opinionibus, plane fuere contraria.

§. CCCLXXXIII.

Ab aliis ergo Christus Dogmata sua habere non potuit: unde aut ipsemet illorum Autor censendus, aut à Deo ea habuisse necessum est. Ipse homo rudis & illitteratus fuit, si ad externas illius circumstantias adtendimus, & tamen Doctrinam protulit à Gentilium Judæorumque Sapientia plane diversam, pereximias de Deo notiones tradens, & ad hominum veram felicitatem & salutem tendentes, unde probabilius fit, Doctrinam hanc divinam potius, quam figmentum Sapientiæ humanæ & meram fraudem esse. Hæc vero si ita se habeant, hac in re impostoris character inveniri minime potest.

Si forte, inquit Acutiss. Theologus SAM. WERENFELSIUS Opp. Sect. II. Dissert. VIII. *De Triplici teste de Verbo Dei testante p.* 175.

„ Si forte adolescentulus ea dicit aut scribit, quæ cap-
„ tum ejus longe superant, statim suspicamur, eum,
„ quæ dicit, ab alio se doctiore accepisse: Quod si
„ fatetur, se id hausisse à Præceptore suo, cujus Ge-
„ nio ea quæ audivimus plane conveniunt, quin ve-
„ rum dicat non dubitamus; Non alia Scriptorum Sa-
„ crorum (Christi & Apostolorum suorum) ratio est.
„ Scribunt ea quæ sunt supra captum hominum; - - -
„ aut si hoc alicui dubium videtur, saltem scribunt
„ ea, quæ sunt supra captum talium hominum, quales
„ ipsi fuerunt, supra captum hominum rudium, opi-
„ ficum, Piscatorum: Scribunt ea de Deo & rebus
„ divinis, de summo hominis bono, de vita recte in-
„ stituenda, quæ tot homines docti & Sapientes, de-
„ nique totus fere Mundus non dubitant omnibus
„ aliis, quæ de hac materia à summis Ingeniis edita
„ sunt, longe anteponere. Quis non hic merito quæ-
„ rat, unde tanta venerit, tam abjectis in speciem
„ hominibus, Sapientia? Num igitur cum dicunt à
„ Deo

„ Deo se præclara hæc accepisse, nemo de eorum fi-
„ de dubitabit, qui & hæc, quæ dicunt Deo digniſ-
„ sima cernit, & alioquin videt, nullum his homini-
„ bus fuisse cum Doctis & Sapientibus commer-
„ cium.

§. CCCLXXXIV.

Sublimitas porro Doctrinæ ex illius Prophetiis apparet, quibus non nugacem aliquem & fraudulentum Impostorem sese exhibuit, sed omnia quæ locutus est ad minimas usque circumstantias fuere impleta; non dicam de rebus propriam mortem spectantibus, de Judæ proditione, de Petri abnegatione, de sua resurrectione; sed ea præcipue eminent vaticinia, quæ post multorum annorum cursum demum fuere impleta; non tantum prædixit Doctrinam suam à Judæis rejectum, à Gentibus vero acceptum iri; non modo ingentem falsorum Doctorum ac Prophetarum numerum post ipsius excessum oriturum prædixit, sed Hierosolymorum ac Templi vastationem Populique Judaici Miseriam ac Exilium tam graphice depinxit, ut eventus ei exactissime responderit.

§. CCCLXXXV.

Extant ea præcipue Math. XXIV. Marci XIII. Lucæ XIX. & XXI. Ubi tam signa antecedentia, quam modus & circumstantiæ & sequelæ, accuratissime descriptæ sunt. Inter signa antecedentia referuntur, quod multi extituri sint Pseudo-Christi & falsi doctores; quod oritura sint bella ac seditiones & Gentis contra Gentem commotiones; quod futuræ sint pestes cum fame & terræmotibus; magnas porro adversus Christianos persecutiones movendas prædixit, nihilominus

minus Evangelium passim in reliquo terrarum orbe prædicatum iri.

§. CCCLXXXVI.

Ipsius vero Excidii tempus Christus ita denotat ut ostendat, non statim hæc omnia eventura esse. Ita vero hujus eventus limites determinat, ut intra ætatis unius tempus hæc accidant; *Hoc vobis confirmo*, inquit Matth. XXIV. 34. *non prius hanc ætatem præterituram esse quam fiant hæc omnia: Cingendam tum temporis Exercitibus Hierosolymam* ostendit Lucæ XXI. 20. Urbem porro ita vastandam asserit, ut ne quidem lapis super lapides mansurus sit; *Venient tibi dies, quum te tui hostes vallo circumdabunt, & circumsidebunt, & prement undique, teque & tuos in te natos complanabunt, nec in te lapidem lapidi impositum relinquent*, Lucæ XIX. 43. Matth. XXIV. 2. Marc. XIII. 2. Ubi asseritur, idem etiam templi fatum futurum. Magnam porro futuram stragem prædicit, Judæosque per omnes gentes Exsules futuros, Hierosolymam interea à Gentibus calcandam, Lucæ XXI. 24. Tantam illo tempore calamitatem futuram dicit, quanta nec hactenus ab orbe condito fuit, nec futura est. Matth. XXIV. 21. Et omnia hæc iræ divinæ, adversus Judæos propter crimina flagrantis, indicia ac effectus esse indicat, Lucæ XXI. 22. 23. Lucæ XXIII. 30. 31. adde his Matth. XXIII. 37. 38.

§. CCCLXXXVII.

Insignis hujus eventus etiam sequelæ adduntur, quæ inprimis hæ sunt: Nempe Judæorum Exsilium & per Gentes universas dispersio, illorum rejectio Gentiumque Vocatio: *Auferendum*, inquit

inquit Salvator, *à vobis Dei Regnum & Genti dandum fructus edituræ.* Matth. XXIV. 43. & denique Evangelium per totum terrarum orbem prædicandum esse.

§. CCCLXXXVIII.

Quam exacte omnia, uti Christus ea prædixit, evenerint ne minima quidem circumstantia aut mutata aut omissa, opus non erit ut ostendamus, dum res omnibus, qui historias legerunt profanas Josephi & Taciti, sit notissima.

§. CCCLXXXIX.

Humana vero hæc prænosci potuisse sagacitate, aut hominem callidum divinando ea assequi valuisse, nulla probabilitatis specie asseritur; multa enim in his ita contingentia deprehenduntur, & à libera hominum Voluntate pendentia, quæ tamen verbis clarissimis prænuntiantur, ut omnis quantacunque hominum sagacitas & acutissimus etiam Intellectus hic insufficiens fuerit.

§. CCCXC.

Quis quæso prænoscere potuit omnium quammaximorum horum Eventuum tempus? Quis tot signa ac prodigia præcedentia? Quis tantum Pseudo-Doctorum numerum prævidere potuit? Quis conjectando assequi, tot in Judæa futuros tam brevi tempore tumultus ac Rebelliones, ut ad eas sedandas tanta Romanorum expeditione opus sit? Quis prævidere potuit tantam Judæorum futuram cladem, ut urbs plane vastaretur & Populus reliquus captivus duceretur, illorumque Respublica ac Cultus plane pessundaretur? Quis prænoscere ipsum etiam splendidissimum

mum Templi ædificium dirutum iri, quod Romani facere non consueverant, dum cuivis Populo liberum Religionis Exercitium permittebant. Unde Titus ipsemet, summus Romanorum Exercitus Imperator, Ædem hanc conservare studebat? Quis quæso prævidere potuisset, hanc à Christo allatam Doctrinam inter tam stupendas rerum revolutiones non opprimendam, sed longe lateque disseminandam & prædicandam esse? Quis omnia tam accurate prædicere, quæ stragem illam sequutura erant?

§. CCCXCI.

Unicum ergo Adversariis remanet subterfugium, nempe aut integros hos Libros Evangelicos post harum rerum implementum demum litteris fuisse consignatos; aut saltem tum temporis loca hæc demum fuisse inserta.

§. CCCXCII.

At *a*. probatissimi, qui extant, & antiquissimi Scriptores, tres saltem priores Evangelistas ante Excidium Hierosolymitanum sua litteris consignasse memorant. EUSEBIUS fidelissimus & diligentissimus Scriptor, qui omnia documenta, quantocunque potuit studio, consuluerat, dicit: Hist. Eccl. Lib. III. Cap. XXIV. Matthæum postquam Hebræis Evangelium annuntiasset & ad alias Gentes proficisci se accingeret, Evangelium exarasse, illud postea etiam Marci & Lucæ Evangelia secuta esse. IRENÆUS vero Vir fide dignissimus & Apostolicis proximus, *Adv. Hæres.* Lib. III. Cap. I. asserit: Eo tempore Matthæum Evangelium suum inter Hebræos edidisse, quo Petrus

trus & Paulus Romæ Eccleſiam fundarunt. *Chronicon Alexandrinum* Evangelii Matthæi ſcriptionem ad Annum à Nato Chriſto 46. collocat, ad 48. producit NICEPHORUS CALLISTUS *Hiſt. Eccl.* Lib. II. Cap. XLV. ſive ad annum 15. poſt Chriſti adſcenſionem. Cum quibus teſtimoniis conferendæ ſunt variæ Subſcriptiones variis MSS. adjectæ, quæ in editione MILLII inveniuntur.

§. CCCXCIII.

β. Acta Apoſtolorum autem ante Hieroſolymitanum Excidium exarata fuiſſe, non unum eſt quod ſuadet. Templum enim & cultum cærimonialem tunc temporis adhuc cum omni ſuo apparatu floruiſſe, non eſt cur dubitemus, multa enim in Libro illo huc collimant, ut Judæorum, Magnatum præcipue, animus ad Diſciplinam Chriſtianam à legis Moſaicæ obſervatione avocaretur, ipſisque perſuadeatur, cultui Levitico nullam amplius deberi reverentiam. Nullum vero à deſtructione Templi & Cultus Moſaici abrogatione deſumitur argumentum, quod tamen longe efficaciſſimum fuiſſet; ſed tempore Captivitatis Paulinæ exaratam fuiſſe hanc Hiſtoriam inde patet, quod cum omnia Pauli geſta exactiſſime narrentur, nulla tamen ejus e vinculis liberationis fiat mentio; ſed Hiſtoriographus in medio illius Hiſtoriæ deſinit. Lucas vero antequam Acta Apoſtolorum ſcripſit, jam Evangelium ſuum litteris conſignaverat, ad id enim ſtatim ab Actorum initio provocat, antiquius vero adhuc Matthæi Evangelium eſt, unde hæc omnia jam ante Urbis everſionem ſcripta fuerint oportet.

γ. Nec

§. CCCXCIV.

ζ. Nec omittendum, ipsa hæc Christi vaticinia ita comparata esse, ut ea neutiquam post Politiæ illius Sacræ abrogationem litteris consignata esse ex illorum modo quam clarissime appareat; in illis enim, stylo Prophetico, Mundi finis immediate cum veteris Mundi typici abrogatione conjungitur, ac si unum alterum statim exciperet, quod factum non fuisset, si post Urbis demum vastationem Vaticinia hæc ab hominibus impostoribus fuissent edita, hoc enim in casu stylum Prophetis maxime consuetum evitassent.

§. CCCXCV.

η. Nec obscurum etiam ex Epistolis Paulinis pro Evangeliorum justo tempore desumi potest argumentum. Maxima enim illarum pars jam ante priora Pauli Vincula exarata fuit, quod certissime ex accuratissimis Chronologis constat; Historiam vero Evangelicam ubique in scriptis suis præsupponit.

§. CCCXCVI.

θ. Qui fit, ut si Vaticinia hæc demum post Urbis Eversionem fuerint exarata, fraus hæc à sagacissimis ac infensissimis rei Christianæ Adversariis Celso, Porphyrio, Juliano aliisque nunquam ipsis fuerit objecta: Hi certe non siluissent, si vel ulla hac de re tum temporis suspicio aut indicium fuisset, quod certe non omisissent, nisi fides hæc universalis & indubia fuisset.

§. CCCXCVII.

ι. Nullam etiam probabilitatis speciem præ se fert, primos Christianos ipsosque Apostolos, tan-

tantam, ad maximum ſuum detrimentum, commiſiſſe faudem, & ad illius defenſionem quævis maxima perpeſſuros fuiſſe ſupplicia, niſi ipſimet de rei Veritate plane fuiſſent convicti.

§. CCCXCVIII.

Nonnulla vero loca, quæ hæc Vaticinia continent, poſterioribus demum temporibus Evangeliis fuiſſe inſerta, ab omni plane Veritatis ſpecie abhorret, ſiquidem α. Corruptio illa non unum aut alterum tantum reſpicit verſum, ſed integra Capita, reliquis ſermonibus connexa, & alias paſſim etiam intertexta; β. Fraus hæc committi minime potuiſſet eo tempore, quo jam magnus exemplarium fuit numerus, ut non à quoquam detecta fuiſſet, ab iis præcipue, qui aut Diſciplinæ Chriſtianæ plane erant infenſi, aut ab iis qui ancipites erant, utri parti ſeſe addicerent. γ. Sed nec univerſalis eſſe potuiſſet hæc corruptio, cum in plurium manibus Librorum horum momentoſiſſimorum exemplaria verſarentur; Unde licet in nonnullis exemplaribus hæc ſubreptio locum habuiſſet, reſpectu omnium tamen fieri minime potuit; Et licet exemplaria Manuſcripta in rebus parvi ponderis inter ſe differant, nullum tamen reperitur, in quo integra aliqua pericopa omiſſa eſt; Et ſilent hac de re omnes Scriptores vetuſtiſſimi; ſilent illius temporis Antiſcripturarii.

§. CCCXCIX.

Ex hisce nunc iterum concludere liceat: Jeſum Nazarenum nec in hoc Impoſtoris ſive Pſeudoprophetæ Characterem habere, dum omnia quæ dixit exactiſſime impleta ſunt.

§. CCCC.

Ad pietatem vero & *Gloriam Dei* tota illius Doctrina composita fuit, quod alterum est. Ab Impostoribus & Ethnicorum Legumlatoribus tantum in hoc, quantum cœlum à terra distat: dum non Reipublicæ solum commodum, non propriam Gloriam, non commoda solum temporalia, aut propriam Autoritatem quærit, neque Regnum terrestre ambivit; sed Dei, imo solius Dei Gloriam in omnibus suis dictis ac concionibus intendit, id unicum agit, ut homines vitam suam ad manifestationem Gloriæ divinæ, ad sincerum Dei proximique amorem componant.

Verba apponam Celeb. TURRETINI in Dissert. de Charactere Magistri §. X. „ In Christi Vita, ferven„tissima in Deum Pietas se prodit. Omnia siquidem „ ad Dei Gloriam refert. Huc tendunt omnia ejus fa„cta, omnes ejus Sermones. Ubique Deum loquitur, „ ubique Deum spirat; ubique de Dei Regno promo„vendo sollicitus est. Hoc est ejus Opus, imo Opus „ unicum, cui indesinenter vacat, si quos diligit, eos „ diligit præ cæteris omnibus, qui Voluntati Dei ex„sequendæ operam dabant, Math. XII. 50. Animum „ Deo plenum, Deo mancipatum, de Deo sollicitum, „ ubique prodit.

§. CCCCI.

Eadem porro *Factorum* illius ratio est. Non solum nimirum intensissimo erga Deum Amore imbutus erat, sed ferventissime etiam proximum suum amabat. Omne enim illius negotium huc tendebat, ut miseris succurreret, ut humano generi benefaceret; Non amicis solum id præstitit, sed inimicis etiam, pro quibus Deum ut ipsis condonaret oravit. Luc. XXIII. 34.

In

§. CCCCII.

In Adversis summam prodidit mansuetudinem, constantiam summam, humilitatem maximam; ita tamen ut Veritatem Judici suo, à quo sors ejus dependebat, libere profiteretur.

§. CCCCIII.

Nec vilis superbiæ & ambitionis manceps, nec avaritiæ deditus, nec Principum adulator erat; Ne minima enim ipsi in hac terra competebat possessio; Regem se à Populo salutari recusabat; contemptui & ludibrio sese exponit; Judæorum Magnatibus, Populi Principi, Legisperitis, Pilato ipsi vitia exprobrat.

§. CCCCIV.

Ad Judæorum criminationes vero de Legis Mosaicæ violatione ita respondit, ut ipsos ex Juris Naturalis principiis ita convelleret, ut convicti semper abirent. Neque unquam quidquam invenerunt, quod ipsi juste objicerent. Ut ne minimæ quidem, etiam hac in re, fraudis aut imposturæ reus factus sit.

§. CCCCV.

Hoc vero, cum probabilitatis aliqua specie, Adversarii nostri *objiciunt*, quod omnia hæc, quæ de Christo dicimus, ab ejus Discipulis litteris fuerint consignata, quorum testimonium hac in re suspectum sit.

§. CCCCVI.

Sed si hæc omnia nil nisi discipulorum figmentum sunt α. concipi nequit, qui fiat, ut Disciplinæ Christianæ hostes, tempori illi proximi, si-

silentio fraudem hanc præterierint. Omnia ea ætate, qua Historia Evangelica scripta fuit, in recenti omnium adhucdum erant memoria. β. Simplicitas porro narrationis tanta est, ut Scriptorum sinceritas ubique eluceat; Si per illorum astutiam ficta fuissent, quæ afferunt, majori ea narrassent ornatu, majori quoque prudentia. Narrant nonnulla de Christo, quæ, si fictionibus usi fuissent, sine ullo dubio omisissent; præcipue illius cum hominibus, tam viris quam fœminis, sceleratis commercium, aliaque plura. Tam ingenue proprios etiam nævos memorant; neque Petri abnegationem, nec Judæ proditionem, nec Apostolorum fugam silentio prætereunt, quæ omnia ad Veritatis Evangelicæ commendationem respectu infidelium ac incredulorum parum faciebant.

§. CCCCVII.

Contra ea, quæ de Christi dictis moribusque ab omni fraude remotis diximus, Adversarii nostri excipiunt, nonnisi simulatam fuisse ejus Pietatem, & studio illum divinam finxisse Revelationem, omniaque tam dicta quam facta ad divinam gloriam retulisse, ut per hoc major illius apud plebem fieret Autoritas, & ut eo facilius in partes suas trahere ignarum Populum posset.

§. CCCCVIII.

Sed omnes iterum talis Impostura Characteres absunt, quid enim hac ratione Salvator benignissimus lucratus esset, nisi ærumnas, supplicium, crucem? Omnia enim mundana commoda procul abfuerunt; Neque enim Regnum terrestre, uti Muhammedes stabilire volebat, neque

Magi-

Magistrum sive caput insignis alicujus Sectæ se dici amabat, neque ex unico illius vel dicto vel facto, ulla vanæ gloriolæ captatio aut cupiditas apparet.

§. CCCCIX.

Neque porro illius Doctrina ita erat comparata, ut hominum ingenio attemperata fuerit. Neque talis placitorum illius ratio, ut per ea hominum favorem expectare potuerit. Solent Impostores se suamque Doctrinam loci temporisque circumstantiis accommodare: hominum favorem, præcipue Magnatum, captant; hominum moribus ac temperamento indulgent; cedunt ubi nimiam resistentiam sentiunt; alte radicatis & præconceptis hominum opinionibus non è diametro sese opponunt; sed iis sese attemperant; mutant quædam & nova addunt, ita tamen ut antiqua retineant.

§. CCCCX.

Plane aliter Christus egit, talem nimirum protulit Doctrinam, quæ præjudiciis Judæorum è diametro erat opposita, totum illorum Cultum externum à Mose ipsius Dei jussu institutum abrogatum voluit. Cultum, quem maxima Judæorum pars ad mundi usque finem perduraturum existimabat, & in cujus observatione omnem suam Salutem quærebant; Cultum à reliquis Populis diversum, in quo Judæi tantopere gloriabantur; Cultum, inquam, rei Magnatum inter Judæos maxime inservientem, dum Populum ab ipsis dependentem faciebat; Hunc cultum, inquam, antiquatum voluit. Si Impostor fuit, qui sectæ studio tenebatur; qui multos quærebat assectas; quare non opinionibus Judæorum altissi-

me radicatis hac in re melius favit ? Quare id quod maxime amabant, in quo ſummam quærebant gloriam, plane remotum volebat ? Quare non potius Politiæ Judaicæ ac Cultus publici Reſtauratorem ſe dixit ? Noſcebat, quam Judæi de Meſſiæ Perſona atque negotio opinionem habebant ; Quare, cum ab iis Meſſias haberi volebat, ſi Impoſtor fuit, non illorum opinioni hac in re quantum potuit ſe accommodavit ? Quare in omnibus contrarium exhibuit ?

§. CCCCXI.

Qui fit ut, primatum vitia tam acriter reprehenderit, & per hoc in illorum odium incurrerit ? Quare hoc in media illa Republica fecit ? Cur non potius illorum auram captare ſtuduit ?

§. CCCCXII.

Sed nec Ethnicorum Sapientiæ illius Doctrina reſpondit, unde non ſolum Judæis offenſio, ſed Græcis ſtultitia fuit. Novam ergo Doctrinam attulit ; ſive ut melius loquar, quæ omnibus Populis nova plane viſa fuit, nihil aut ex Judæorum aut Gentilium placitis retinuit.

§. CCCCXIII.

Sed nec hominum vitiis, lubidini Carnis, Ambitioni, aut aliis ſceleribus homini quam maxime familiaribus indulſit ; quod tamen omnes illius & ſequentium temporum Impoſtores & Pſeudo-Doctores fecere. Sed contra ſeveriſſimas contra omnes Mundi illecebras tulit Leges ; Quidquid, inquit, ad peccandum pellicit, aut impellit, vitandum & abjiciendum eſt, etiamſi ſit oculo reliquisque membris carius, Matth. V. 29. 30.

Non

Non solum actiones, sed libidinosas etiam cogitationes prohibet, Matth. V. 28. Omnem vindictæ cupidinem à quovis Christianæ Civitatis consorte sepositam vult l. c. v. 23. Amorem universalem, inimicorum etiam, requirit : v. 44--48. Omnem in Cultu divino hypocrisin damnat Cap. VII. ab initio. Imo introitum in Regnum Cœlorum sive Ecclesiæ suæ communionem difficillimum facit. Omnibus nimirum Impostoribus, ne unico quidem excepto, & Pseudo-Prophetis sufficit, ut homines Sectæ & Doctrinæ suæ nomen dent; At Dominus Noster meram professionem inutilem plane asserit, neque contentus est mero Doctrinæ suæ assensu, sed exactissimam Legis divinæ observationem postulat. *Non*, inquit, *quisquis ad me dicet: Domine, Domine, intrabit in Cœleste regnum, sed qui fecerit, quod vult meus Pater, qui est in Cœlis.* Matth. VII. 12. Imo Perfectiones divinas, ceu perfectissimum Vitæ nostræ exemplar proponit. Matth. V. versu ult., & plenariam sui-metipsius abnegationem à discipulis suis postulat, Cap. XVI. 24. Nullum terrestre commodum Apostolis suis promittit; Verbera, Persecutiones, Mortem, Odium, Excommunicationem ex Ecclesia Judaica, ipsis Evangelium prædicantibus expectanda esse asserit. Matth. X. *Eritis omnibus invisi propter Nomen meum. Tempus erit, quum omnes Deum à se coli putabunt, qui vos interfecerint,* Joh. XVI. 2. Omnem ambitionem ab affectis suis procul abesse vult, *nisi mutati fueritis, & pueris similes redditi, non intrabitis in cœleste Regnum,* Matth. XVIII. 3.

§. CCCCXIV.

Omnia hæc ab Impostoris & Pseudo-Prophetæ Characteribus non solum longissime remota, sed è diametro oppositа sunt ; quod quivis præconceptis opinionibus non occupatus Lector facile agnoscet.

§. CCCCXV.

Testimonii sui veritatem cruciatibus gravissimis, inter ludibria probrosissima, usque ad mortem dirissimam confirmavit. Hinc Magistrum suum hac in re discipuli etiam imitati sunt.

§. CCCCXVI.

Inquiunt Adversarii : Omnes Religiones, à Veritate etiam maxime abhorrentes suis gloriari Martyribus, nirum propterea non esse, si & Apostoli cum suo Magistro ad tuendam Religionem suam Martyrium subierint.

§. CCCCXVII.

Ingens vero hic deprehendimus discrimen. Alii mortem subeunt, quia mendacium quod profitentur verum esse credunt ; Si vero Christus & Apostoli Impostores & Seductores extitissent, mortem pro eo perpessi fuissent, quod ipsimet falsissimum esse persuasi fuissent, id quod omni probabilitatis specie plane destitutum est.

§. CCCCXVIII.

Instant : Facile fieri potuisse, ut Apostoli ipsimet se à divino Spiritu instinctos crediderint, uti & hodie adhucdum reperiuntur Fanatici, qui inspirationis donum jactitant, & se eo gaudere persuasissimi sunt, qui proprie non sint Impostores dum & ipsimet fallantur. Sed

§. CCCCXIX.

Sed α. Incredibile plane est, tantum hominum numerum eodem tempore hoc morbo ita fuisse infectum, ut summus tamen inter ipsorum Doctrinam, quæ nova plane juxta hominum opinionem erat, semper fuerit consensus; & ut commune quoddam, Religionis nuper allatæ, ipsis Systema fuerit; & tale quidem, quod non obscuro & ænigmatico dicendi genere involutum est, sed ubi veritates omnes in clarissima luce sunt positæ; impossibile, inquam est, ut apud homines Fanaticos tanta reperiatur, in re plane nova, claritas, tantusque consensus.

§. CCCCXX.

β. Quis quæso persuadere sibi poterit, homines quammaxime rudes, cerebri non omnino sani & fanaticos, talem summa cum harmonia protulisse & ubique tam voce quam litteris inculcasse Doctrinam, quæ sapientissimas, imo longe sapientiores de Deo tradat notiones, quam omnium qui hactenus vixerunt Philosophorum: Qui porro cultum plane rationalem præscripserunt; Qui, contra communes hominum opiniones, Deum non cærimoniis externis, sed cultu plane spirituali prosequendum dixerunt; ut animus non minus quam corpus ad summi Numinis reverentiam componatur; Qui porro præscripserunt vivendi regulas, quas infensissimi etiam revelatæ Religionis hostes approbare coguntur, sive ad assensum quasi rapiuntur. Si homines hi Fanatici & insani animi fuissent, certe hujus rei vel in illorum vita vel scriptis aliquod deprehenderetur vestigium; sed percurrat quis omnia E-

vangelia, Epistolas omnes, nihil plane ibi invenitur, ex quo vel minima hujus rei probabilitas erui posset.

§. CCCCXXI.

γ. Minime etiam credibile est, maximam hominum partem ab hominibus stultis atque mente captis sibi imponi atque decipi se passam fuisse, in re, quæ opinionibus suis plane adversa, & in Doctrina, quæ nec sæculi hujus commodis nec carnis voluptatibus favebat, sed omnibus carnis illecebris plane contraria erat. Hoc ergo Adversarii nostri dicunt dum Apostolos Fanaticos asserunt, homines quosdam Fanaticos & mentis insanæ Doctores Doctrinam omnium longe sapientissimam, generali inter se consensu, in toto orbe successu plane inaudito, & maxima cum Sapientia disseminasse; & ita se gessisse, ut tamen nec in vita nec in scriptis insani aut fanatici quiddam, sed nil nisi Sapientia deprehendatur; quod quantum ab omni Veritatis specie abhorreat, ut ostendam necesse minime est.

§. CCCCXXII.

δ. Doctrina illa etiam hoc nomine præ omnibus aliis elucet, quod nulla extiterit, quæ illi comparari, propterea que homines in assensum rapere potuerit; quod contra nullam disciplinam armis ac suppliciis tormentisque crudelissimis tantopere sævitum fuerit; Nulla tantis criminationibus obnoxia fuit, altissimas tamen longe lateque in Universo radices egit; neque ad breve admodum tempus, sed per multorum sæculorum imo mox duorum milleniorum cursum semper propagata, omni tempore à varii generis hominibus

nibus recepta, non à credula plebe ſolum, ſed à Principibus etiam ac Magnatibus ; Non à ſtultis modo ac ſimplicibus, ſed à ſapientibus, acutiſſimisque etiam Philoſophis , ab eruditis æque ac Idiotis. An quæſo probabile eſt, placita nova ab inſanis ac fanaticis hominibus inventa ac diſſeminata tantam omni tempore fidem inveniſſe. Mox pereunt fanaticorum ſomnia : apud ignaros forſan applauſum inveniunt, Philoſophi ea rident ; ſed oportet ipſam Doctrinam Chriſtianam ita comparatam eſſe,ut ſapientiſſimis etiam ſeſe cõmendet & virtuti quammaxime deditis, quis eam merum Fanaticismum dixerit ? Non armorum vi , non ſubdolis artibus illa diffuſa ac propagata fuit ; nullo humano auxilio munita, neque ibi præcipue Apoſtoli Evangelium prædicarunt, ubi Populi rudes ac ignari nullis diſciplinis exculti erant ; ſed Hieroſolymis, in Græciæ urbibus, ubi Philoſophi exiſtebant acutiſſimi, Romæ denique omnium Scientiarum ſede ; Mundo Scientiis exculto novam illam Doctrinam annuntiarunt, *ne quis impoſturam ſimplicitati factam eſſe, poſſet ſuſpicari*, inquit *LUD. VIVES de Verit. Fid. Lib. II.* Non tenebras quæſiverunt primi Evangeliſtæ, ſed in lucem prodierunt, neque ab aliis poſtulabant, ut absque exploratione verbis ſuis fidem adhiberent, ſed dicta ſua examinari volebant. *Vaticinationes*, inquit, S. Paulus, *ne contemnite : omnia probate , bonum retinete.* 1. Theſſ. V. 19. 20. *Cariſſimi, ne cuivis ſpiritui credite , ſed ſpiritus explorate, an ex Deo ſint : nam multi falſi vates in mundum prodierunt.* 1. Joh. IV. 1. *Quin turpi occultatione repudiata , non nos callide gerimus, neque divinam Doctrinam fallaciter tractamus , ſed Veritatis declaratione*

nos

nos ipsos apud omnem hominum conscientiam in Dei conspectu commendamus. 2. Cor. 4, 2.

§. CCCCXXIII.

Hactenus Christi Doctrinam atque Vitam ab impostura vindicavimus, nunc ad *Miracula* ut transeamus necesse est, ut ostendamus, ea non fraudulenta ac præstigias, non fictitia, sed vera esse.

§. CCCCXXIV.

Miracula illa in sequentibus constiterunt: Scilicet *ægroti sanabantur, cæci videbant, claudi ambulabant, leprosi purgabantur, surdi audiebant, & mortui resurgebant.* Matth. XI. 5. His addi debent, ut alia transeam, quæ in illius morte contigerunt, dum Sol tempore plenilunii obscuratus, Terra modo inaudito concussa, Templi velum scissum & mortui excitati sunt; mortem ejus secuta est Resurrectio, in cœlum adscensus, Spiritus effusio cum linguarum variarum dono.

§. CCCCXXV.

Ad ejusmodi opera ceu ad certissima divinæ missionis criteria Christus sæpissime provocat. *Hæc*, inquit, *quæ ego facio opera de me testantur, me à Patre esse missum.* Joh. V. 36. *Si mihi minus creditis, at factis credite.* Joh. X. 38. *Ipse Pater qui in me manet facit opera. Credite mihi, & me in Patre, & Patrem in me esse, aut certe de ipsis factis mihi credite.* Joh. XIV. adde Matth. XI. 5.

§. CCCCXXVI.

Divinam hanc Miraculorum autoritatem ut eludant Adversarii duplex habent effugium; Aut, inquiunt, ex meris caussis naturalibus & artibus huma-

humanis hæc omnia præstita fuisse, aut fidem historicam inficiantur.

§. CCCCXXVII.

Prior difficultas magni momenti non est. Si unum aut alterum tantum patratum fuisset Miraculum, idque in objectis parum notis, atque præsentibus pauciſſimis testibus, qui facile decipi potuissent; Si Miracula illa unius tantum generis fuissent; Si aliquot vicibus tantum reiterata essent, objectio hæc speciem aliquam haberet. Sed α. tanta Christi inter Judæos fuit fama, ut si non omnes & singuli eum cognoverint, quoad nomen saltem omnibus notus fuerit; ut non obscurus aliquis Propheta fuerit in Deserto commorans, inter homines plebejos solum; fama, inquam, ejus tanta fuit, ut omnium attentionem, excitaverit. β. Eos, qui inter Judæos acutissimi erant, habuit Adversarios, Pharisæos & Sadducæos, homines litteratos ac Legis Doctores, hi ubique homines habebant subornatos, qui ad dicta ac facta ejus attentissimi erant. Anne credibile, nullam unquam fraudem ipsos detegere potuisse, si mera impostura fuisset? γ. Christus non in locis obscuris atque à hominum colluvie remotis patravit Miracula, sed in urbibus, in maxima omnis conditionis hominum frequentia. δ. Non una vice id præstitit, sed per tres integros annos sæpissime ea repetiit. ε. Opera hæc ita erant comparata, ut per causas naturales fieri minime potuerint; Morbos longo tempore inveteratos sanavit, non unius sed varii generis; idque præstitit in Personis, quæ multis annis omnium conspectui erant expositæ, ut illarum status nemini non notus esset. Mortuos resuscitavit,

non

non tales, de quibus dubium esse potest num revera mortui fuerint, sed tales, qui jam à pluribus diebus mortui & qui in conceptu omnium mortui erant; Anne credibile, illum tot vicibus, tot casibus & tamdiu, tanto hominum numero fucum facere potuisse? Ea vero Miracula, quæ ipso moriente & deinceps contigerunt, omni exceptione majora sunt. Anne per fraudem Sol obscuratus? An per impostaram velum discindi potuit? An dubitari potest, Christum revera non fuisse mortuum & ex mortuis resuscitatum? An hic fraus, an impostura locum habere potuit? An per causas naturales accidere potuit, ut rudes Apostoli unico momento omnes, quæ tum temporis in usu erant, linguas addiscere potuerint?

§. CCCCXXVIII.

De Veritate ergo Miraculorum, sive testimonii de Miraculis, agitur, & quidem. α. An testes ipsimet decepti fuerint? Sive an β. alios decipere voluerint? Prius quod spectat, impossibile est, ut Apostoli decipi potuerint, nam. א. Non admodum faciles ac creduli erant; *Nisi*, inquit Thomas, *& in ejus manibus clavorum impressionem videro, & meum digitum clavorum vestigio, & manum lateri ejus admovero, non credam.* Joh. XX. 25. neque ב. cœca fide amplectebantur, quæ temporibus remotis erant gesta, & quæ ab aliis acceperant, sed omnium ipsimet testes oculati erant, *quod vidimus*, inquit Johannes, *oculis nostris, quod & spectavimus, & nostris ipsi manibus tractavimus, id testamur.* 1. Epist. I. 1. Omnia facta erant suo tempore & inter gentem ac ætatem illam, quæ adhucdum in vita erat, ut non ab illorum testimonio,

sed

sed à generali hominum tunc temporis in Judæa viventium notitia rei certitudo dependeat. ב. Hinc Apostoli loquuntur, si res gestas referunt, non ut de re occulta, sed ut de operibus, quæ omnibus in recenti adhuc erant memoria, & quæ accidisse nemo tunc temporis in Judæa vivens dubitandi locum habebat. Facta adeo clara erant, ut illorum Veritas vel falsitas à nemine, nedum ab Apostolis, ignorari potuerit. ג. Facta hæc ita comparata erant, ut diversissima non unico momento, non semel, non unico in loco gesta fuerint; Adeo manifesta, ut decipi minime potuerint. Unicum adducam exemplum: Christus in cruce mortuus, deinceps sepultus, à mortuis post triduum resuscitatus, Discipulis suis apparuit: An vero falli potuerunt eundem esse illum Jesum, qui se nunc ipsis palpandum & conspiciendum præbet, eundem, inquam, cum quo per triennium commercium habuerunt familiarissimum.

§. CCCCXXIX.

Id ergo Adversariis nostris statuendum: Apostolos fuisse deceptores, homines frivolos, qui quidem sciverint, omnia illa Miracula nil nisi præstigias ac figmenta esse, qui vero in hoc gloriam quæsiverint, ut aliis imponerent & ut novæ illius Disciplinæ instauratores, Viri singulari autoritate ac Sapientia præditi haberentur.

§. CCCCXXX.

Sed א. si decipere voluerunt Apostoli, si gloriam propriam quæsiverunt, quare non cautius in excogitandis ac conscribendis hisce operibus versati sunt? Quare proprios nævos tam ingenue

nue referunt? Quare nec propriam tarditatem, nec continuas altercationes, nec Petri abnegationem, nec nefandum Judæ, qui ex ipsorum numero fuit, crimen, nec omnium Apostolorum desertionem reticent? Quanta simplicitas, quantus candor in illorum Scriptis ubique observatur? Si merum figmentum narrant, quare non ex composito scripserunt? quod ipsos non fecisse ex Evangeliorum & Epistolarum collatione satis apparet.

§. CCCCXXXI.

β. Neque ab unico scripti sunt Novi Fœderis Libri, sed à pluribus, qui sibi non contradicunt, ita tamen scribunt, ut facile appareat, ipsos non ex compacto egisse. Qui vero fieri potest, si res hæc merum figmentum fuit, ut mire in omnibus inter se consentiant?

§. CCCCXXXII.

γ. Facta, quæ Apostoli memorant, non in terris longinquis, non tempore remoto, non inter homines ignotos gesta fuere; sed eo in loco, ubi Apostoli ea narrant ac scribunt; ea ætate, qua omnia litteris fuerant consignata; inter eos homines, inter quos Apostoli prædicant & scribunt, quique num res vera an falsa sit optime scire poterant. Facta hæc proponunt non ceu ignota, sed generalem illorum cognitionem quasi supponunt, & quæ summam rei faciunt Judæorum Principibus, inimicissimis Adversariis suis, in os dicunt. Non ita agere solent Impostores ac fabularum inventores, sed figmenta sua tegere solent, ne fraus detegatur.

δ. Si

§. CCCCXXXIII.

§. Si ea quæ narrabant oppido falsa fuere, qui fit ut propter impudentissimam atque audacissimam fraudem non reprehensi fuerint? Quare Disciplinæ Christianæ inimici juratissimi putidissimas hasce fabulas non in commodum suum verterunt, atque monstrarunt, omnia ab Apostolis prolata merum figmentum esse, certitudinem operum illorum nullo niti fundamento? Nulla re citius Christiana Religio in ipso ortu suo extingui potuisset, quam si eo ipso tempore historiæ, qua nititur, falsitas demonstrata fuisset. Nihil fuisset quo hominum animi ab hac doctrina avocari potuissent, quam si à Judæorum Magistris ac Magnatibus fabula hæc ac impostura detecta fuisset, si Apostolos fraudis convicissent. Tanta fuit Magistratus Judæorum erga Paulum reliquosque Apostolos acerbitas, ut nullam prætermiserint occasionem eos vituperandi, omniaque arripuerint, quæ in Apostolorum ac Disciplinæ Christianæ detrimentum cedere videbantur. At de Miraculorum ac Resurrectionis Jesu Christi Veritate altum ubique est silentium, cum tamen sola hujus fictionis demonstratio ad totam Christianam Religionem subvertendam sufficisset. Quare non Magistratus Judaicus & alii Christianorum hostes tam voce quam scriptis fraudem in aperta luce collocant, aliosque hac ratione ne decipiantur præmuniunt?

Dignissima sunt, quæ hic probe perpendantur, Verba Theologi acutissimi JOH. ALPH. TURRETTINI Diss. de Miraculis §. XXXIV. quæ ita habent; „ Sic se gerunt Apostoli, ut pateat eos nihil simile meruere, „ deque veritate suæ narrationis plene ac perfecte se- „ curos

„ curos esse. Etenim, aperte agunt; nihil dissimulant; „ circumstantias omnes recensent; notant loca; no„ tant tempora singulorum eventuum; notant nomina „ Personarum; notant Sacerdotes, Magistratus, pri„ vatos homines, eos omnes denique, quorum ali„ quæ his in factis partes fuerant; provocant ad testes „ illo tempore superstites; & Paulus quidem quin„ gentos Resurrectionis Dominicæ testes adpellat: „ Coram omnibus, Judæis, Gentilibus, Philosophis, „ Regibus, Magnatibus, Facta illa audacter promul„ gant; Ea memorant, inculcant, repellunt, nulla „ non occasione, nullis non in locis. Non metuunt, „ non sunt solliciti, ne sibi non credatur; Res maxime „ miras ac stupendas ita nude ac secure tradunt, quasi „ ea nemo in controversiam vocare possit. Nullum „ artificium, nulla cautio, nullæ latebræ, nullæ offu„ ciæ, in iis omnibus deprehenduntur. Sic dicunt, „ sic agunt Apostoli. Quis vero capiat, Impostores „ ea sese ratione gerere? Quis capiat, homines ru„ dissimos, artifices imperitissimos, fraudem omnem „ ita celare, externam Speciem Virorum proborum ita „ mentiri, ut ne minimum quidem deceptionis indi„ cium adpareat? Ἁπλᾶς τῆς ἀληθείας λόγος; *Sim„ plex est Veritatis sermo.* Ubi vero major simplici„ tas, major ingenuitas, apertiora sinceritatis ac veri„ tatis indicia, quam in modo quo facta illa ab Apo„ stolis commemorantur.

§. CCCCXXXIV.

Nulla inquam Religio, nulla Secta plures Christiana Disciplina habuit Adversarios; nulla potentiores, nulla doctiores; si figmenta atque fabulæ in Apostolorum Scriptis fuissent contentæ, dubium nullum est quin eas detexissent; si hi rei Christianæ acerrimi hostes solidi quidquam atque certi contra narrationes Apostolicas scivissent, certe non siluissent. Qui fit ut in omnibus Judæorum scriptis Discipulorum Christi fraudes nullibi detegantur & probentur; Quod altum silentium

tium ac meræ quas proferunt criminationes rei Veritatem maximopere ſtabilit.

§. CCCCXXXV.

ε. Sed quodnam tandem Apoſtolorum ex fictionibus hisce emolumentum fuiſſet? An voluptates carnis inde perceperunt? An gloriam apud homines illius temporis inde reportarunt? An honor mundanus ipſis ex hoc redundavit, quod putidiſſimam invenirent Fabulam, eamque longe lateque diſſeminarent? Aut an alia vitæ hujus commoda fuerunt, quæ ipſos ut hoc facerent permovere potuerunt? At nil niſi pericula, miſeriæ, labores, flagella, captivitates, vincula, ſupplicia, cruces eos manebant. *Si hujus vitæ duntaxat in Chriſto ſpem habemus, ſumus omnium hominum miſerrimi*, inquit Paulus, 1. Cor. XV. 19.

Reliqua huc pertinentia infra Cap. XI. de Judæis agentes ſolvemus; quæ eo differimus, ne hic nimis prolixi ſimus.

§. CCCCXXXVI.

Si dicant, loca illa, in quibus Miracula continentur, poſteris demum temporibus Libris Apoſtolicis fuiſſe inſerta, neque aliud præter Chriſti Diſciplinam Apoſtolos ipſos tradidiſſe. Idem quod ſupra de Prophetiis ad eandem objectionem dedimus reſponſum & hic valet; Non enim unum ſolum vel alterum inſertio hæc reſpiceret locum, ſed tota periret hiſtoria, omnis librorum illorum contextus; cum ab initio ad finem usque nonniſi Miracula in Scriptis Evangelicis reperiantur, ut omnia tollantur, ſi Miracula demantur. Si etiam tam inſignis ac univerſalis Librorum illorum corruptio contigiſſet, id fieri non potuiſſet, quin,

si non ab infensissimis Evangelii hostibus detectum fuisset, saltem illis qui adhucdum in fide Christiana ancipites erant cognitum esset, quod ipsis totam Doctrinam non modo suspectam, sed exosam plane reddidisset. Neque hi meliora edocti tacuissent, sed fraus tanta mox publica fuisset facta. Insuper etiam hoc animadvertendum, quod talis corruptio nec statim postquam libros hosce exararunt Apostoli, nec longo post tempore fieri potuerit. Non prius, nam vixerunt adhuc Apostoli; non posterius, dum propter exemplarium frequentiam apud multos fraus hæc fidem non inveniisset; & si in exemplaribus quibusdam hæc inserta fuissent, in aliis vero omissa essent, adhucdum hodie inter Codices, qui extant, MSS talis reperiretur differentia. Hoc vero cum non sit, haudquaquam credibile est, omnia illa exemplaria, quibus corruptio hæc contigit, ad unum perdita fuisse.

§. CCCCXXXVII.

Ex vagis vero hominum rumoribus historiam Evangelicam confectam fuisse, non modo omni plane probabilitate caret, sed plane absurdum est; Neque enim in Fabulis omnia adsunt certitudinis criteria, uti hic, dum notantur omnes temporis, loci, personarumque circumstantiæ, omnia quæ narrantur inter se consentiunt, non unus modo, sed multi Scriptores, de quorum fide ut dubitemus causa nulla adest, idem dicunt, summus inter eos ubique deprehenditur consensus; quod in figmentis ac fabulis Romanensibus contingere minime potest.

§. CCCCXXXVIII.

Sed qui fieri potuit, quæsumus, ut tot hominum

num myriades tam cito ac tam facile & quidem constantissime figmento fidem adhiberent, quod nonnisi vago aliquo rumore nitebatur? Et quidem, ex Adversariorum nostrorum mente, tali assentiebantur fabulæ, cui superstructa erat talis Doctrina, quæ nec hominum præjudiciis consentanea erat, nec Sapientiæ Judæorum aut Græcorum Philosophorum favebat, cupiditatibus vero carnis è diametro adversa. Unde nonnisi Veritatis certitudine hominibus sese commendare poterat.

Nemo certe etiam nostris temporibus fidem apud homines inveniret, qui scriberet, ante sæculum Romæ vel in alia Europæ urbe hominem extitisse, qui ingentem Miraculorum numerum patraverit, qui à tribunali vel Ecclesiastico vel Politico tam Hæreseos quam criminis Perduellionis accusatus fuerit, Judicum nominibus, loco, tempore, aliisque circumstantiis quamplurimis notatis, illum ultimo fuisse affectum supplicio, in divi Petri templo miraculosum aliquod factum contigisse, eodem quo homo ille moriebatur tempore, aliaque plura non modo prodigia, sed Miracula in cœlo ac terra in ultimo mortis illius Articulo contigisse, post tres vero dies eundem hominem quidem sepultum ac custoditum resurrexisse, multisque apparuisse, varios ipsi fuisse Discipulos ac assecias, quorum omnium indicantur nomina & variæ vitæ illorum circumstantiæ, qui Doctrinam ab hoc homine allatam, renitentibus licet Papa ejusque Clero, aliisque multis tam Politicis quam Sacerdotibus, longe lateque disseminaverint, aliaque plura; quis inquam hujusmodi figmento adhiberet fidem? Unde præsumendum, illis etiam temporibus, quibus disciplinæ Christianæ fundamenta posita fuere, non magis ac nostris ejusmodi fabulæ calculum suum addituros fuisse; eam præcipue ob rationem, quod Doctrina superstructa carni maximopere ingrata erat. Optime propterea hac de re loquitur Mr. DENYSE dans son traité de la Verité de la Religion Chrêtienne demonstrée pag. 18. „ Nous

„ connoissons, dit il, encore assez les hommes, & „ nous savons suffisamment, comment ils sont faits, „ pour être certain, que quand quelqu'un s'aviseroit „ de metre au jour un livre ou il debiteroit de pareils „ mensonges, qui sont contraire a la connoissance uni- „ verselle de tout le monde, personne ne le croiroit; „ que toute la doctrine, qu'il batiroit sur de tels fon- „ demens, tomberoit d'elle même, & que son libre „ seroit le rebut de tout le monde. Et hoc denique notandum, quod infensissimi illi primorum Sæculorum Doctrinæ Christianæ hostes Miraculorum Evangelicorum veritatem non negent, sed ad illorum vim eludendam alia effugia quærant, unde Judæi dicunt, illum magicas artes in Ægypto didicisse; ut alia ejusmodi nullius ponderis subterfugia, quæ ex iis quæ antea diximus corruunt, taceamus.

§. CCCCXXXIX.

Adhuc Viri acutissimi SAMUELIS WERENFELSII observatio hic tenenda in Dissert. de Veritate Miraculorum Sacræ Scripturæ, quæ hæc est: Miracula quidem in se, abstracte à reliquis considerata, non admodum videri verosimilia; si vero cum factis reliquis, quæ indubitatæ Veritatis sunt, connectantur, tantum abesse ut verisimilitudine careant, ut contra ab omni verisimilitudine prorsus abhorreat ea falsa esse.

Opusc. T. I. p. 82

„ Tolle Miracula, *inquit judiciosissimus JOH.* „ *ALPH. TURRETINUS in Dissert. de Miracu-* „ *lis §. penult.* An concipi potest, viles piscatores, „ quales erant Apostoli, tale consilium, qualis fuit „ Gentilium omnium à receptis Sacris abductio, & „ ad Christianam fidem conversio, animo finxisse at- „ que suscepisse? Fac Miracula meram fraudem esse: „ An concipi potest fraudem illam, à tot Adversariis, „ adeo potentibus, adeo perspicacibus, demonstratam „ modo irrefragabili atque eversam non esse? Aufer „ Miracula: An concipi potest, universum terrarum „ or-

ib. p. 204 (62)

„ orbem, absque armis, absque opibus, absque ullis „ humanis auxiliis, ad Christianam fidem adductum „ esse?

§. CCCCXL.

Omnis tandem quæstio huc redit: num Jesus Christus se Dei Filium esse atque Legatum per Resurrectionem ex mortuis revera demonstraverit? Circa hanc veritatem non omnes idem sentiunt ex Adversariis nostris, dum nonnulli totam de Resurrectione Jesu Christi Historiam nonnisi fabulam ac fraudem esse perhibeant, omnibus certitudinis characteribus plane destitutam; Alii vero dum pondus argumentorum ad rei hujus veritatem demonstrandam allatorum sentirent, aliam iniverunt viam & Historiæ veritatem quidem concesserunt, at Resurrectioni omnem Veri Miraculi vim atque speciem denegant, putantes nullibi probatum esse, nec etiam probari posse, vivificationem ex mortuis omnes creaturarum vires excedere.

Hac de re videri potest unus ex novissimis Naturalistis, THOMAS CHUBB'S qui Anno 1743 Londini edidit Librum sub hoc titulo: *CHUBB'S Remarcks on Brittanicus's Lettres containing an argument drawn from the single Fact of Christ's Resurrection, to prove the divinity of his mission.* Qui tractatus præmissus est ejus *Four Tracts.* Id vero agit, ut Resurrectioni Christi ex mortuis omnem probandi vim adimat, dum inter alia asserit; Rem quidem communiter receptam esse, nunquam vero probatam, quod Resurrectio, sive resuscitatio ex mortuis, tale opus sit, quod vires omnium Entium creatorum excedat; licet supponatur vivificationem mortui humanas vires superare, inde tamen minime sequi, illam ejusmodi Factum esse, quod omnes vires omnium Entium creatorum, cujuscumque

generis sint, excedat. Asseri forsan posse, inquit, spiritum fallacem quendam sufficientem habere potentiam, ad quendam ex mortuis resuscitandum, eum in finem, ut Doctrinam falsam hoc opere confirmare posset; neque, addit, Entium Spiritualium Virtutem ita nobis compertam esse, ut judicare tuto queamus, quid per illorum vires possibile vel impossibile sit. De Woolstonii hypothesi infra Cap. XI. agemus, ne hic nimis prolixi fiamus.

§. CCCCXLI.

Prius quod spectat, nempe Historiæ hujus Veritatem, illa à celeberrimo illo Mathematico Anglo, Viro de Doctrina Christiana optime merito HUMFREDO DITTON, ex talibus principiis demonstrata fuit, ut Adversarii hactenus non invenerint, quod contra illius argumenta proferrent.

Vide, *die Wahrheit der Christlichen Religion aus der Auferstehung Jesu Christi, auf eine demonstrativische Art in drey Theilen erwiesen, durch Humfredum Ditton.* Huic libro auro contra caro addi meretur, *Philosophischer Beweiss von der Wahrheit der Christlichen Religion, darinnen die Nothwendigkeit einer geoffenbareten Religion insgemein, und die Wahrheit und Gewissheit der Christlichen insbesondere, aus ungezweiffelten Gründen der Vernunfft, nach mathematischer Lehrart dargethan und behauptet wird von* Martin Kuntzen.

§. CCCCXLII.

Cum libri, quos modo citavimus, sint notissimi omniumque terantur manibus, nonnisi summaria argumentorum hic adducam, quibus Viri hi celeberrimi ad momentosissimam hancce Veritatem demonstrandam utuntur. Ingens nimirum

rum α. Testium hujus veritatis erat numerus, qui quoad plurimam partem, eo, quo litteris Historia hæc consignabatur, tempore in vita adhuc superstites erant; ut adeo fraus nulla subesse possit. Sed β. testes hi auriti & oculati erant, omnium factorum, quæ in Libris Evangelicis relata legimus. γ. Severissime etiam & constantissime per ipsum summi Numinis Venerandum Nomen, quæ hac de re proferunt, attestantur. Et quidem δ. in ipsa illa Urbe, tempore rem gestam immediate insequente, coram hominibus, quibus optimi Salvatoris Persona non ignota fuit, id faciunt; Non in terra longinqua, non temporibus remotis, non hominibus omnis illius Historiæ ignaris testimonium illud ab initio perhibent. ε. Non in angulis & conciliabulis illius urbis, sed publice coram quibusvis, non modo ex plebe, sed Principibus ac Magnatibus, talibus verbis rem testantur, ac si de ipsius facti veritate ne minimum quidem dubium apud omnes in tota illa urbe esse posset, & tanta hilaritate ac confidentia, ut Senatus non haberet quod regereret. *Tum Petrus Sancto Spiritu repletus, ad illos sic verba fecit: Magistratus populi, & Israëlitarum Senatores, si nos hodie de collato in hominem infirmum beneficio interroganur, quanam re is sanatus est: Hoc vobis & cuncto Israëlitarum Populo notum esto, hunc per nomen Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus excitavit ex mortuis, per hoc, inquam, hunc adstare in vestro conspectu sanum. Is est lapis ille à vobis ædificantibus rejectus, qui adhibitus est ad Caput anguli.* Act. IV. 8-12. & Cap. V. 30-32. *Deus majorum nostrorum Jesum suscitavit, quem vos in patibulo suspensum interfeciſtis. Hunc Deus Ductorem Ser-*

vatoremque sua dextra extulit, ad conciliandum Israëlitis vitæ correctionem, peccatorumque veniam. Et nos sumus ei testes harum rerum.

§. CCCCXLIII.

ς. His accedit, quod ne quidem infensissimi Doctrinæ hujus hostes, in primis etiam Christianismi temporibus, quidquam invenerint, quod contra horum testium sinceritatem ac pietatem proferrent. ζ. Licet testes hi, propter singularem suam virtutem, omni honore atque æstimatione digni erant, nihil tamen in omnibus illorum externis circumstantiis occurrit, quod ipsos in hominum animis acceptos facere atque illis favorem conciliare posset; dum omnibus externis prærogativis, splendore, potentia, plane destituti essent, & nihil haberent, quo hominum animos vincerent, quam solam veritatis fortitudinem. η. Neque quidquam excogitari potest, quod ipsos ad falsum hoc testimonium disseminandum permovere potuisset, ipsosque ut Religioni Patrum valedicerent commovere; Nullum temporale aderat emolumentum, sed ignominia, sed verba & vincula, sed miserrima vitæ conditio, sed denique crux & alia supplicíorum genera eos manebant. θ. Qui scit, quam alte radicata sint Religionis præjudicia apud homines præprimis simplices ac plebejos, is etiam nullam dubitandi causam habet, Apostolos Veritatis quam prædicabant fuisse convictissimos. ι. Religio insuper tam Judaica, in qua nati & educati erant, quam Christiana, quam amplectebantur, ita comparata est, ut eos ab ejusmodi figmentis atque fabulis avocaverit & retinuerit.

ια. Ex

§. CCCCXLIV.

ιά. Ex omnibus insuper circumstantiis omnibusque illorum Scriptis clarissime apparet, illos nec Atheos nec homines maleferiatos fuisse. Hoc enim in casu Doctrinam suam magis ad hominum genium accommodassent, tamque severa præcepta cupiditatibusque carnis contraria non dedissent: Sed aliorum impostorum fraude usi fuissent, ιβ'. Impossibile etiam est, Apostolos homines mente captos ac Fanaticos fuisse, quod suo loco ostendimus. ιγ'. Ex quibus omnibus sole meridiano clarius est, Apostolorum de Resurrectione Jesu Christi testimonium omnia certitudinis moralis habere criteria. ιδ'. Et tam perfectum est, ut omnis certitudo moralis neganda sit, si quis illi calculum addere nolit. ιε'. Omnes hujus testimonii circumstantiæ ita comparatæ sunt, ut si figmentum fuisset, fraus illa non potuisset non detegi. ιϛ'. Ex omnibus etiam liquet, ipsos Religionis Christianæ infensissimos hostes inter Judæos Veritatis hujus Miraculi fuisse convictissimos. ιζ'. Clandestina corporis illius ex sepulchro ablatio plane impossibilis erat, omnia enim Magistratus Judaicus Præfectusque Romanus fecere, quæ ad furtum ejusmodi impediendum necessaria & sufficientissima erant. ιη'. Omnia ea Apostolis deerant, quibus fraudem hanc ad effectum perducere potuissent. ιθ'. In absurdissimas illi prolabuntur consequentias, qui Apostolos hac in re aut impostura aut fanaticismi accusant. Neque, si testimonii hujus Veritas negetur, Disciplinæ Christianæ disseminatio celerrima per omnes orbis habitabilis partes explicari potest. Contra ea, adversus Naturalistarum hypothesin,

sin, allatam ob caussam, multo plures, multo graviores, imo insolubiles plane, difficultates moveri queunt, quam ipsi contra nostram afferre possunt; facilis enim, si Veritas testimonii Apostolorum admittatur, habetur clavis ad omnia Disciplinæ Christianæ arcana interpretanda, illa vero si negetur, ad infinitas fictiones semper de novo recurrendum est. Meræ ubique in Deistarum sive Naturalistarum fictionibus occurunt tenebræ, meræ conjecturæ; Et dum ipsimet credulitatem nostram rident, magis adhuc credulos sese monstrant, dum fictionibus meris fidem habere tenentur.

§. CCCCXLV.

Excipiunt Adversarii α. rem plane incredibilem imo etiam impossibilem esse, ut mortuus vitam recuperet. Nullius vero esse momenti hanc difficultatem, inde patet, quod ex principiis Philosophicis Miraculorum possibilitatem Cap. III. §. 396. demonstravimus; Et in genere etiam falsissimus hic syllogismus deprehenditur: *Omnia, quæ mens humana concipere nequit, sunt vel falsa vel plane impossibilia: Atqui Naturalista concipere nequit, quomodo homo ex mortuis resuscitari queat; E. Resuscitatio impossibilis est.*

ATHENAGORAS possibilitatem Resurrectionis ex possibilitate generationis rerum demonstrat, dicens: Καὶ μὴν καὶ τὴν δύναμιν, ὡς ἔστιν ἀρκοῦσα πρὸς τὴν τῶν σωμάτων ἀνάστασιν, δείκνυσιν ἡ τούτων αὐτῶν γένεσις: quam absurda vero sit hæc adversariorum argumentatio, ostendit de la MOTTE Lib. IV. sub fin. Fab. XVII.

Tel

Tel Esprit fort, soi disant infaillible
Nie avec même orgueil, tout ce, qui le surprend,
Je ne le concois point, donc il est impossible,
Vrai Syllogisme d'ignorant.

Quod ita à Poëta Germano vertitur :

So machts manch Schwindel-Geist. Er neñt sich unbetrüglich,
Verneint mit frechem Stoltz, was er bewundern muß,
Das Ding begreiff ich nicht: Es ist unmöglich.
Gewiß ein rechter Narren-Schluß.
Brockes Ird. Vergnügen, 1. Theil, Bl. 583.

§. CCCCXLVI.

Hanc vero difficultatem non minimi ponderis esse arbitrantur, quod Jesus Christus post suam ex mortuis resurrectionem nemini ex inimicis suis apparuerit, cum tamen inimicorum testimonium ac convictio plus ad alios persuadendos valuisset, quam omnium Apostolorum testimonium. Putant propterea nostri Adversarii, ad homines posterioribus temporibus convincendos, omni modo utile ac necessarium fuisse, ut Christus summis Sacerdotibus reliquisque ex Judaicis Senatoribus, nec non Præfecto Romano Pontio Pilato, ut & omnibus Hierosolymorum incolis, & omnibus infensissimis suis hostibus sese videndum exhibuisset, si Mundus de hujus rei veritate convinci debuisset. Postulant necessarium fuisse, ut optimus Salvator tam in templo quam in plateis publice doceret, uti id ante mortem suam sæpissime fecerat, quo factum ut omnium oculis Veritas exposita esset, neque ullum in hominum animis remaneret dubium. Ini-

§. CCCCXLVII.

Iniquum omnino hoc Petitum est, cujusque effectus Adversariorum opinioni minime respondisset: Nam α. hostes Disciplinæ Christianæ per Christi resuscitati apparitionem vel conversi fuissent, vel non conversi: Si prius, nec hoc in casu illorum testimonium in incredulorum nostrorum animis plus valeret, quam Apostolorum; nam Paulo infensissimo suo inimico apparuit, qui propterea semper & ubique veritatem professus est, attamen illius testimonium apud Naturalistas nostri temporis non plus valet, quam Matthæi aut Johannis; Quam primum enim se Doctrinæ Evangelicæ convictum aliquis dicit, illius verba incredulis jam suspecta videntur. Si vero apud plurimos posterius evenisset, ut conversi non essent, mille iterum invenissent fictiones ac effugia, & nonnisi præstigias ac phantasma à Cacodæmone productum dicerent.

§. CCCCXLVIII.

β. Et si testis aliquis fide dignissimus asseveraret, Christum omnibus hisce apparuisse, ipsi non magis fidem adhiberent ac Paulo Apostolo testanti, Christum è mortuis suscitatum apparuisse plusquam quingentis una vice, qui eo, quo hæc scribebat, tempore adhuc plurimam partem in vita superstites erant. 1. Cor. XV. 6. 7. Hinc fieret ut, si Christus omnibus Hierosolymæ incolis apparuisset, plus adhuc Increduli poscerent, ut scilicet Tiberio etiam Romano Imperatori, ut Senatui Romano, ut toti etiam Populo Romano apparuerit; Sed nec hoc ipsis sufficeret, licet factum esset, vellent ut ad hanc usque diem Chri-

Christus in terra mansisset atque universo Mundo sese monstraret ; Nec etiam continua hæc Christi ad Mundi finem usque apparitio incredulis sufficeret, neutiquam enim fidem adhiberent, hunc qui nostris temporibus Jesum se profiteretur, eundem illum esse, qui à Judæis ad supplicium tractus fuit ; Nova Miracula poscerent, & si fierent, eundem apud scepticos ac Incredulos habitura essent effectum, quem olim apud incredulos Judæos habebant, qui per Cæcodæmonem atque præstigias sive magicas artes ea fieri dicebant. Et ita Scepticismus Theologicus ac Incredulitas res miserrima est, ubi omnia externa media insufficientia sunt.

§. CCCCXLIX.

δ. Plusquam duodecim & quingenti testes, ut in re momentosissima requirantur, iniquum est; Qui his fide dignissimis, & contra quos ne infensissimi quidem hostes quidquam habuerunt quod proferant, qui his, inquam, assensum denegat, is etiam nec pluribus eum præbebit.

§. CCCCL.

ε. Et si factum fuisset, ut Christus hostibus suis apparuisset, ipsique huic Veritati testimonium perhibuissent, eadem scriptorum illorum apud incredulos æstimatio foret, quæ Evangeliorum est; dicerent nimirum Sceptici nostri, Libros illos esse supposititios, nil nisi antiquissimorum Christianorum figmentum, qui fraude hac usi essent, ut eo majorem apud posteros fidem invenirent. Aut si ex. gr. in Libro aliquo à Pontifice Cajapha, aut à Pontio Pilato scripto, qui illius temporis historiam contineret, hinc inde Christi ejusque post mor-

mortem inter vivos apparitionis mentio fieret, loca illa ſpuria Increduli dicerent, à Chriſtianis pia fraude inſerta; Hujus rei exemplum habemus in decantatiſſimo illo JOSEPHI Hiſtoriographi dicto, quod extat *Antiquit. Jud.* Lib. XVIII. cap. 4. & apud EUSEBIUM *Demonſtr. Evang.* Lib. III. quod pro genuino agnoſcere nolunt Adverſarii. Unde concludere licet, idem fatum etiam ſummi Pontificis aut Romani Præfecti teſtimonio futurum fuiſſe, ſi tale ad noſtra usque tempora perveniſſet; magis adhuc ac Apoſtolorum ipſis ſuſpectum videretur.

§. CCCCLI.

ε. Si per Chriſti poſt mortem apparitionem infenſiſſimus illius hoſtis Senatus Judaicus converſus eſſet, hunc res hæc effectum habitura fuiſſet, ut abrogata veteri diſciplina populo mandaſſet, ut Chriſti Doctrinam amplecteretur; ſed quid tum Adverſarii dicerent? Vi Religionem Chriſtianam, ut Muhammedana, introductam eſſe, & metu Populi, cujus magna pars Chriſtum magnum Prophetam agnovit, ad id commotos fuiſſe Judæorum Principes; Rationem ergo ſtatus (*die Staats-Klugheit*) id poſtulaſſe, ut Populi opinioni Magiſtratus hac in re ſeſe accommodaret; & quæ alia hic à Naturaliſtis fingi poſſent.

§. CCCCLII.

ζ. Quæſtio omnis huc tandem redit: An divinæ Sapientiæ magis conveniſſet, ut Chriſtus omnibus & ſingulis Hieroſolymorum Incolis ſeſe redivivum exhibuiſſet, an vero ſi paucioribus tantum apparuerit? At α. eadem difficultas de Religione Naturali formari poteſt: Quare ſcilicet

cet Deus non ita clare sese hominibus cognoscendum præbeat, ut ne minimum quidem dubium in ullo Articulo supersit, qua ratione fieret, ut Scepticismus Philosophicus omnis plane tolleretur. Uti vero Naturalistæ ipsimet fateri tenentur, sapientissimas Deo posse esse rationes, cur per lumen Naturæ non majori claritate conspiciendum sese dederit, ita facile concipere poterunt summa cum Dei Sapientia consistere posse, quod nec per Revelationem omnes Veritates in tanta luce posuerit, ut homines non possint non credere, sed velint nolint inviti quasi ad assensum rapiantur & Scepticismo Theologico nullus amplius possit supersesse locus.

§. CCCCLIII.

β. At hac ratione Fidei non amplius sua constaret dignitas; Nullum amplius inter Fideles & Incredulos maneret discrimen, sed inviti quasi omnes homines absque ullo examine ac veritatis disquisitione Religionis Articulis assentiri tenerentur; Neque ullo amplius ad veritatem indagandam hominum studio opus foret; Et hominum ignaviæ hoc modo optime consultum esset.

§. CCCCLIV.

γ. Veritatum tam Naturalium quam Revelatarum tanta est certitudo, tam firmis illa ac indubiis nititur principiis ac fundamentis, ut quivis Scepticismo non plane imbutus, sed Veritatis amore ductus, ubique inveniat, ubi pedem figere possit. Si vero tales reperiantur homines, qui de omnibus etiam clarissimis ac certissimis rebus dubitant, qui nec propriis sensibus fidere audent, sed quibus omnia suspecta sunt, iis convincendis nec

etiam Miracula maxima ac præsentissima sufficerent, sed in ipsa illorum mente Miraculum fiat oportet, sine hoc rei etiam certissimæ fidem nunquam habebunt; Unde liquet nonnullorum incredulitatem non incertitudini vel obscuritati Revelationis, sed mentis corruptioni plenariæ adscribendam esse.

§. CCCCLV.

ד. Omnibus sapientissima divina Providentia prospexit in Historia Evangelica, quæ ullum in hominum animis dubium relinquere potuissent. Omnia ab ea remota sunt, quæ suspectæ fidei videri potuissent; imo ipsimet Christi inimici sibi prospexerunt ne fallerentur. Mt 27,63f.

§. CCCCLVI.

ה. Deus salva sua Sapientia erga Judæos plura facere non potuisset; Nam א. Christus plus quam tres integros annos inter ipsos versatus, publice in templo, in plateis & ubique Doctrinam suam inculcabat; Cuivis eum audire licitum fuit; Illius Doctrinam Judæorum Doctores explorare potuissent, num ex Deo sit nec ne? Si optimus Salvator clam id feciſſet, ipsisque hac ratione omnem Doctrinam suam audiendi & explorandi occasionem ademisset, excusabiles dici possent. ב. Tot & tam stupenda in omnibus Israëlitarum Urbibus patravit opera, ut si illius Doctrinæ fidem habere noluissent, Miraculis tamen credere debuissent. ג. Futuram Resurrectionem suam Judæis prædixit, idque non clam sed publice; unde etiam nota fuit prædictio illa ipsi Senatui Judaico, quæ caussa fuit cur sepulchrum custodiri curarunt; ipsorum ergo fuit omni stu-

dio

dio indagare, num res ſeſe revera ita habitura ſit, dum præmoniti erant. ϒ. Imo poſt Reſurrectionem factam, ipſis de momentoſiſſima hac Veritate ſtatim à militibus nuntius ferebatur; ſed cordis obduratio ac timor cum pudore ita eos occupavit, ut ne quidem ſcire voluerint Veritatem illam, licet omnis rei hujus certitudinem cognoſcendi ipſis occaſio præberetur. Si ergo Veritatis deſiderium ipſos tenuiſſet, & ſi Chriſtum quæſiviſſent, non irritus futurus fuiſſet illorum conatus. Ut vero Chriſtus oſtiatim eos viſitaret illisque ſeſe monſtraret, prorſus indigni erant.

§. CCCCLVII.

Ultimum adhuc Naturaliſtarum *ſubterfugium* ſupereſt, nempe quod Reſurrectio Chriſti ex mortuis non ſit immediatum Dei opus, ſed quod per vires nobis incognitas Entium quorundam ſpiritualium hominibus fortiorum id fieri potuerit, quod ſupra citati Angli THOMÆ CHUBB'S imprimis inventum eſt.

§. CCCCLVIII.

α. Ad hoc obſervamus quod modo monuimus, quod ſcilicet Adverſarii noſtri ab una fictione ad alteram delabi neceſſe habeant: dum argumenta pro Reſurrectionis Jeſu Chriſti Veritate allata nimis fortia ipſis viſa ſunt, quam ut eam porro negare auſint, huc deveniunt, ut negent mortui vivificationem ad ea opera pertinere, quæ vires creaturarum excedunt.

§. CCCCLIX.

β. Bene de Religione noſtra agitur, ſi Adverſariis ad talia abſurda refugiendum eſt, ut evi-

dentiam demonstrationis Religionis Revelatæ effugiant. Assumunt hic aliquid, quod experientiæ universali plane contrarium est ; aut vero, si Christus nonnisi homo fuit, propriis viribus resurrexit, aut aliorum hominum potentia id factum fuit, aut ab Ente quodam creato hominibus fortiori. Prius impossibile esse per omnium hominum experientiam concludere licet , nemo enim illorum hactenus mortem sive animæ à corpore separationem avertere potuit ; nemo morbum corporisque corruptionem cohibere ; nedum animam jamjam separatam iterum cum corpore unire & corpus corruptum integritati restituere potuit. Tot centena millionum millia hominum jam mortui , & nullum tamen hujus rei extat exemplum.

§. CCCCLX.

Unde aliorum hominum viribus id fieri possit oportet. Sed aut Apostoli soli hanc sciverunt artem , aut alii etiam id præstare possunt. Si Apostoli soli hanc artem possederunt , aliqua hujus privilegii ratio indicanda est , & oportet Viri hi singulare quid præ cæteris hominibus fuerint. Si & alii homines hac potestate prædi ti fuerunt , concipi nequit, cur nunquam hujus artis suæ argumenta & documenta dederint , nisi Prophetas in medium proferas, qui non propria, sed Dei potentia id præstiterunt.

§. CCCCLXI.

Si à potentia aliqua humana superiore id præstitum fuit , id factum est aut à spiritibus finitis bonis, aut à Cacodæmone quodam. Prius esse nequit, Christus enim dixit , se propria & Patris sui

sui Cælestis Potentia resurrecturum, quod idem deinceps Apostoli etiam testati sunt; Si igitur Bonorum Spirituum viribus Christus à mortuis suscitatus est, ejusmodi Spiritus sciens volensque mendax effatum confirmasset, sive Prophetam (absit Blasphemia dicto) mendacem ex mortuis suscitasset, quod cum notione Spiritus boni atque perfecti pugnat.

§. CCCCLXII.

Malignum vero Spiritum ingens hocce opus perfeciſſe ab omni Veritatis ſpecie abhorret, nam Religio, cujus veritas per Miraculum hoc confirmata fuit, ita comparata eſt, ut ejus propagatio ac diſſeminatio in Cacodæmonis rem minime faciat, cum tota illa Religio ad ſummam Dei Gloriam manifeſtandam & ad ſincerum Dei cultum hominibus inculcandum tendat; Ut homo per eam ad veram felicitatem ac perfectionem perveniat, omnisque tam Superſtitio quam Idololatria ab humano genere removeatur. Unde clariſſimum eſt, Spiritus malignos Dei ac omnis veræ Virtutis inimicos infenſiſſimos id opus neutiquam perfeciſſe, quod eam Religionem ad ſummum certitudinis gradum evehit, quæ homines ad Dei inviſibilis ac æterni Gloriam manifeſtandam ac celebrandam obligat, quæque huc ſolum tendit, ut Deus per hominis Peccatoris Salvationem glorificetur. Muhammedem potius, aut alium quendam Pſeudo-Prophetam ad ipſius Doctrinam ſtabiliendam Cacodæmon reſuſcitaſſet, quam vero Doctrinæ ſanctiſſimæ Autorem ſanctiſſimum.

§. CCCCLXIII.

Eam Antiſcripturariorum difficultatem, quæ

à hodierno Miraculorum defectu desumitur, jam Capite sexto solvimus, ubi ea nostris temporibus plane inutilia & nequaquam necessaria esse demonstravimus.

§. CCCCLXIV.

Ultima tandem contra Miracula *Objectio* ab illius temporis prophanorum Scriptorum silentio desumitur, ex quo ita Adversarii argumentantur. Si tot ac tam illustria opera à Christo ejusque discipulis fuissent patrata, rumor illorum tantus fuisset, ut tam Judæi quam Græci ac Latini Scriptores aliquid hac de re historiis suis inseruissent, cum vero nihil his de rebus occurrat, probabile admodum esse, magni momenti ea non fuisse, quæ in historia Evangelica narrantur, prodigia.

§. CCCCLXV.

In genere α. hac de re tenendum: Pauciſſimorum illius temporis Historicorum extare scripta, sed temporis injuria plurima fuisse perdita, ut adeo ignotum sit, num apud omnes illius ætatis Historiographos tam altum fuerit silentium.

§. CCCCLXVI.

β. Judæos quod respicit, extant adhuc JOSEPHUS & PHILO; in priori eximium aliquod de Christo reperitur testimonium: Cum vero Criticorum diligentissimi illud spurium judicent, defensionem ejus suscipere nolo. Ratio vero silentii illius æque ac Philonis inde petenda est, quod nihil vel Rei populi sui contrarium, vel quod Romanorum favori obesset, proferre volebant; Si Miracula ejus ceu vera descripsissent, ab una parte propriæ Genti suæ crimen erga Christum commissum

missum exprobrassent, eique rei testimonium dedissent, quæ in perpetuam Populi Judaici ignominiam scripta mansisset; Unde mirum non est, si more omnium profanorum Historiographorum maxima Gentis suæ vitia atque crimina silentio transierint. Ab altera vero parte apud Romanum Imperatorem Populumque difficulter fidem invenissent, si hæc Libris suis inseruissent, quæ Gentilibus stultitia ac fabula videbantur. Unde ea omiserunt, quæ Autoritati ac fidei Librorum suorum ipsis obesse videbantur, eaque solum litteris mandabant, quæ à potissima Populi sui parte erant recepta, à Romanis vero approbata & credita. Si vero falsa dixissent esse omnia, quæ de Christi Miraculis constabant, iterum fabulis, ex mente sua, Historiam repleviissent, & tanti momenti res ipsis visa non est, ut eam Scriptis suis insereret, dum Romanorum parum interfuisset, num aliquo tempore inter Judæos Propheta aliquis hæreseos accusatus cruci affixus sit nec ne? Unde silentio hæc præterire consultius ducebant. Sed hoc posthabendum non est, quod Scriptores Talmudici Miraculorum veritatem non rejiciant, sed frivola tantum effugia quærant, ut eorum vim declinent.

§. CCCCLXVII.

γ. Quod vero Ethnici Scriptores nullam de hisce Miraculis mentionem injiciant, factum est partim ideo, quod Populum judaicum maximopere contemtui habebant, ut ea quæ inter ipsos fiebant vix ulla attentione digna judicarent, illumque Populum stupidissimum habebant, unde Poëta, *credat Judæus Apella non ego.* Sed præcipue

miſer Chriſti & Apoſtolorum ſtatius faciebat, ut pro mundi excrementis ac quisquiliis ducerentur, confitente Apoſtolo Paulo 1. Cor. IV. 13. accedunt calumniæ contra ipſos ſparſæ, unde odia, perſecutiones, ſupplicia. Ii propterea, qui in terris longe remotis vivebant, & nonniſi per vagos rumores de hac re audiebant, Chriſtum Apoſtolosque pro Fanaticis vel ejus furfuris hominibus habebant, neque dignos eos reputabant, ut illorum in libris ſuis mentionem facerent. His accedit, quod frequentes inter Gentiles prodigiorum narrationes, nec non de Artibus Magicis ac incantationibus fabulæ audirentur, quæ à Philoſophis contemnebantur, cum inter has reputarent Miraculorum Chriſti famam, ea commemoratione indigna credebant.

Extant ex Gentilibus Scriptoribus TACITUS ac PLINIUS Secundus: Ex quibus patet, quænam Ethnicorum circa Chriſti Diſciplinam mens fuerit. Prior Annalium Lib. XV. Cap. 44. mentione facta de Chriſti ſub Pontio Pilato ſupplicio, addit: *Repreſſaque* (per Chriſti ſupplicium) *in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modo per Judæam, originem ejus mali, ſed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia ac pudenda confluunt celebranturque.* Licet Hiſtoriographus maximo cum contemtu de Chriſti Diſciplina loquatur, inde tamen tum ipſius rei Veritas Hiſtorica patet, tum ante Chriſti ſupplicium Doctrinam ipſius jam diſſeminatam fuiſſe. Poſterior ſub Imperatoris Trajani Imperio Præfectus in Bythinia erat, cujus Epiſtola ad Imperatorem extat Lib. X. Epiſt. 97. in qua ſcribit: Chriſtianorum numerum incredibilem eſſe, ut fana ac altaria fere deſerta ſint, neque inſtituto examine ſe ullius Criminis reos ipſos judicare potuiſſe. Illos Jeſum divino honore atque cultu proſequi, idque tanta cum pertinacia, ut mallent

lent mortem etiam quam maxime ignominiosam perpeti, quam Christi abnegatione Diis sacrificare, tantum esse periclitantium numerum, ut nulla ætas sit, nullus ordo, qui non in periculum vocetur; infectas esse peste hac non urbes modo, sed & vicos & agros. Ex quibus omnibus clarissime patet, Religionem Christianam post Christi mortem sæculo primo ad finem currente jam longe lateque disseminatam fuisse.

§. CCCCLXVIII.

Contra Christi Personam in specie *objiciunt* externam ejus conditionem, dignitati Personæ minime consentaneam. Sapientiæ nimirum humanæ infrunitum plane videtur, quod Jesus æternus Dei Filius Mundi Gubernator ac Dominus in terram missus fuerit, ut assumta natura humana, vitam degeret miserrimam summis contumeliis affectam, quam tandem supplicio, latronis adinstar finiverit.

§. CCCCLXIX.

Hæc est difficultas illa, quæ jam olim Judæis & Gentibus obstaculo fuit, & quammaxima visa est; dum Doctrina Crucis mundo videatur stultitia; Hoc Apostolus Paulus ingenue profesus est, 1. Cor. I. 18 - 24. *Est enim*, inquit, *crucis oratio perituris stultitia, servandis autem nobis divina potestas. . . Postquam enim ex divina Sapientia non ita sapuit Mundus, ut Deum cognosceret, visum est Deo, per prædicationis stultitiam servare fidentes: Quandoquidem & Judæi portentum postulant, & Græci sapientiam quærunt. Nos vero Christum prædicamus crucifixum, Judæis offensionem, Græcis stultitiam: sed ipsis vocatis, tum Judæis, tum Græcis, Christum Dei Potentiam, Deique Sapientiam.*

§. CCCCLXX.

Non diffitemur α. quod si actiones divinæ ex actionibus ac conceptibus humanis dijudicentur, non modo hæc divina actio, sed plurimæ aliæ, rationi finitæ, nedum humanæ, prorsus consentaneæ non sint. Quot enim vel in Mundo visibili vel in Providentiæ divinæ actionibus existunt, quæ homines taxant, quæ meliora esse posse judicant ? Quot ipsis in humani generis gubernatione cum Dei Sapientia, Justitia, Bonitate pugnare videntur? quoties clamant Bonis male, Malis bene in hac terra esse ? Homines sceleratissimos sæpe felicissimos, virtutis vero studiosissimos haud raro infelicissimos esse, homines judicant, quod à divinis Perfectionibus prorsus alienum ipsis videtur. Quid ergo mirum, si in Salutis negotio multa occurrant, quæ à nostro agendi modo atque nostris de rebus conceptibus absunt.

§. CCCCLXXI.

β. Hoc vero Adversarii mei facile mihi concedent, ad opus aliquod in regimine hujus mundi dijudicandum, num cum Sapientia Dei conveniat, an vero non conveniat, opus esse, ut totus rerum nexus, qui ex opere illo fluit, nobis constet, cum Deus nihil faciat, nisi respectu habito totius rerum nexus & omnium suorum Attributorum. Si igitur de re aliqua ostendi potest, quod in nexu rerum, cui implicita est, tendat ad finem omnium rerum universalem, & quod per consequens ad Attributa divina illustranda apprime faciat, illa pro bona agnoscenda est, licet quædam in illa deprehendantur, quæ nostræ Sapientiæ ac conceptibus non sunt conformia. Hoc

vero

vero cum de optimi Salvatoris persona ostendi possit, à nobis etiam demonstratum sit (Cap. III.) quod modus ille Liberationis ad Perfectionem Universi, ad divinæ Gloriæ manifestationem & ad pulchritudinem Civitatis Dei tendat; Hinc Sapientia Dei celebranda est, licet Persona Salvatoris opinionibus humanis non respondeat. Non etiam ex ratione particulari res aliqua dijudicanda est, sed ex nexu cum toto Universo; non in abstracto Christi Persona consideranda, sed in relatione ad totum Salutis negotium & ad omnia quæ cum eo sunt connexa.

Cum res hæc hominibus Incredulis in Christiana Religione maxime offendiculo sit, opus est, ut hic paulo prolixiores & verbosiores simus, ut distinctam lectori notionem formemus. Notum est ex inspectione omnium partium hujus Universi, omniumque uniuscujusque Systematis rerum particularium, quod quævis particula in se considerata imperfecta videatur, unde in Universi Systemate multa imperfecta deprehendere nobis videmur, quæ si ex nexu totius Systematis dijudicentur, ad Universi perfectionem maximam multum contribuunt. Mirum propterea non est, quod si nonnulla in Persona Christi à reliquis, quæ cum iis connexa sunt, abstrahamus, si ejus miseriam ac calamitates, si externam conditionem, si passiones & mortem à reliquis, quæ ad ipsius munus spectant, separemus, multa inveniamus, quæ imperfecta, & non tam divinæ quam humanæ Sapientiæ parum congrua videntur.

§. CCCCLXXII.

2. Tali modo Christus sese manifestavit, ut Gloriæ ac Majestatis divinæ splendor in verbis ac factis à quovis veritatis cupido conspici facile potuerit; *Apud nos*, inquit divus *JOHANNES*, *gratiæ veritatisque plenus habitavit, ejusque splendorem ut unigeniti à Patre splendorem conspeximus*, Joh. I. 14. 3. Ita

§. CCCCLXXIII.

§. Ita vero ipsius statum comparatum fuisse, qualem finis negotii ab eo peragendi requirebat, (Cap. III.) à nobis demonstratum est.

pag. 307 f.

„ Ut status Christi talis esset, qualis conspectus est „ (verba sunt judiciosissimi TURRETTINI Vol. II. „ Dissert. XII. §. XII.) id optime quadrabat cum sco„ po ipsius adventus, & Religionis ab ipso instituen„ dæ. Sane, si venisset, ut esset Monarcha terrenus, „ alio longe cum adparatu prodire debuisset. Sed Reg„ num ejus non fuit de hoc Mundo, Joh. XVIII. 36. „ Venit, ut regnaret in animos non in corpora. Ve„ nit, ut homines avocaret à rebus terrenis & ad cœ„ lestia erigeret. Venit, ut doceret Virtutes difficilli„ mas, patientiam, mansuetudinem, injuriarum tole„ rantiam &c. Venit denique, ut nos Deo conciliа„ ret, peccatumque aboleret Sacrificio sui ipsius; „ Heb. IX. 26. Quæ omnia non aliter melius quam „ per statum ejus humilem, mortemque probrosam, „ obtineri potuere.

§. CCCCLXXIV.

§. Parum denique refert, qualis Personæ alicujus externa conditio sit, quæ egregiæ alicujus Doctrinæ Autor est, quæque ita vivit, ut omnibus perfectissimum Virtutis exemplar existat; Persona ex ipsius verbis ac factis dijudicanda, non vero de ejus Doctrina ex conditione illius externa judicandum est; neque enim humilis Doctoris status Doctrinæ aliquid vel addit vel demit. Maximus Philosophus in loco obscuro natus esse potest, & fors externa nequaquam conspicua, id tamen illius laudi ac gloriæ, quam per egregia præcepta acquisivit, ne minimum quidem derogare, aut illius Doctrinæ quidquam detrahere potest. Idem etiam de Christo judicium ferendum.

Illam

§. CCCCLXXV.

Illam *Objectionem*, quæ à dilato Christi Adventu desumitur, quam dilationem divinæ Sapientiæ ac Bonitati contrariam arbitrantur Adversarii, si Christus ad hominum Salutem in Mundum venire debuerit, jam Cap. III. §. 1212 -- 1216. præoccupavimus.

§. CCCCLXXVI.

Hic nunc eæ solvendæ essent difficultates, quæ contra duplicem Christi naturam, contra Trinitatis Mysterium, contra Satisfactionem afferuntur, quæque maximi sunt momenti, & à Naturalistis acutissimis semper motæ fuere; Cum vero hic Socinianis pugnent armis Capite XII. ad eas respondebimus.

§. CCCCLXXVII.

Succedunt his *nonnullæ*, quæ contra N. Test. Libros afferuntur *Objectiones*, illæque vel illorum formam vel materiam vel integritatem vel consensum respiciunt. *Primo* quidem hoc Naturalistæ desiderant, quod Doctrina Evangelica non in Systema aliquod redacta sit, sed quod Articuli Religionis hujus passim in Apostolorum Scriptis nullo ordine ac nulla methodo tradantur; quodque momentosissima hujus Religionis Capita hinc inde ex Epistolis ad Communiones sive Ecclesias, imo ad homines privatos exaratis sint colligenda. Contra vero divinæ Sapientiæ, si immediate ab ea hæc proveniisset Disciplina, longe convenientius fuisse, ut omnia ea, quæ ad Disciplinam hanc necessaria erant, in unum redigerentur Systema.

Primo

§. CCCCLXXVIII.

Primo quidem Systematicam Methodum non contemnimus & præcipue respectu eruditorum insignem potest habere usum ; cum omnes Christianæ Disciplinæ veritates juxta methodum hancce in certum disponantur ordinem, illarumque connexio, harmonia sive consensus ostendatur, atque quomodo una Veritas ex altera fluat uno quasi conspectu videri possit ; Ipse propterea Apostolus Paulus commendat Ὑποτύπωσιν ἔχειν τῶν ὑγιαινόντων λογων, ut bene aliquod Disciplinæ Christianæ Systema nobis formemus.

§. CCCCLXXIX.

Secundo Libri sunt vel *Historici* dogmaticis mixti ; vel pure *Dogmatici*, posteriores prioribus quasi superstructi sunt, hic ergo Novi Testamenti Librorum ordo est, ut *primo* Historia quædam fundamenti loco ponatur ; ut *deinceps* Christianæ disciplinæ dogmata illi superædificentur. Prius *in Evangeliis* continetur, posterius in *Epistolis*. In Historiæ recensione Evangelistas elegantissimum observasse ordinem & modo simplicissimo omnia proposuisse, nemo est qui neget ; Si vero reliqua Apostolorum Scripta consideramus, ea vel integrum tradunt Doctrinæ Christianæ compendium, vel controversias ac difficultates circa Articulos nonnullos motas dirimunt. Ad priora pertinent ex. gr. Pauli ad Romanos & Ephesios Epistolæ, in quibus Religionis Christianæ Capita, neminis non consensu, methodo hominibus ad Veritatem adducendis maxime concinna tradita sunt. In iis autem, in quibus controversiæ dirimuntur, semper observari ordinem à Sacrorum Oraculorum Interpretibus sæpissime ostensum est. *Tertio*

§. CCCCLXXX.

Tertio non inficiamur Doctrinam Christianam tunc temporis nondum in artem fuisse redactam uti hodie; neque tot tricis ac inutilibus quæstionibus ac distinctionibus fuisse refertam. Inveni in Theologi cujusdam celeberrimi Systemate ultra nonaginta solum de Christi Persona distinctiones; At Christus & Apostoli modo simplicissimo, omni humanæ scientiæ apparatu vacuo, totam illam Disciplinam tradiderunt. Quot hodie Scripta existunt de divino circa hominis salutem Decreto? Christus hæc omnia hisce complectitur verbis: *Qui crediderit servabitur*; *Qui non crediderit, condemnabitur*. Ut adeo Christi Apostolorumque docendi methodus à plerorumque Theologorum toto cœlo differat. *Fidem habe Domino Jesu, & salvus eris tu, tuaque familia*, inquiunt Paulus & Silas. Act. XVI. 31. Cæterum ad Praxin omnia Cœlestis Doctor referebat; *Si quis volet ejus voluntati parere, cognoscet de Doctrina, utrum ea à Deo sit.* Joh. VII. 17. *Intrabit in Regnum cœleste, qui fecerit quod vult Pater meus.* Matth. VII. 21.

§. CCCCLXXXI.

Quarto Christus ac Apostoli in Concionibus suis Auditoribus ac Discipulis sese accommodabant, methodoque illis temporibus familiari usi sunt; methodo ad persuadendum & convincendum efficacissima; utinam omnes Theologi ac Evangelii Ministri eam sequerentur.

§. CCCCLXXXII.

Huic *aliam* adjungunt *difficultatem*, à Scriptorum N. Test. obscuritate desumtam, quam tantam

tam esse perhibent, ut ne momentosissimi quidem Articuli intelligi possint, sed ut multi potius ex hac caussa nascantur errores.

TINDALIUS libro sæpius citato suam hac de re sententiam Cap. XIII. pag. 579. inter alia ita exprimit: „In der Schrifft, sagen sie, sind die Sachen nicht auf so „ausführliche Weise gehandelt, dass die Leute die „Beschaffenheit und den Umfang ihrer Pflichten so „eigentlich daraus erkennen kœnnten. Sind nicht „dieselben, sagen sie, meistentheils auf so allgemei„ne, unbestimmte, ja manchmal vvol gar gleichniss„mæssige und vergrœsserende Weise darinn vorgetra„gen, dass, vvenn vvir unsere Vernunft nicht zu Ra„the zœgen, und unsere Pflichten aus derselben ler„neten, der Buchstabe uns gar vvol zum Bœsen ver„führen kœnnte: Wie denn der Apostel selbst saget, „dass der Buchstaben tœde? Ist nicht das Neue Te„stament voll von Gleichnissen: Ja heisset es nicht „so gar in demselben, Matth. XIII. 34. Jesus redete „nichts zu dem Volck ohne Gleichnisse, und dieses „aus der merckvvürdigen Ursache, Marci IV. 12. da„mit dieselben zvvar mit offenen Augen sehen, aber „nichts begreiffen, und zvvar mit offenen Ohren hœ„ren, aber nichts verstehen mœchten, damit sie nicht „etvva mit der Zeit bekehret, und ihre Sünden ihnen „vergeben vvurden. Ist nicht das Evangelium Jo„hannis grœstentheils auf eine dunkele, allegorische „Art abgefasset: Sonderlich vvas die Lehre von der „Person Christi betrifft? Und gestehen nicht die Aus„leger, dass vvir bey Erklærung der Schrifften dess „Heil. Paulus eben diese Schvvierigkeiten antreffen? „Der vornehme Herr Boyle saget von der Schreibart „der Schrifft, pag. 64. In den Schrifften des heiligen „Paulus sind manchmal einige Stellen so abgefasset, „dass sie auf eine verdeckte Weise eine Art eines Ge„sprœchs in sich halten, so dass œfters die Leser, oder „auch vvol die Ausleger, aus Unerfahrenheit, etvvas „für einen Bevveisgrund ansehen, vvas doch in der „That ein Einvvurff ist. Man saget, es sey die Ge„vvohnheit der Morgenlænder, dass sie dunckele und „ver-

„ verſteckte Sætze, figürliche und gleichniſsmæſſige Re-
„ den, abgebrochene und verſtümmelte Arten deſs
„ Ausdrucks gebrauchten, und dieſes mit Auslaſſung
„ der Verbindungs-Wœrter.

§. CCCCLXXXIII.

Ad difficultatem hancce penitus tollendam ea quæ ſupra §. 140. & ſeq. diximus, abunde ſufficiunt, ubi Sacrarum Litterarum claritatem vindicavimus. Dictum Chriſti Matth. XIII. 34. Marci IV. 12. quod ſpectat, α. Acutiſſimus Vir ita illud adducit, ac ſi locutio per ſimilitudines obſcuriſſimus eſſet docendi modus, cum non tantum is Judæis fuit familiariſſimus, ſed noſtris etiam temporibus captui Plebis quoque ſit accommodatiſſimus. Similitudines enim omnes, quibus Chriſtus uſus eſt, ab iis rebus deſumtæ ſunt, circa quas vulgi præcipue negotia verſabantur; tales homines rebus ſenſualibus magis aſſueti ſunt, quam veritatibus abſtractis, quæ per ſolum intellectum purum percipiuntur; Unde tali inſtituendi ſunt methodo, qua res vi imaginatrici clariſſime repræſentantur ac imprimuntur; & hæc eſt ipſa illa methodus qua Chriſtus uſus eſt, ut Auditorum imbecillitati mirum in modum ſeſe accommodaverit. β. Licet vero methodus hæc in ſe ſit ſimpliciſſima, apud omnes tamen non eundem producit effectum, ii enim qui à divina Gratia aures ad audiendum acceperunt & quorum Intellectus illuminatur, Regni cœleſtis arcana intelligunt; ii vero quorum mens cupiditatibus carnis plane obtenebrata eſt, etiam lucente clariſſima Evangelii Luce cœcutiunt nec veritates cœleſtes cognoſcunt, licet modo proponantur ſimpliciſſimo. γ. Hac ratione fit ut impleatur illud Pro-

phetæ vaticinium, quod Christus citat, ut increduli Doctrinam Evangelicam aspiciant, neque videant, & audiant, nec intelligant, unde fit ut juxta Vaticinium nunquam ad frugem redeant neque ipsis remittantur Peccata.

§. CCCCLXXXIV.

Evangelium autem Johannis ita scriptum est, uti reprimendis Divinitatis Christi hostibus maxime conveniens erat. Phrases etiam ita comparatæ sunt, ut ab iis non potuerint non intelligi, siquidem ipsorum loquendi modis sese accommodaverit divus Apostolus.

§. CCCCLXXXV.

Id porro à TINDALIO in divinitatis Librorum tam V. quam N. Test. præjudicium affertur, quod verbis pomposis ac (absit blasphemia) romanensibus illorum Autores uti sæpissime ament.

Cap. XIII. pag. 580. seqq. „ Was die vergrœsserenden „ Redens-Arten anbelangt, so vvar es bey den Mor- „ genlændischen Vœlkern gevvœhnlich, sich auf eine „ prœchtige und recht übersteigende Weise auszudru- „ cken. Diese Art zu reden machte bey ihnen ein „ vvichtiges Stück der Gelehrsamkeit aus, und vvurde „ bey den Juden in den Schulen der Weissager geleh- „ ret: und derjenige vvar der beste, vvelcher es in die- „ ser hochtrabenden, romanhafften Art zu reden am „ vveitesten gebracht hatte; Wie denn auch so vvol „ das Alte als das Neue Testament mit dieser Art Aus- „ drücken ganz angefüllet sind. Wenn Jesajas die Zer- „ stœhrung Babylons vorher verkündiget, so saget „ derselbe Cap. XIII. 10. 13. Die Sterne am Himmel „ vverden kein Licht von sich geben: Die Sonne „ vvird verfinstert vverden. . . Ich vvill den Himmel „ erschüttern, und die Erde vvird aus ihrer Stelle „ vvei-

„ vveichen, durch den Zorn des Gottes der Heere,
„ und an dem Tage seines hefftigen Grimmes. Und
„ die Zerstœhrung der Stadt Jerusalem vvird in dem
„ N. Test. auf solche Weise beschrieben, als vvenn die
„ Natur aus ihrer Ordnung gebracht, und das ganze
„ Weltgebæude solte zertrennet vverden. Der Bi-
„ schoff Fleedvvood hat über den 18. Psalm folgende
„ Worte (in seiner Danksagungs-Rede, vvelche am
„ 7. Junii des 1716ten Jahres gehalten vvorden,)
„ *Wenn man sich der Geschichte Davids nicht da-*
„ *bey erinnerte, so solte man sich einbilden, Him-*
„ *mel und Erde wære um seinetwillen beweget wor-*
„ *den; der ganze Lauff der Natur wære zu Grun-*
„ *de gegangen, und sein Leben wære mit bestæn-*
„ *digen Wunderwerken umgeben gewesen;* Und
„ machet noch dabey diese Anmerkung: *Die*
„ *Redens-Arten der Juden, eben wie die Aus-*
„ *drücke aller Vœlcker, welche gegen Morgen woh-*
„ *nen, sind voller Pracht, und mit lauter Erdich-*
„ *tungen und Vergrœsserungen ausgeschmücket.*
„ Unter diese Classe glaube ich kœnnen vvir auch
„ folgende Stellen rechnen. Joh. XXI. 25. Joh. XIV.
„ 13. Matth. XVIII. 19. XVII. 20. Lucæ XVII. 6.
„ Matth. XVI. 19. 1. Cor. II. 15. III. 22. 1. Joh. II.
„ 20. Apoc. I. 6. V. 10. Matth. V. 5. XIX. 29.

§. CCCCLXXXVI.

Priora dicta quod attinet, quæ Urbis Hierosolymorum vastationem designant, cultusque cærimonialis abrogationem, hoc præcipue tenendum, quod propter operum divinorum conformitatem sapientissimam inter *Mundum physicum & mysticum* maximus sit consensus, proptereaque hic Prophetis mos est, ut, si in Mundo mystico sive spirituali notabilem aliquem eventum designare volunt, Phrases ex iis desumere soleant, quæ in Mundo physico accidere solent. β. Quod

vero phraſes illæ nimis hyperbolicæ Antiſcripturariis videntur inde eſt, quod parvi faciunt Mundum ſpiritualem ſive Civitatem Dei, *quæ*, uti illuſtris LEIBNITIUS loquitur, *rerum omnium præſtantiſſima eſt*; unde eventus aliquis ſpecialis, qui in hoc Mundo accidit, tanti faciendus eſt, ac ſi in Mundo phyſico accideret, à quo phraſis prophetica deſumta eſt. Non diffitemur, quod iis, qui rebus ſenſualibus tantum aſſueti ſunt, minimus aliquis in Mundo corporeo eventus longe major videatur, quam maximus in Mundo ſpirituali. Hinc fit ut TINDALIO videatur, Sanctos Prophetas phraſibus uti romanenſibus, ſi præcipuas in Regno ſpirituali immutationes exprimunt.

§. CCCCLXXXVII.

Reliqua dicta quæ afferuntur, aut commodam admittunt interpretationem, uti Joh. XXI. 25. ubi per Mundum non totum Univerſum deſignat, ut TINDALIUS ſibi fingere videtur, ſed homines in Mundo, quo ſenſu apud Evangeliſtam huncce vocabulum hoc ſumitur; ut hoc ſignificare velit Sanctus Apoſtolus, tantam Scriptorum molem futuram, ſi omnia quæ Chriſtus fecit litteris conſignarentur, ut Libri Evangelici nimis prolixi forent, quam ut homines, præcipue vulgus, omnia capere poſſent. Aut vero dicta ab Autore allata ſenſu allegorico interpretanda ſunt, cum is loquendi modus omnino omnibus orientalibus Populis familiariſſimus fuerit.

§. CCCCLXXXVIII.

Afferuntur porro ea dicta, in quibus Deus ceu mali Autor deſcribitur; ad quæ ut hic reſpon-

ſpondeamus opus non eſt, dum jam Cap. III. demonſtravimus, quomodo divina Providentia ſapientiſſime circa mali moralis tam permiſſionem quam gubernationem verſetur, hancque Doctrinam Cap. VII. contra Adverſariorum exceptiones vindicavimus, ex quibus dicta à TINDALIO pag. 585. nullo negotio ſolvi poſſunt.

§. CCCCLXXXIX.

Hasce *aliæ* ſequuntur *difficultates*, nempe quod in Libris Evangelicis ac Apoſtolicis nonnulla reperiantur, quæ Ethicæ, quæ Juri Naturæ, & quæ Politicæ ſint contraria. Et primo quidem regulis moralibus è diametro adverſum eſſe perhibent, quod dicatur Chriſtum veniſſe non ut pacem afferat, ſed ut diſſidia ac jurgia, ut bella ac flammas excitet.

„ Allein vvas kan erſtaunlicher ſeyn, inquit TINDA-
„ LIUS Cap. XIII. pag. 587. als daſs Chriſtus mit aus-
„ drücklichen Worten ganz deutlich ſagt: Er vvære
„ gekommen, dasjenige zu thun, vvas vvir doch glau-
„ ben müſſen, daſs er gekommen ſey zu verhindern.
„ *Glaubet nicht*, ſaget derſelbe Matth. X. 34.
„ *daſs ich gekommen ſey, Friede zu bringen, ſon-*
„ *dern das Schwerd. Denn ich komme Streit zu*
„ *erregen zwiſchen Vater und Sohn*, u. s. w. Fer-
„ ner Lucæ XII. 51. *Ihr bildet euch villeicht ein,*
„ *daſs ich gekommen ſey Frieden auf Erden zu ſtif-*
„ *ten. Ich verſichere euch nein, ſondern vielmehr*
„ *Uneinigkeit.* Ingleichen v. 49. *Ich bin gekom-*
„ *men die Welt in Flammen zu ſetzen; und wie*
„ *ſehr wolte ich, daſs das Feuer ſchon angezündet*
„ *wære!* Und hat nicht dieſes Feuer ſeit dem be-
„ ſtændig auf eine recht grauſame Weiſe fortgebren-
„ net, nachdem es von denjenigen noch mehr aufge-

„ blaſen vvorden, deren Amt es gevveſen vvære, ſol-
„ ches auszuloeſchen? Und haben ſich nicht dieſelben
„ dabey ſo aufgeführet, als vvenn dieſes ein vveiſſa-
„ gender Ausſpruch vvære: So daſs ſie zu allen Zeiten
„ verbunden vværen, dahin zu ſehen, daſs ſolcher er-
„ füllet vvurde, *obgleich alle Pflichten der ganzen*
„ *Sittenlehre dabey über einen Hauffen geworffen*
„ *wurden.*

§. CCCCXC.

Nihil vero ejus quod Autor ſibi fingit in dictis hisce continetur, nempe quod hic adventus Chriſti fuerit ſcopus ut bella ac diſſidia ſerat; optimus Salvator Diſcipulos præmunit, propter varia mala ac paſſiones ipſis Evangelium prædicantibus eventura; Et ne per varias illas afflictiones puſillanimi fiant, varia affert argumenta, ac ſcrupulos quos habebant removet. Ea enim Apoſtoli cum omnibus Judæis erant imbuti opinione, quod Chriſtus futurus ſit alter Salomo, qui Regnum in hac terra habiturus ſit pacificum ac glorioſiſſimum, cujus Aſſeclæ ac ſubditi omni temporali gaviſuri ſint felicitate. Chriſtus præjudicia hæc ubique removet, & longe aliter comparatum eſſe Regnum ſuum oſtendit, & in hisce etiam de quibus nobis ſermo eſt dictis idem agit, Apoſtolis prædicendo quemnam Evangelii prædicatio etiam citra culpam ſuam habitura ſit effectum, nempe quod maxima in familiis inde naſcitura ſint diſſidia: cum una pars diſciplinam amplectebatur Chriſtianam, altera vero aut Religioni Judaicæ aut ſuperſtitioni & Idololatriæ Gentili affixa manebat, aliter fieri non potuit, quin inter variarum Religionum conſortes diſſenſus orirentur: minime vero hoc finis Adventus Chriſti

aut

aut prædicationis Evangelii dici potest, quod citra ullam illius culpam accidit, licet ejus consequens sit. Non ergo orta illa dissidia Doctrinæ Christi, sed hominum imbecillitati tribuenda sunt, neque bella propterea orta egregiam illam Doctrinam, cujus occasione excitata fuere, vitiosam reddere possunt; Quoties enim nostris etiam temporibus fit, ut propter innocentissimam Veritatem, vel Theologicam vel Philosophicam, acerrimæ oriantur lites, quæ hominibus, non Doctrinæ tribuendæ sunt? Si vero existant Ecclesiastici, quos Autor præprimis intendit, qui odio Theologico se abripi patiuntur, ut alios Religionis gratia loco demonstrationis Veritatis ad conscientiam persecutione premant, hi omnino mansuetam Christi controvertendi methodum non imitantur, qui summa semper cum Patientia refutavit Adversarios.

§. CCCCXCI.

Alia dicunt in Christi Doctrina reperiri præcepta, quæ cum à constitutione humanæ Naturæ prorsus aliena, præstitu impossibilia, & Juri Naturæ contraria deprehendantur, qualia præcipue sunt de condonandis injuriis & Inimicorum amore. Humanæ Naturæ Leges hasce contrarias esse asserunt, quæ à sapientissimo Conditore ita constituta est, ut ea aversemur ac odio prosequamur, quæ felicitati nostræ contraria sunt, inde fieri, ut motu naturali eos aversemur, qui vel nobis vel rebus nostris malum afferunt; Cum ergo motus illi mechanici & subinde etiam involuntarii in nobis excitentur, concludunt ipsi humanæ Naturæ à Creatore eos inditos esse.

„ Afferam, ut argumenti tota vis eo melius appareat, „ quæ hac de re dicit TINDALIUS Cap. XIII. pag. „ 596 seqq.

B. Obgleich Confucius verbietet vvegen des ange„ thanen Unrechts zu rächen; so treibet er doch die „ Sache nicht zu einem solchen Grad der Vollkom„ menheit, daſs er auch die Liebe gegen die Feinde „ erfordern solte, sondern er behauptet im Gegen„ theil, Reg. 63. vvir kœnnten einen Feind verab„ scheuen, ohne jedoch nach einer Rache zu verlan„ gen: Die natürlichen Bevvegungen vværen nicht „ allezeit sträflich, und Reg. 15. dieſes allein vvære „ ein guter Mensch, vvelcher mit Vernunft lieben und „ hassen kœnnte.

A. Sind nicht die Gemüths-Bevvegungen der Liebe „ und des Hasses uns zu dem Ende von Gott gegeben, „ daſs vvir dieſelben an ihren gehœrigen Gegenstän„ den ausüben sollen? Die Handlungen, in abgeson„ derten Verstande genommen, geben keinen Gegen„ stand der Liebe und des Hasses ab, sondern die „ Personen in Ansehung ihrer Handlungen. Sind nun „ nicht die Handlungen gevviſſer Personen viel zu „ schædlich, als daſs sie andere Bevvegungen, ausser „ des Abscheuens, in uns ervvecken solten, so gar, daſs „ sie uns auch vvol bevvegen, dieſelben zu der ge„ bührenden Straffe zu bringen? Ja müssen vvir nicht „ uns eher selbst hassen lernen, als vvir lernen kœn„ nen, diejenigen zu lieben, vvelche uns hassen?

Da vvir den Teufel nicht lieben sollen, ja auch nicht „ lieben kœnnen, vveil er unser Feind ist, vvie kœn„ nen vvir nun solche eingefleischte Teufel, solche „ Feinde Gottes und der Menschen lieb haben, vvel„ che die Menschen um desvvillen hassen und verfol„ gen, vveil dieſelbe ihre Liebe gegen Gott dadurch „ zu erkennen geben, daſs sie der Anvveisung ihres „ Gevviſſens folgen? da die Liebe, Gefælligkeit, Hoch„ achtung und Freundschaft mit sich führet, und vvir „ diese allen Menschen schuldig sind: Was kœnnen „ vvir vvol in dem gegenseitigen Falle zvvischen den „ besten und den schlimsten Menschen für einen Un„ terscheid halten? Ich

Ich kann mir ſo vvenig einbilden, daſs die Regeln „ Confucius, und Jeſus Chriſtus von einander unter„ ſcheiden ſind, daſs ich vielmehr glaube, die deut„ lichen und einfachen Regeln des erſtern vverden „ behülflich ſeyn, die dunckleren Regeln des lezteren „ zu erlæutern, als vvelche nach der damahligen Ge„ vvohnheit zu reden eingerichtet ſind. Der Heil. „ Paulus ſaget zvvar: Wenn dein Feind Hunger lei„ det, ſo gib ihm zu eſſen; und vvenn er Durſt lei„ det, gib ihm zu trinken: Indem du dieſes thuſt, „ ſo vvirſt du ihm glüende Kohlen auf dem Kopfe zu„ ſammen hauffen: Allein dieſe Aufführung kan kein „ ſicheres Kennzeichen der Liebe gegen denſelben ab„ geben: denn es geſchiehet in der Abſicht, ihm die „ gœttliche Rache auf den Kopf zu bringen.

§. CCCCXCII.

Ratio, cur Adverſarii hanc Diſciplinæ Chriſtianæ Regulam deprimere ac ceu Juri Naturæ adverſam ejicere ſtudent, hæc eſt, quod, cum à nobis poſcant ut oſtendamus, Legem, quam Chriſtus attulit, illa quæ ex Principiis Philoſophicis fluit conſummatiorem eſſe, inter alia a noſtris Theologis etiam hæc de Inimicorum amore affertur, quem nec rigidiſſima etiam Philoſophia moralis præſcribat.

§. CCCCXCIII.

Tota vero difficultas obſervationibus ſequentibus tollitur *α*. Fundamentum Legis hujus eſt *tum* participatio ejusdem Naturæ, dum ab eodem Patre geniti, ejusdemque Monarchæ univerſalis ſubditi ſumus; hinc non convenit ut unus alterum odio proſequatur, neque naturalis illa ac mutua cognatio ac obligatio per id abrumpi poteſt, ſi quis inique nobiscum agit. *Tum* univerſale illud Juris Naturæ tam Ethici quam Politici

principium, quidquid ad conservationem & promotionem tum propriæ tum proximi perfectionis & ad humanæ Societatis felicitatem tendit, illud faciendum est, quam Regulam Christus hisce complectitur verbis: *Quidquid igitur vultis, ut vobis faciant alii, idem vos etiam eis facite: nam hæc Legis vatumque Summa est.* Matth. VII. 12.

§. CCCCXCIV.

β. Finis hujus Regulæ pro duplici hominis Christiani statu etiam duplex est; Homo nimirum consideratur vel ceu Societatis civilis membrum, vel simul ceu Civitatis Dei consors. *Priori* respectu Lex hæc hunc usum habet, quod condonatione injuriarum & Inimicorum Amore maxima sæpe pericula à Republica prævertuntur, iniquissimæque injuriarum ac ultionum successiones in prima statim origine extinguuntur; unde non possunt non injuriarum condonatio beneficiaque inimicis exhibita ad Societatis conservationem ac perfectionem tendere; cum contra odium proximi continuum, ultiones ac dissidia, Societatis ac Reipublicæ vincula solvant.

§. CCCCXCV.

Si vero homo ceu membrum Civitatis Dei consideratur, ipse obligatus est, ad facienda omnia ea, quæ cum in sanctæ hujus Societatis commodum & incrementum, tum uniuscujusque membri salutem tendunt (Cap. III. §. 1474. 1475.). Finis autem hic, nec per vindictam & continuum ejus qui me offendit odium, nec per rixas obtineri potest; sed ut inimicus noster ad meliorem redeat frugem, amoris & condonationis signa maxime proficiunt.

Si

§. CCCCXCVI.

Si autem hominem abstracte ab omni Societate consideramus, proprii status perfectionem magis promovet Patientia, Longanimitas ac amor proximi & propriæ tranquillitatis cura, quam vero animus affectibus turbatus, ira efferatus, qui sui non compos ultionem ubique spirat. Maximam ille reportat victoriam, qui semetipsum vincit. Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit mœnia, nec virtus altius ire potest.

§. CCCCXCVII.

Cum igitur tam Fundamentum ac Principium hujus Regulæ, ac ejus Finis, (per paragraphos præcedentes,) bonus sit, oportet ipsa etiam Regula bona sit.

§. CCCCXCVIII.

Motus illos naturales ad sui defensionem tendentes quod attinet, non negamus eos ita adhibendos esse, ut mala à nobismet ipsis ac ab integra propulsemus Societate, ita tamen ut Jus tutaminis inculpatæ tutelæ non transgrediamur, sed tantum modo faciamus, quantum ad vitæ nostræ ac Reipublicæ conservationem necesse est, quod Disciplina Christiana nequaquam prohibet. Tria præcipue hæc Christi Regula præscribit. α. Ratione præsentis prohibet, ne ultra justæ defensionis limites procedamus, & ut nonnisi cæteris omnibus tentatis ad arma veniamus jubet, & ut hoc in casu omnes nostræ actiones ita comparatæ sint, ut inde eluceſcat, animum nostrum ad amorem magis quam ad odium ac inimicitiam compositum esse, & nos pacem magis quam litem

tem & bellum optare, & ut bellum ac noſtri defenſio eo ſolummodo tendat, & id tantum in votis noſtris ſit, ut Pax firma obtineatur.

§. CCCCXCIX.

β. Quoad præteritum, Chriſtus vult, ut injurias à proximo nobis allatas oblivioni demus, animumque ab omni vindictæ cupidine liberemus, nihilque omittamus, quod ad proximum ad pacem adducendum atque leniendum quidquam conferre poteſt.

§. D.

γ. Vult denique, ut non in aliena ſive Dei ſive Magiſtratus Jura involemus, hacque ratione omnis Societatis tam Civilis quam Religioſæ ordinem evertamus, ſed ut ultionem illis permittamus, qui Poteſtatem gerunt; Quisque enim ſi injuriæ ſibi illatæ vindex eſſet, malum hoc in infinitum creſceret: Unde Philoſophus Ethnicus MAXIMUS TYRIUS Diſſ. II. ait. *Quis erit obſecro finis mali? Si enim perpetuo qui injuria affectus eſt, malum malo compenſat, neceſſe eſt, ab uno ad aliud tranſire & quaſi tranſilire malum; atque ita injuria injuriam excipit:* Et paucis interjectis addit: *Quousque quæſo ſe diffundet hoc malum? ubi deſinet? non vides quid facias: Perennis improbitatis fontem excitas; legemque fers, quæ ſit univerſo terrarum orbi malorum cauſſa.*

§. DI.

Quæ de affectibus, amore & odio, homini natura inſitis afferunt Adverſarii, nihil probant, ſi diſtinguimus α. inter odium vitii ac odium Perſonæ, quorum prius licitum, alterum vero pro-

prohibitum est. β. Inter adfectus moderatos, qui intra justos consistunt limites, & immoderatos, qualis immodicus sui ipsius amor, ira, superbia, &c.

§. DII.

Nonnulla porro contra Regulas Politicas, quæ ad Reipublicæ conservationem tendunt, in Libris præcipue Evangelicis contineri, Antiscripturarii asserunt; ut quæ de Bonorum venditione ac largitione, de omni cura abjicienda, de bonorum suorum elocatione absque ulla usufructus spe, de largitione omnium suorum in usum pauperum, & quæ similia.

„Und solten wir nicht, wenn wir den Grund der „Dinge nicht zu Hülffe nehmen, auf die Gedanken „gebracht werden, daß die Armen als Arme, die „einzige Lieblinge des Himmels wären: Luc. VI. „20. 21. Ingleichen, solten wir nicht auf gleiche „Weise auf die Einbildung gerathen, als wenn die „Lehren Christi den Reichen, als Reichen, entgegen „wären, und folglich auch allen Anstalten, welche „ein Volck reich machen, vers 24. Cap. cit. So „war es auch ein allgemeines Gebott, daß kein „Mensch reich seyn solte, Lucæ XII. 33 Ja, die Frau, „welche ihre zween Scherfe in den Gottes-Kasten „warff, wird gelobet, weil sie alles, was sie ge„habt, so gar alle ihre Lebens-Mittel, hineingeworf„fen hätte; um auch zu zeigen, daß niemand von „diesem Gebotte ausgenommen sey, saget Jesus: Ver„kauffe alles, was du hast, und gib es den Armen, „Marci X. 21. Dieses Gebott lässet sich in einem „Christlichen Staat gar nicht ausüben: Denn wenn „jedermann verkauffen wolte, so würden keine Käuf„fer seyn. Was für einen Nutzen können wol die „Unterthanen von Gesetzen haben, welche auf eine „so ungewisse, allgemeine, und unbestimte Art abgefasset sind, als diese: Leihet aus ohne Hoffnung „etwas wieder zu bekommen: Wenn dich jemand

„vor

„ vor Gericht ziehen, und dir deinen Rock abge-
„ vvinnen vvill, ſo überlaſſe ihm den Mantel auch
„ dazu, vvenn dir jemand das Deinige nihmt, ſo
„ fordere es von demſelben nicht vvieder zurück;
„ oder andere dergleichen Stellen, vvelche die Rei-
„ chen als Reiche zu verdammen, und zu erfodern
„ ſcheinen, daſs ſie die Armen nicht zur Arbeit an-
„ halten, ſondern alles verkauffen und es den Armen
„ geben ſollen, oder auch noch andere Geſetze, vvel-
„ che die Selbſtvvehre zu verbieten ſcheinen, oder
„ vvelche von uns erfodern, für unſern Lebens-Un-
„ terhalt, oder auch für den morgenden Tag keine
„ Sorge zu tragen? und dieſes noch dazu aus Grün-
„ den von den Lilien hergenommen, vvelche vveder
„ arbeiten noch ſpinnen? Eben dieſes kan man über-
„ haupt von allen allgemeinen und unbeſtimten Re-
„ geln in dem Neuen Teſtament ſagen, vvenn ſie
„ gleich etvvas deutlicher abgefaſſet ſind. &c.

§. DIII.

Ad hæc ſolvenda obſervationes nonnullæ generales ſufficiunt α. Verba cujusvis Autoris ſecundum illius Principia ſunt explicanda, unde quæcunque Chriſtus loquutus eſt, ſecundum principia Doctrinæ illius explicanda ſunt; cum vero Regnum quod Chriſtus in hac terra ſtabilivit, non ſit de hoc Mundo, ſed mere ſpirituale, hinc tales ferendæ fuere leges, quæ naturæ Regni illius conformes eſſent; proptereaque huc præcipue tendit, ut hominum animos à rebus corporalibus avocet, ut ſpiritualia magis curæ habeant.

§. DIV.

β. Regnum illud tamen ita comparatum eſt, ut Societati politicæ ac Reipublicæ bene conſtitutæ non repugnet, ſed conſpirent (Cap. III. §. 1741.): Unde Chriſtus curam pro rebus ſpiritualibus ita determinat, ut quidem rerum corpora-

poralium curam non excludat, sed ut prior posteriori semper præferatur jubet. Matth. VI. 33. 34.

§. DV.

γ. Si uno in loco indeterminate loquitur optimus Salvator, alibi satis determinate sese explicavit, ut sensus ex locorum collatione nascatur facillimus.

§. DVI.

δ. Probe etiam ad circumstantias attendendum, nec non ad Personas, ad quas Christus loquutus est; ita si responsionem quam homini illi dedit, Matth. XIX. 21. ex nexu & circumstantiis illius consideramus, facile ratio mandati hujus patet; nec non Regulam illam universalem non esse clarissime liquet; nec omnes Christum divites è Regno Cœlorum excludere ex versibus immediate sequentibus palam est; pro variis vero vel circumstantiis externis vel divitis adfectu magis vel minus divitiæ nocent; Illis quibus Christus hæc locutus est temporibus, divitiæ introitui in Regnum Cœlorum quammaxime officiebant; unde pro variis Circumstantiis etiam magis vel minus regula hæc restringenda est.

§. DVII.

ε. Is Christi & sacrorum Scriptorum mos est, ut animæ conditionem ac desideria phrasibus à corpore desumtis exprimant, unde quæ de Pauperibus ac Divitibus Luc. VI. dicuntur, de animæ non vero de Corporis statu interpretanda esse, ex connexione apparet.

§. DVIII.

Ea loca, quæ in Nov. Test. Libris sibi invicem

cem contradicere arbitrantur Antiſcripturarii Capite ſequente ſolvemus, dum armis hac in re Judaicis utantur.

§. DIX.

Reſpectu Vaticiniorum Apoſtolos magnopere in hoc præcipue erraſſe dicunt Adverſarii, quod Adventum Jeſu Chriſti ultimum jam præ foribus eſſe ubique inculcaverint.

Vide ea quæ hac de re ad §. 13. Ex TINDALIO allegavimus. In verbis ſequentibus Autor hic etiam explicationes eludere conatur, quas Theologi afferunt, & ſubjungit pag. 448. „ Die Gottesgelehrten ſind ſo „ ſehr verlegen, vvie ſie es erklæren ſollen, vvenn „ die Apoſtel ſo oft verkündigen, das Ende aller Din„ ge ſey allernæchſt vorhanden, und Chriſtus vver„ de alsdenn kommen, da doch unſer Heyland ſaget, „ Matth. XXIV. 36. Den Tag und die Stunde vveiſs „ niemand, nicht einmahl die Engel im Himmel, ſon„ dern mein Vater allein.

§. DX.

Ad controverſiam hanc dirimendam cognitione Syſtematis Theologiæ Propheticæ opus eſt, ubi oſtenditur & demonſtratur α. Abrogationem Mundi Typici ſive Oeconomiæ Veteris Typum geſſiſſe Abrogationis Mundi Antitypici ſive Oeconomiæ Novæ, ex quo hæc Regula fluit: Utramque in Sacris Litteris iisdem exprimi Phraſibus, unde Apoſtolorum hoc de eventu effata ita comparata ſunt, ut primo Mundi typici abrogationem intendant, & Novæ Oeconomiæ finem ſubindicent, unde ceu de re præſentiſſima loquebantur.

§. DXI.

β. De Adventus Domini præſentia loquuntur

tur ut de re non longe remota, qui vero ſtyli prophetici vel parum gnarus eſt, eum non latet, Adventum Domini quidem in ſe eſſe unicum, ſed varios habere gradus, donec tandem in ultima rerum Cataſtrophe conſummabitur.

§. DXII.

γ. Rerum Propheticarum non plane imperito conſtat, Oeconomiam, in qua vivimus, eſſe noviſſimam, unde Apoſtoli illam jure tempus ultimum appellant, quod tunc temporis jam proximum aderat.

§. DXIII.

Alia adhuc ſolvenda reſtat *Objectio*, quam ſupramemoratus COLLINUS Editionis Gall. pag. 132. 133. affert, nempe locum illum VICTORIS TUNUNENSIS in Chronico, qui ita habet: *Meſſala V. C. Conſ. Conſtantinopoli, jubente Anaſtaſio Imperatore, Sanctiſſima Evangelia tanquam ab Idiotis Evangeliſtis compoſita reprehenduntur & emendantur.* Ut adeo teſte hoc Scriptore univerſalis Librorum Evangelicorum contigerit mutatio & corruptio.

§. DXIV.

Deſumſit COLLINUS Teſtimonium hoc ex MILLII Prolegomenis in Nov. Teſt. pag. 98. a. ſed tacet Viri hujus celeberrimi de eo Judicium quod loc. cit. ita habet: *Unde hæc deſumſerit Autor iſte, neſcio. Illud quidem ſatis probabile eſt, Sophiſtas iſtius Urbis aliosque dicendi Magiſtros, quibus haud parum faſtidio forte erat Evangelici ſtili barbaries, apud Imperatorem egiſſe, ut Evangeliorum hiſtoriam de novo conficiendam & ſermone puriore Græco exprimendam curaret; levemque & impium Princi-*

pem eorum maleſanis conſiliis eousque fuiſſe obſecutum, ut ſerio cogitaret de hac Evangeliorum reformatione ſeu etiam forte opus ipſum inchoaret. Verum ejusmodi Evangelia nulla usquam in publicum prodiiſſe tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Ipſum nomen ſane novorum Evangeliorum, dici haud poteſt, quantas per univerſum Orientem excitaturum fuiſſet tragœdias, quam graves tumultus, nec fortaſſe ſine Imperatoris ipſius cæde ſopiendos. Sed ut proſpere & ex voto ſucceſſerit ipſi hoc facinus, certe ſi Evangelia hæc, eorumve particulæ aliquæ evolaſſent in vulgus, fieri non poteſt, quin Hiſtorici ad unum omnes, qui reliqua Anaſtaſii flagitia enarrarunt, etiam hoc longe ſuper alia memorabile graphice ſuisque omnino coloribus depingerent, cum tamen apud eos altum ſit de hac re ſilentium; neque exſtet, quod ſciam, ex omni ſcriptorum turba præter unum Victorem, quique verba ejus transſcripſit Iſidorum Hispalenſem, qui ῥαδιυργιας *hujus aliquam faciat mentionem.*

§. DXV.

Reſponſionis loco ergo α. obſervandum, omnem hujus facti fidem in VICTOREM ſolum reſolvi; nec ullam adduci poſſe cauſſam, cur coætanei Scriptores, Anaſtaſio infenſiſſimi, plane hac de re ſiluerint. β. Accedit, quod Patres Orthodoxi in reliquis Anaſtaſio reſiſtentes in re tanti momenti Imperatori non reſtiterint. γ. Codices MSS Anaſtaſio vetuſtiores extant, qui cum poſterioribus exacte conveniunt. δ. Imo ſi nullum vetuſtius extaret exemplar, tamen in Patrum Anaſtaſio antiquiorum ſcriptis & allegatis, hujus mutationis veſtigia deprehenderentur, cujus vero nullum reperitur.

ε. Irri-

§. DXVI.

ε. Irritus plane fuisset Imperatoris conatus, propter Nov. Testamenti exemplarium in toto Orbe dispersorum ingentem multitudinem, ut mutatio hæc minimæ tantum Exemplarium parti contingere potuisset. ς. VICTOREM admodum fuisse credulum, fabellis indulgentem, ostendunt DION. PETAVIUS in Ration. Temp. Lib. VI. ad A. 491. JOH. GARNERIUS in Diss. de quinta Synodo Liberati Breviario adjecta Cap. I. pag. 181. ζ. VICTOR diu post Messalæ consulatum hæc scripsit, cumque nullus ante eum Autor facti hujus mentionem faciat, ea nonnisi ex rumore incerto narrare potuit.

Vide JAC. BASNAGII Hist. de l'Eglise Lib. VIII. Cap. II. §. 8. f. 424. & Reverendissimi Cancellarii Tüb. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII Dissert. de Evang. sub Anastasio Imp. non corruptis.

* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *

Vol 18-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834903-p0648-1



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834903-p0651-7

JOH. FRID. STAPFERI
V. D. M. Helv. Bern.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ

Ordine Scientifico
dispositæ.

Tom. II.



F.

TIGURI,
Apud Heideggerum & Socios.
MDCCXLIV.